Satire

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
20 B
7

11-3-A-29
6-42.e.141
11-7-B-15

[redacted]

Digitized by Google

Digitized by Google

XXXIII. A9. 7.



BIBL. NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

ELEGANTIORES PRÆSTANTIUM VIRORUM

SATYRÆ.

Quarum titulos, & nomina auctorum, verſa pagella exhibebit poſt præfationem.

Diſtinguuntur in tomos duos.



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officinâ IOANNIS MAIRE.
CIↃ IↃC LV.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

MONITUM AD

BIBLIOPEGOS

Quoniam Libellus craſſitie ſua quibuſdam incommodus videri poſſet, ſi uno tomo compingeretur; ſecundum tomum inchoare facile fuerit pag. 281. Illiq; paginæ præfigi titulus Tomi Secundi. reciſis pagg. 277 & ſeqq. pertinentibus ad Tomum primum.

TITULUS

Candido Lectori.

LIBRI *titulum loqui, quiſquis es, Lector candide, rem inauditæ quamquam novitatis, tamen valde miram noli putare. Neque enim ita plures putabunt, quicunque equos, boves, aſinos aliquando locutos, & ſæpius legerunt, atque etiam fortaſſe credunt. Ejuſmodi autem narratiunculis acquieſci, ſi arbitreris minus abſurdum, quia ſunt animalia, pulmonibus, gutture, linguâ, palato, dentibus, loquendi inſtrumentis providè inſtructa; non-neminem allegabo, qui induxerit ſtellam prologi officio fungentem. Æquè celebres auctores nominare poſſum, qui arbores, qui naves memorent quoque oracula fudiſſe. Nec ego refugiam haberi inter notabilium metamorphoſεων argumenta: & quidem transformatio memorabilior longè fuerit,* TITULUS, *quam* PUELLA, IN VOCEM. *Huic peroranti auſcultate omnes, quibus vacat: ac ut omnibus vacet, autumat Typographus ſuâ intereſſe; cujus potiſ-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

potiſſimum rogatu Genius quidam,neſcio cujus,neſcio quomodo exoratus me hodie taliter lingulacam locutulejam fecit. Igitur arrigite mentem: ades aurium præbete vacivas: diſcite unde ſim ego,quæ, & qualis. Principio, natalium incertitudinem abunde vindicat ab ignobilitate acris ſuper origine meâ ſibi aſſerendâ contentio, non urbium ſeptem, ſed gentium duarum nobiliſſimarum geſtis ubiq; terrarum præclariſſimè rebus. Scilicet propter hanc Helenam Græci & Romani, neque ſariſſis, neque peilis, ſed literulis Cadmeam pugnam pugnant plus quàm à decem annis. Illi,Pythagoræ ſui famoſum elementum mihi ferè mediæ inferentes,tanquam furcillis armati procedunt. Hi verò literam,quã conſentiunt eruditi longam vocari,(bellacem ſanè, & quæ magni Conſtantini ævo orbem Chriſtianum pernicioſo duello colliſit) ibidem figentes, veluti baſtulis minaces contra conſiſtunt. SatYra-ne, an SatIra veniam appellanda certant animoſe uterque populus tot populorum domitores. Reſpublica literatorum factionibus ſcinditur in diverſum; adecq; in partes jam itum eſt, & ſeceſſionem fecerunt

runt

runt ipſi ducum duces. Typographus (uti primâ pagella animadvertiſtis) cum me callidiſſimis mangonibus Græcanicæ fictionis tradidiſſet producendam inſtar tropæi, circumferendam quaſi bonam mercem, etiam in Græculorum caſtra manibus ivit; maluitque homo argutus furcigerulis annumerari, cum potuiſſet inter haſtatos cenſeri. Opinor, ſive quia in etymo ſuæ artis ſecundas obtinet eadem furcillata, diſcrimine bicorni ſecta; ſive quia ad commendationem facere exiſtimavit, credi me de gente urbanâ totâ, & matre elegantiarum, in quâ qui ſapientiſſimus mortalium olim de tripode eſt pronuntiatus, Satyris ſimillimum vultu fuiſſe accepimus: dilectiſſimus autem Alcibiades Silenis comparavit; ratus, ſicut & ego reor, id honoris omnino conveniſſe tum ætatis prærogativæ, tum reverentiæ ſui præceptoris. Verumenimvero an non par, aut majus etiam fuerit decus, me Æneadum perhiberi ſtirpis, cujus auctor jactatur Venus, formoſiſſima dearum? Certè pridem eſt, quod docemur; domines rerum, togatam gentem, quoties, ſu-

percilio dementes majeſtatem, delicias dicerent, venuſtulas ſuas feſtiviſſime vocabulo Saturarum, ſive Satirarum indigetare bonum verbum cenſuiſſe. imò & Silenarum; quod poteſtis meminiſſe, quicunque unquam eſtis exſpatiati in viridaria Lucretii poëtæ, ſeveriſſimæ philoſophiæ Gargettiæ profeſſoris.

Ne quidquam hinc ſubſidium ſuæ nationi petierit Atticus aliquis naſus. Deſcribit enim optimus morum magiſter amatorculos cæculos, deceptos, decipientes. Iſti amiculas ſimis naribus deformes, ſolâ turpiculæ ſimilitudinis affinitate per ſuaviſſimam ὁμωνυμίαν *adoptabant in nomen deductum (ſi qua criticis fides, ſummis viris) non à laſciviâ procacibus capripedum maritorum uxoribus peculiari, verum à venuſtate, & omnigenô lepore morum; tanquam quæ cum pulcherrimæ totæ eſſent, tum una omnibus veneres omnes ſurripuiſſent; qualem multivolam ſuam Leſbiam depingit Catullus. Ita rem ſeſe habere, ſi forte dubitatis, dicam id maximè probabile reddi ipſo nomine* Satiræ, *ſive*

(ἀρχαικῶς) Saturæ, *purâ putâ Latinâ voce, ab vetuſtiſſimis auctoribus primitus uſurpatâ pro ſarcimine variæ conditura: item alias pro lance* ſaturâ, *hoc eſt*, plenâ *frugibus diverſis & miſcellis, primitiis ſcilicet alicui numini ſacris, quæ à ſaturitate & copia ſic dicebatur. Quapropter &* Satiram *apud Romanos non magis eſſe proprium alicujus ſcripti nomen jam iidem ſummi viri monuerunt, quàm apud Græcos ſunt illa*, πανδέκται, κέρας Ἀμαλθείας, στέφανος, στρωματεύς, κεστὸς, πίναξ, πινακίδιον, *unde multi libris ſuis titulos confecerunt*. Hoc idem *exiſtimo etiam imprimis facere odio averruncando, quod mihi derivatio Græculæ protervia ambitioſa, & conciliavit olim, & iterum facilè conciliaret, niſi gravitas Romana adverſum ſtaret; quæ calumniam amolitur, invidiâ liberat, dignitatem meam unicè tuetur. Fieri-ne illud unquam potuit illuſtrius, quàm operâ tot egregiorum non uno ſæculo virorum? ad me excolendam acceſſit ipſe pater* Ennius, *qui emeruit tibi, magne* Scipio, *contiguus poni*. Longo *autem poſt in-*

tervallo

tervallo conatus eſt abſolviſſe M. Terentius Varro, *qui audiebat doctiſſimus togatorum. cujus ob meritum poſteritas erudita voluit* Satiram, *quæ Romana eſt, dici* Varronianam. *Ipſe gratus detulit ſimiliter in aliquibus* Menippo, *& inſcripſit* Menippeas. *non quod tantam rationem unius palliatuli habendam, eum putaſſe exiſtimem. ut debitam populo ſuo gloriam voluerit traducere in coloniam peregrinam, ſed ornare hoc veluti emblemate ſcriptionem inſolentem, quomodo captarum civitatum ſtatuis, ſignis, ſigillis, ſpoliis undecunque urbem æternam dea gentium victarum Roma. Secuti Varronem poſtgeniti elegantia doctrinarum præſtantes viri, quorum opuſcula hoc libello continentur, auctores fuerunt, ut mihi proprium magis fieret nomen*, SATYRÆ elegantiores præſtantium virorum, *parum ſollicito Typographo pro Romanâ an Græcâ, Græco-Romanâ, an Romano-Græcâ haberet, qui id ſibi negotii credidit ſolum dari, ut quam plurimos conjungeret in unum ſyntagma, à quo tamen exemptum optaſſem mei nomi-*

nis

nis ergò quendam Carite cera dignum. Imò maluiſſem ſolummodo exhibitos, qui rem literariam tractant. Aliter viſum illi, qui, ut monui, junxit. Singulos ad partes vocarem, & contra ineptos Ariſtarchos pro ſe liberaliter equidem ediſſerere juberem, liberéq; in patriâ libertatis, niſi & ſcirem patrocinio eos non indigere, & confiderem exſpectationem meam hic ſuperandam à candore candidorum. Verſâ pagellâ vides cunctos miſcellè & per Saturam *verè oblatos; licet, ſine ullâ gratiæ, à quâ* Saturæ *honos, jacturâ, potuiſſet temporum ordo, quo ſcripſerunt, obſervari: quod demum poſt abſolutum Senecæ ludum fieri cæpit. Aſpice; inſpice; fruere; vale. Si te faventem Typographus experiatur, offeret mox quoque* SATIRAS elegantiores τῶ *ἀνωνύμων, neque tamen minus præſtantium,* virorum.

Syllabus Contentorum.

TOMO PRIMO:

IVSTI LIPSII Satyra Menippea. Somnium. Luſus in noſtri ævi Criticos.

Sardi Venales Satyra Menippea, in huius ſæculi homines, pleroſque ineptè eruditos. PETRVS CVNAEVS ſcripſit.

D. IVLIANI IMPERATORIS Cæſares, Satyra in Romanos Imperatores, interprete Petro Cunæo, cum præfatione eiuſdem Cunæi, & Dionyſii Petavii, cenſura ſuper Cunæi præfatione: Item iudicio Leunclavii de Iuliano, & Petri Martinii diſſertatione de vitâ Iuliani.

ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ Καίσαρες. Iuliani Imperatoris Cæſares, Carolo Cantoclaro interprete.

ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ ΤΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ Μισοπώγων, ἢ Ἀντιοχικός. Iuliani Imp. Miſopogon, ſive Antiochenſis, interprete Petro Martinio.

L. ANNAEI Senecæ Ἀποκολοκύντωσις. Ludus de morte Claudii Cæſaris.

PETRI NANNII Batavi Alcmariani ſomnium, ſive paralipomena Virgilii: res inferæ à poëta relictæ.

PETRI NANNII Somnium alterum: in lib. II. Lucretii præfatio.

FRANCISCI BENCII Oratio ante ferias autumnales habita. Somnium.

TOMO SECUNDO.

Funus Paraſiticum, ſive L. Biberii Curculionis Paraſiti mortualia. NICOLAO RIGALTIO auctore.

ERYCII PUTEANI Comus, ſive Phageſipoſia Cimmeria. Somnium.

PETRI CASTELLANI LVDVS, ſive convivium Saturnale.

FAMIANI STRADAE Romani Momus, ſive Satira Varroniana, poëſi poëtiſque cognoſcendis accommodata.

Eiuſdem Academia prima, & ſecunda.

Θ. IANI BODECHERI Banningii Satyricon in corruptæ iuventutis mores corruptos.

VINCENTII FABRICII Satyra, Pranſus paratus, in poëtas & eorum contemptores.

OCTAVII FERRARII Satyricæ quædam proluſiones.

IOANNIS SANGENESII de Parnaſſo & finitimis locis, libri duo.

IUSTI

IUSTI LIPSI
SATYRA
MENIPPÆA.
SOMNIUM.

Digitized by Google

IUSTI LIPSI SATYRA MENIPPÆA.

SOMNIUM.

Apta ad ritum priſci Senatus.

*Q*UID *hoc anno Romæ, in Senatu, dictum, actum, cautum ſit, volo memoriæ prodere. Fruſtrà me reſpicis cum ſublato digito, Sigalion. non debet ſilentio perire res tam magna. Dicam quæ vidi, quæ audivi, quibus interfui. quis vetat? Ego ſcio conctores abiſſe, & niveam libertatem rediſſe. Si vera dicam, agnoſcite: ſi falſa, ignoſcite. Adeon' hoc ævo difficilis venia unius mendacii eſt? Nonne & ego ſcio, quo loco extra portam Capenam aqua Mercurii ſit? Scio; & jampridem ea me adſperſi: provide, & in anteceſſum.*

Deſierant latrare canes, urbſque ſilebant,
Omnia noctis erant placida compoſta quiete.

Vel, ut cum Varrone clarius dicam, jam noctis meridies erat: cum tetigit me virga valentiore Dîus Somnus. Autumni tempus erat. itaque multa & varia circum caput meum volitantes umbræ: donec ſub Auroram Somnium ad me venit, longum, firmum, certum. Nam rectà advolare mihi viſum è Cornea porta. Ejus hic habitus, & forma. Viſus mihi ſum Romæ eſſe in foro, ad radices montis Palatini. Solitudo primò circa me: inde, ut fluctus è mari, paullatim ſurgere viſa ingens multitudo, pallentium, exſanguium, macilentorum, & à quibus Cæſar jure timuiſſet. Si rectè notavi in crepera adhuc luce, partim è Bibliotheca Tiberiana veniebant, partim Vlpia, ubi lintei & elephantini libri. Recta illis iter ad templum Apollinis Palatini. Inſpexi curioſè ſiquis mihi notus. ecce autem, Dulciſſime, te video? inquam ad Duzam. tu hic es? At ille vultuosè:

Homer. Quis? quorum hominum? quæ tibi urbs? qui parentes?

Τίς, πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις,
ἠδὲ τοκῆες;

Itaque ergo excidit tibi Lipſius tuus? inquam. an notorem me dare vis? Et jam ruebam in amplexus: cum ille effuſus in me, Vigilon', an dormio? & ſatis

ſatis acceptum te eſſe Lipſium meum? Quis Deus autem è Belgis te hic ſtitit? Deus, inquam.

---- θεῖος μοι ἐνύπνιον ἦλθεν ὄνειρος. Imitatũ ex Hom. Dius me per ſomnium duxit Somnus.

*Sed dic, ſodes, hanc turbam ſcis quæ ſit? Vah, inquit, turbam tu appellas? Senatus eſt literatorum. Ego, intentior jam & attentior, Senatus ais? quo autem, & quid? Ille me prenſum manu ſiſtit ad * pilam unam, ſive columna fuit, in porticu templi Apollonis; & oſtendens ſuſpenſam tabellam, Lege, inquit, heſternum hoc edictum. Legi clare (jam enim lucebat) in hæc verba.* * Edicta olim in pilis columnisque appenſa.

* B. F. Conſul M. Tullius, M. F. Cicero die craſtini Senatum * in Templo Apollinis cum prima luci habebo. Qui Patres, qui conſcripti, quibuſque in Senatum veniendi jus eſt, moneo, ſive jubeo, frequentes adeſte. De ſumma Rep. agi ſcitote. Qui nec aderit, multam pignuſve capiam: excuſationem non capiam. *Bonum factum.

Parabam quærere, ſed Duza me duxit porro ad veſtibulum ipſum, aditumque templi. Video intrantes pauculos ſenes, paucos viros, pleroſque juvenes, & quoſdam imberbes adoleſcentes. Et intrabant parum decore. Ego ad Duzam, Eugepæ! inquam,

* ---ἀθρόος ὄχλος ὠθεῦνθ' ἅπερ ὕες.

Tam numeroſus autem iſte Senatus eſt? nonne lex mosque vetus coërcebat intra quadringentos? Mihi Duza. Ita eſt, ait. neque enim olim tam vulgo admittebant Cenſores. Nunc quid? placitum eſt Divi Iulii exemplum, & adſcripti paſſim in hunc ordinem ſemibarbari. ſemigraci, ſemilatini. Denique anno, & horno, magnus proventus in Germania poëtarum fuit.

* Theocriti. Confuſa turba Trudunt velut ſues.

---* ὡς μύρμηκες, ἀνήριθμοι ϗ ἄμετροι.

Itaque valde numerus noſter auxit. Dum fabulamur, faſces ecce duodecim procedunt, & auditus ſtrepitus lictorum ſubmoventium turbam. Conſul hic eſt (ad me Duza) M. Tullius. Vnus tantum? inquam ego. Vbi, & quis collega ejus? M. Attius Plautus eſt, inquit: ſed cubare enim in morbo aiunt, neſcio ubi & à quo nuper male acceptum. Interibi video Conſulem, ex lege, ante Curiam ſacrificantem, & manibus exta tenentem parum lata. Civilis diſſidii notas repperiſſe aiebat aruſpex. Ecce autem prælati & ſex alii faſces. Prætor eſt hujus anni M. Cato, ait Duza. Sed quid ſtamus? jam introïtum oportuit. Ego admirans, Etiam tu in Senatu es? Quippini, inquit,

* Theocrit. velut formicæ, innumeri, & infiniti.

inter

*inter Ædilicios? & * nuper adeo præbui ludos. Sequere. & ſimul traxit me pallio renitentem. Non hercle ego, non ego, inquam. Metuis? ait. validiſſime. legem, inquio, quæ Senatu arcet non Senatorem. Ille ridens, Ita olim fuit, inquit, cum Moribus antiquis res Romana viriſque ſtetit: nunc Divus Auguſtus permiſit protinus virili toga latum clavum inducere, & curiæ intereſſe. Denique habes tabellam & ſtylum? Tria verba Latina ſcribe: ego tibi ſpondeo & reſpondeo non ſurcillabit te quiſquam Cenſor. Iam intrabamus: cum vidit me, uti de via eram, gladio accinctum Duza. Heus heus, inquit, pone. Quid ponam? inquam ego. Gladium, ait. nefas enim in conſpectu magiſtratus. Ego diſcinxi, & intravi. Conſpicio ſubſellia ſane longa. in ſummo ſedentes, Capitones, Labeones, Silones, Frontones; omnes ſeveros & --- ἰλλασπιπίπλους: in medio Philoſophos, Medicos, Hiſtoricos: in imo, Comicos, Tragicos, Lyricos, Epicos poëtas. quoſdam ex iis pannoſos, obſitos, quoſdam lauru & anulo inſignes, & Palatii Comitiva. Qui iſti cum lauru? inquam ego. Illine? ait Duza. Poëtæ ſunt è nupero fœtu. Cur*

* In Satyris, quas dedit.

autem coronati? inquio. an vicerunt agonem Capitolinum? Non, ait. ſed hodie ita mos valet, ut non Phœbus, ſed Imperator faciat vates: corona & anulo donet, inter Equites ſcribat, imo inter Comites. Hem! inquam, ſcilicet ad Cæſaris in Laberio exemplum. Sparſim adhuc ſtabant Patres, muginanteſque & murmurantes: cum è curuli ſua ſurgens Cicero ſilentium manu popoſcit, & impetravit. Quies alta fuit, qualis conticinio noctis ſolet, ut audiremus

Florem illibatum populi,
Suadæque medullam.

Ille vultu manuque formatus in habitum oratorum ſic cœpit:

Oratio Ciceronis in Correctores.

Etſi meæ partes ſunt, P. C., magis exquirendæ ſententiæ, quam dicendæ: tamen in hac tanta republica, quæ agitur, neceſſario prædicenda quædam videntur. Memoria tenetis, quod gaudium omnium noſtrum fuerit, cum ante paucos annos in Europa renatum vidimus nomen Litterarum. Legebamur, colebamur, è ſitu & tenebris eruebamur: adnitente in Italia Leone, in Galliis Franciſco, divina quadam virtute viris. Quid multa? in ſpem,

imo

imo fiduciam ingreſſi eramus recuperandæ priſtinæ dignitatis. Cum ecce exortum eſt genus hominum audax, inquies, ambitioſum, qui Correctores ſe dicunt. Incredibile eſt P. C. quam ſtragem & quam late dederit iſta lues. Philoſophi Rhetoreſque olim à majoribus noſtris urbe pulſi ſunt, ob ſuſpicionem non maleficæ, ſed novitiæ doctrinæ: nos Tarquinios iſtos impune graſſari patiemur? At enim nequid præter legem, inquiunt, & clementiam majorum: Habemus vero P. C. habemus ejuſmodi legem; ſed tanquam gladium in vagina reconditum, cujus aciem patimur hebeſcere. An non lex Cornelia, de ſicariis eſt? Non ſicarii iſti? Quoties ergo prehenſi cum ſtylo & telo ſunt, vocis Iugulandæ cauſſa? Sedete, & exſpectate exemplum Caligulæ, ut graphiis in Curia diſcrepant unum aliquem Senatorem. Augeo hæc ſcilicet, & invidiæ flammam ſubjicio viris bonis. Utinam! Sed quis ex iſtis nos adit, nos legit, niſi urendi ſecandique cauſſa? Id enim vocant corrigere. *Hoc rectum* " *eſt, hoc non rectum. hoc non implet* "

„ *aures meas.hoc non Latinum,* * *etiamſi Cicero ita locutus ſit. Stigmatias hic locus. hic mutilus.* Bene, & in tempore acclamaſtis P. C. crucem illis. Poſtremi hominum vos conſularibus viris, claris per tot imagines majorum, frontem faciemque ſignetis per ludum & jocum? Nos ipſi P. C. quoties iſtorum telis & inſidiis appetiti ſumus? A viginti jam annis Correctorum notis diſcerahor, laceror: & minutis ictibus cottidie ferior, ut ſentiam me mori. Nam illud miſerrimum eſt, quod honeſte ſaltem occumbere non licet, & defungi una plaga. Thuſcus aliquis in me ſæviit; Thuſco ſucceſſit Venetus; illi, Gallus; Gallo, neſcio quis è Friſiis & Thuringis. Et tamen hi hoſtes noſtri inter nos vivunt. Vivunt? imò etiam in Senatum veniunt, notant & deſignant oculis ad lanienam unumquemque noſtrûm. O Dii immortales, in qua urbe vivimus? Hîc, hîc ſunt, in hoc ipſo conſeſſu noſtro, qui de meo veſtrumque omnium exitio cogitarunt.

* Verba Lambini.

Et cùm dixiſſet, viſus mihi apertè ſignateque oculos conjicere ad ſubſellia noſtra, ... mi-

--- mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidúſque coït
formidine ſanguis:

& trepidè ad Duzam, Tange me frater, inquam, frigidior nive Gallica ſum. Periimus, in Cyclopis antrum devenimus. quæ Pallas eripiet nos è media morte? Nihil ad eas voces Duza; ſed & ipſe ſedebat anxius, capite demiſſo. Credo, conſcius etiam ſe ex illo muſtaceo laureolam quæſiviſſe. Itaq; ego jam lictorem exſpectabam qui nos duceret. & ô ſaltem (aiebam mecum) gladius ille ad manum fuiſſet, quem ad limen Curiæ poſui!

Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην. Homer.

Sed inter eos æstus cogitationeſque pergit porro Cicero: *Non ignavè ceu ingloriosus occumbam.*

Et tamen, ô patientiam! Hoſce ego Conſul video, & quos jam diu ferro ulciſci oportuit, vocè nondum vulnero. Sed deſino, ne longior oratio mea pro præjudicio fuiſſe videatur, aut ſententiæ veſtræ præiviſſe. Te Apollo Palatine, in cujus ſanctiſſimo templo nunc convenimus, præſidem præſtitemque Muſarum, cujus auxilium nobis litteriſque, in rebus incertis, certum ſæpe fuit, quæſo veneror que, uti

 pacem

pacem nobis ab iſtis propitius duis, & Senatui mentem, quod maxime è republica erit ſentiendi, & libertatem id ipſum cenſendi.

Finierat cum adclamatione varia Cicero, & ego paullatim ad me redii, (non hercle plane poſito metu, quoniam ſciebam imperioſum Conſulem eſſe, & in Tulliano tot Senatores necatos unius juſſu:) tamen caligo jam ab oculis abierat, & video ante pedes Conſulis neſcio quem ſedulò ſcribentem. Belga mihi viſus, è veſte. Itaque inclinans me, Quis eſt iſte? inquam ego ad Duzam. an quadruplator aliquis, & ſubſcriptionem nobis parat? Riſit timidiſſimam ſuſpicionem meam Duza, & ab iſto quidem, inquit, ſecurus animi es. Vervecem vides, non hominem: oviculam meram. Actuarius eſt, Chriſtophorus Longolius. quem, quia olim perite admodum verba ſingula Ciceronis ſubſequi & ſublegere ſolet, patres nunc fecerunt Cenſualem. Inter iſta iterum M. Cicero, Rem breviter audiſtis Patres, *inquit:* ergo ut relationem faciam, Quod felix fauſtumque reip. ſit, de cenſura deque iis qui ſe correctores appellant * Q.F.P. Dic tu C. Criſpe. *Tetigi latus*

** Quid fieri placet.*

Duza,

Duza, Quis iſte Criſpus? quis? Ille inquit, Romana primus hiſtoria. Cur eum rogat primum? inquam, & nonne inimicitia inter iſtos? Duza inclementius, In Curia es, inquit, an in Gynæceo? ita loquax. Tamen ſcito hunc Conſulem deſignatum eſſe. Hoc habe, & tace. Momordit me tam præfractum reſponſum, eo magis, quod de inimicitiis nihil: quas tamen ſuſpicabar ex falſis oratiunculis temere vulgatas eſſe. Surrexerat interea Criſpus, cui caput pileolo tectum, focale circa collum; & ipſe, novo more, palliolatus. Non fuit mihi animus rogare Duzam: ſed tamen facile divinabam ægrotum eſſe, fors fuit an plagis aliquot nuper acceptis. Ille infit:

Clementia & lenitas veſtra, P.C., magnum mihi metum faciunt de Correctoribus dicendi, ne aut vobis parum animi adverſum eos ſit, & illis præſidium novum in audacia ſua pariter, & pudore veſtro. Satellites quidem eorum defenſoresque, homines clari nominis & doctrinæ, nequeo ſatis mirari. Conſilia nefaria in nos coïta ſunt; de vita cernimus, aut libertate: & ea proditum perditumque eunt iſti Cor-

Oratio Salluſtii contra Correctores.

Corneliorum & Varronum ſcilicet præclara proles. Prô, di boni! Ubi Porciæ & Semproniæ leges? Illis lictor, & virga, & ſecuris, defenſa à tergo noſtro ſunt: at nos flagris notisque ſervilibus obnoxii agimus adoleſcentum, aut vix virorum. Hanc in ſpem clariſſimorum ingeniorum monumenta publicata ſunt? Hæc præmia pro labore, & noctibus toties vigilatis? quorum eos adeò non pœnitet, ut facta in gloriam numerent: novi Romuli ſcilicet litterarum & Camilli. Quin ſoli omnium, poſt genitas leges, ſententiam ferunt è conjecturis. Divinos ſe dicunt. En, cui ludibrio canities noſtra ſervata eſt? Di benè vertant. cenſeo antiquemus collegium Augurum præ iſtis, & Quindecimviros fatalium librorum. Peſſimi mortalium. ita vobis mala noſtra irriſui ſunt? Et meritò. quoniam mollitia decretorum illis metum, nobis dignitatem ademimus: & pacem libertatemque etiam nunc optamus magis, quàm defendimus. Quin agamus, atque obviam eamus P. C. nihil prolatantes: neu ſpolia noſtra diutiùs penes ignavos indignos-

dignoſque ſint. Ego ita cenſeo. per Prætorem urbanum in Comitio comburendos eorum libros: ipſos in vinclis habendos: neu quis de ſolvendis ad Senatum populumve referat. Qui aliter faxit, eum contra rempublicam facturum.

Adſedit Criſpus. neque enim aut mos, aut valetudo ejus, ad longam orationem erant! Et Conſul M. Tullius neſcio quid cum Catone ſecretò collocutus, Patres Conſcripti, *inquit*, multa hodie frequentia eſt. itaque non ibo per ſingulos: per Saturam exquirendæ ſententiæ ſunt. Dic, ſi quis voles è poëtis. *Non erat alia manus infeſtior generi Correctorum. Itaque capita paulliſper inter ſe contulerunt, & dilectus eſt qui omnium nomine diceret P. Ovidius. Non tam Germani id pervicerant, quàm quia conſtabat olim non ignobilem declamatorem fuiſſe, & Arellio Fuſco operam dediſſe. Propria quoque illi irarum cauſſa. Surrexit igitur infenſus, & minax vultu, oculis.*

Patres conſcripti, *inquit*, vetus exſilium meum Tomos me referte, ubi iſta non videam, non audiam. Quæ enim Barbaria non ante mo- (Ovidii oratio adverſus Correctores.)

res iſtos? aut quæ vita nobis in hac colluvie Correctorum? Periit nativa illa & germana poëſis, poſtquam hoc peſtilens ſidus ingenia adflavit. Videte. quis adoleſcentium hodie Phœbi laurum, ut noſtro more loquar, mordere audet? aut ſiquis audet; quis lucidos & fluentes verſus ſcribere? Quis carmen mihi dat ingenui & ſani coloris? Pigmenta nimirum quærunt, & adſciticios fucos, & ab Ennio uſque Pacuvioque demortua verba. Ex qua farragine ſiquid poſſunt adſuere: næ illi gemmam id cenſent, &, quaſi in prætexta, purpuræ clavum. Itaque redeunt iterum Saturniæ lemæ, & fiunt

Verſus, quos olim Fauni vateſque canebant.

Stomachor. quis me, meoſque numeros? quis Statium, Lucanum, Silium audet exprimere, ut non ſtatim audeat, *Odi profanum vulgus, & arceo*? Eò enim ventum eſt. numerus cenſemur, & plebs poëtarum. Ite boni Patres, & retinete, cenſeo, iſtos Lucumones. Quamquam utinam ſtultitia peccarent tantùm: ſævitia eſt. Nec enim contemnunt ſolùm

lùm nos: etiam lædunt. Quæ ſtigmata impoſita nobis ab illis? quæ lentæ vibices? Referte ſi vultis exemplum M. Antonii oratoris in Aquilio, & nudate corpora noſtra. Mentiar, ſi non plures cicatrices nobis, quàm verſus. Collegam hunc noſtrum T. Lucretium videtis? virum perfectæ bonitatis, & qui ex diſciplinæ ſuæ lege * οὔτ' αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, οὔτ' ἄλλῳ παρέχει. Quid juvat? audite rem novam P. C. Una provincia, uno tempore, duos Prætores habuit: & de Lucretii ſpoliis bini eodem anno triumphi. Cogitate quid miſer ille paſſus ſit, & proponite vobis duos in Sicilia Verres. Quid noſter

--- Romana fidicen lyra?

Ille quidem ſemiuſtulatus lentiſſimo igne. Faces illi Lampadius quidam admovit: reſtinxit alius ingeſta hydriæ ſuæ aqua. Quid Catullum loquar, & Propertium, & Tibullum? Prometheus non ultrà fabula eſt. Ecce nos, quorum viſcera nova fame cottidie rimantur & ſcindunt infauſtæ aves. Vellem Martialis adeſſe poſſet miſerrimus poëtarum, quem aiunt nimis Romanè

ſcripſiſſe.

* *Neque ipſe negotium habet, neque alteri exhibet.*

Martialis caſtratus, qui inſcribitur.

ſcripſiſſe. Itaque inventus eſt neſcio quis popa, qui non vitia ejus, ſed ipſum excîdit. & virum bonum, de quo non virgo non femina queſta eſſet, fecit inteſtabilem. Nec alia re abeſt novus Thuſcus iſte aruſpex, quàm quia ſciebat mutilos & debiles curia arceri, ex lege priſca. O fas, ô fides! Hæc fieri bonis, bono ſemine natis? Vos medici ferte opem, Æſculapia proles. Exſurge tu, cui brachium truncatum: tu, cui crus fractum: tu, cui excuſſi oculi. Miſeremini ô Patres, & iſtos nefarios condignis pœnis & ultione mactate. Ego ſic cenſeo. Quandoquidem Correctores calamo, ſtylo, ferro rem gerunt, nec finem ullum faciunt graſſandi; ſitque è rep. judicia & leges exerceri: eos omnes lege Cornelia, quæ de ſicariis eſt, accuſandos, damnandos. Siquis ſeveriorem ſententiam attulerit, ſententia mea nulla eſto: illius rata eſto. Hæc cenſeo.

Dixerat ardens incitatuſque Ovidius, nimium vel ingenio vel adfectui ſuo, ut ſolet, indulgens.

— cunctique fremebant
Aſſenſu vario Patres.

Itaque

Itaque clamor jam, & confuſa voces. Tribonianus inter Iuriſconſultos audiebatur; Ecce me infelicem! & ô vanos labores meos! Non corrigunt me ſolùm, ſed corripiunt: quaſi mala imò * nulla fide in exſcribendis legibus verſatum. Quod ſanctum, quod immotum eſt, tangunt. violatores majeſtatis, & ultore gladio puniendi. *Clamabat è Philoſophorum ſubſelliis Plinius*; Demite mihi has notas, has lituras, quas Barbarus inuſſit. Ne ultrà imperitus, ne fur, ne plagiarius audiam, vir illuſtris & Principum amicitia notus. Ante omnes, pœnas mihi det ille, qui in me unicè conſpiravit, Pœnus. *Plures erant ejuſmodi voces, &, me judice, Correctorum res in extrema tegula ſtabant: cùm ecce Aſconius Pædianus, & Verrius Flaccus; & A. Gellius, pluresque quorum ferrum in igne erat, huc illuc concurſabant, prenſantes Patres, orantesque ut cauſſam cognoſcerent; neu totam gentem damnatam vellent, ob noxam paucorum. Sed inter illos inſigne ſtudium unius, novitii, ut apparebat, & nuperi Senatoris. Non ſuſtinui rogare ſuper eo Duzam: converti me ad proximum*

* ἄθεον enim fuiſſe aiunt.

mum aſſeſſorem, & , O tu quicumque es, inquam, potes dicere nomen illius Senatoris qui præter ceteros ſatagit? Ille in aurem mihi infudit, Dionyſium Lambinum eſſe. Non feſelli fabulans Duzam. & ille ad me, Tu Lipſi juvenis & incautus es, inquit.

* Hom. *Semper adoleſcentes ſtultè agunt.*

—— * ἀεί τι νεώτεροι ἀφραδέουσιν.

Frater, inquam, mihi hoc dicto opus fuit. Nam ſcio Amyclas tacendo periiſſe. Intereà M. Tullius circumibat ad placandos animos ſedandumque tumultum; & cum eo, ſevero vultu, Prætor Cato. Patres conſcripti, *inquiunt*, ſervemus diſciplinam Curiæ. Quæ hæc res? Vos mera ovilia feciſtis. ita balatis. Sedete, quieſcite, & ſententias perrogemus. Dic tu M. Varro. *Ad Varronis nomen, ſubitum ſilentium fuit. Erat admiratio viri, magni, docti; & quod inter omnes conſtabat, partium nullarum. Surgit Varro, & infit.*

M. Varronis oratio pro Correctoribus.

Studiis adhuc P.C. certamus, non ſententiis. Vulnera quæ quiſque à Correctoribus acceperit, commemorat: medicinam, quam acceperit, tacet. Adeo lubentius homines injurias, quam beneficia meminimus: & ultioni, quam gratiæ, parati

rati ſumus. Mihi P.C. alia mens eſt, ſine ſtudio, ſine odio rem exſequi: & ſententiam non ex ambitione mea, ſed uſu publico dicere. Tibi primum fortiſſime Conſul reſpondebo. non quia obſtringillare homini amico juvat, ſed quia res aperienda eſt. Nec enim rettuliſti ſolum quid cenſeremus, ſed præiviſti. Novum tibi viſum eſt, iſtud corrigere & à rege Franciſco. Miramur te hoc dicere, hominem hiſtoriæ gnarum, & ævi prioris. Multa ſanè ab illo rege præclara, & in bonum litterarum: non tamen iſtud. Iam inde noſtra ætate, non certatio inter doctos fuit ſuper Ennii Plautique locis? Ælius Stilo doctor meus non perſæpe à Perſio aliiſque in ſcriptura diſſenſit? non ego ipſe? non tu M. Tulli ab hoc Attico? quem meminens ſum alibi cum cura quærere, an Piræceum, an Piræum, ſcripſiſſet Cæcilius. Tu ſerram in re levi cum amico reciprocas: ambigere in hiſtoria, reque graviori, vetitum iſtis? Quid loquor? tu ipſe ille acer perduellis Correctorum, Lucretium Carum correxiſti: & in beneficio id gloriaque poſuiſti. Omitto Nigidium

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

gidium Figulum, Verrium Flaccum, Palæmonem, innumeros ejuſdem Muſæ: ecce produco hunc Valerium Probum ex Senatu noſtro, *qui ex-*

Verba Suetonii, de Claris Grammaticis.

„ *emplaria vetera contrahere, emen-*
„ *dare ac diſtinguere, & adnotare cu-*
„ *ravit; ſoli huic, nec ulli præterea,*
„ *Grammatices parti deditus.* Addo Aſconium & Agellium; alterum Claudii, alterum Hadriani ævo. At illum non piguit, Deſcenderim an Deſcendere legendum eſſet, in Verrinis tuis anquirere: iſtum, Tris urbes, an Tres, Virgilius ſcripſiſſet: Stitiſſes, an Stetiſſes, Cato. Et laudi hæc inquiſitio iis, non fraudi, fuit: nos cur iniqui judices in hujus ævi litteratores ſumus? Non paria fortean præſtant? Pace collegarum liceat, majora. Typographia hac ætate inventa eſt; dono deorum quidem: non dubio tamen exitio noſtro, ni iſti obſtitiſſent, qui adminiſtrant in libris corrigendis. Ii veterum librorum ope, partim ingenii fiducia, di magni, quot vulnera noſtra, quot cicatrices ſanarunt! Tu M. Tulli, tu C. Criſpe, horum opem non ſenſiſti? non tu Ovidi? impius es, ſi negas; ſtultus, ſi fate-

ris.

ris. Et tamen nudari te poſtulas, magne Imperator. Credo, ut dentem videamus ſuctumque tuæ Corinnæ. Ego ipſe non Ioſepho Scaligero civicam de me coronam dedi? dedi, libens meritoq;. Magna enim hæc res, P.C., mihi credite, magna, & non unius è plebe doctorum. Si quis agrum noſtrum ſtantem ſentibus deruncinet, beneficium conferre cenſebitur: non conferent ii, qui à vitiis monumenta noſtra purgant, quibus ſolis vivimus? Et tamen modus quidam & ars ejus rei eſt, fateor. ne fiat quod in veteri fabula eſt, Thracius ruſticus: qui cum vicinum putantem vites oleaſque vidiſſet, ipſe à ſtirpe omnes incidit. At enim peccant ſæpius Correctores; & vulnus faciunt, dum medentur. Hic tu te, Ovidi, jactas. Laudo, * nec unquam gratiam tibi referet Criſpus. *Sicarios* appellas, & lege Cornelia damnandos. Cur tandem? Patrem aliquis in acie ſervare voluit, &, dum hoſtem petit, gladio aberrante occidit: dic tu Ser. Sulpici, parricida eſt? Negabis. voluntas enim eſt peccandi, quam leges puniunt, non eventus. Simile in iſtis

* Alluſum ad jocum veterẽ: Niſi hic ſe jactaſſet, muſcæ te comediſſent.

ſit, qui cum voluntatem attulerint juvandi, interdum tamen aberrant, & lædunt. Bivium enim ad corrigendum, Libri, & Conjectura. Prima via ſatis certa & tuta eſt: lubrica altera, præſertim cum in eam audaces & temerarii adoleſcentes inciderint, aut adoleſcentium ſimiles ſenes. quos non eo defenſum. Veros quidem germanoſque Criticos magno opere ſuadeo uti retineatis. Magnarum arborum umbræ nos & altitudo delectant, radices ſtirpesque non item: ſimile in Correctoribus eſt, quorum opera, hæc incorrupta pulchritudo artium manet quas miramur; manebitque æternum, liceat modo per ignavos & inficientes iſtos, qui alienam operam invident, parci ipſi ſua. Ego P.C. ſic cenſeo.

Recitavitq; ſententiam è tabella, quã Senatus eſt ſecutus. & quam habes in SCto. Cùm dixiſſet Varro, incredibile eſt, quantum animi mutarint. Illi ipſi inter patres, qui infenſi anteà infeſtique Correctoribus, ſucclamarunt illud tritum in adſenſu, Omnes, omnes. *Correctores diſcurrebant læti, hilares, & tanquam abſoluti. Mea mens quæ? nolite*

nolite quærere. ereptus mihi videbar
--- mediis è faucibus Orci.
Nec tenui me, quin, ad Duzam reſpiciens, clamarem,
Vicimus, ô ſocii, & magnam pugnavimus pugnam.
Lucilii verſus.
Pauci tamen è pedariis, impedire aut differre rem conati, identidem clamabant, numera ſenatum. *Sed Varro, recenti inclinatione animorum utendum ratus, Conſulem admonuit, uti diſceſſionem permitteret, fieretque SC. Permiſit (Criſpo tamen prius in adverſa ſubſellia tranſire juſſo) in hæc verba.* Qui hæc ſentitis, in hanc partem: qui alia omnia, in illam partem ite qua ſentitis. *Pedibus plerique iere in ſententiam Varronis. Criſpus cum paucis remanſit ſolus. & videbatur interceſſorem quærere. Ibi Ovidius ludo nobis & ioco fuit, qui deſerto Criſpo ad Varronis ſubſellia tranſiit, non ſine perfugii nota, & poëticæ levitatis. Dediſſe id dicebatur recenti merito Victoris Giſelini. De illis hiſtoricus venientem eum apud ſe collocavit, & eodem elogio ornavit. Diſceſſione facta, Conſul dicis moriſque cauſſa addidit;* Hæc pars maior eſſe videtur. *Parabat etiam referre*

ſerio (nam Varro ſententia ſua breviter perſtrinxerat) de litigio inter Correctores, deque pace ineunda: ſed jam hora Decima erat, nec poſt eam fas incipere novam relationem. Itaque mittens Senatum, ſolemni verbo dixit Nihil moramur vos, P. C. *Illis conventus, mihi ſomnus ſolutus eſt.*

FORMA SC. TI.

M. TULLIO M. F. CICERONE. M. ATTIO PLAUTO COS. PRID. KAL. OCTOB. IN ÆDE APOLLINIS PALATINI, SCRIBUNDO ADFUERUNT, M. TERENTIUS VARRO, P. NIGIDIUS FIGULUS. VERRIUS FLACCUS. C. CORNELIUS TACITUS.

Quod M. Tullius Cos. * V. F. de Correctoribus, * D. E. R. S. ita cenſuit.

** Verba fecit.*

** De ea re Senatus.*

Correctores, hoc difficillimo rei litterariæ tempore, utibiles neceſſarioſque eſſe.

Non eos tamen promiſcuos: non indoctos: rupices, petrones. ſed qui conſilio, reque apſe juvare ſcriptores

ptores priſcos poſſint.

Ea re Senatui placere, uti lex Annaria ſervetur: neu quis minor xxv. annis Correcturam petere, gerere poſſit. quique aliter petierit, geſſerit, vitio creatum videri, & correctiones ejus in Acta non mitti.

In ſenibus depontanis, quique majores annis LX. ſirempſe legem eſſe.

Utique Cenſores M Fabius, Pomponius Atticus, alter ambove, de doctrina, deque moribus petitorum cognoſcant, ſtatuant, judicent. Quos hiſce admiſerint, probos eſſe: quos rejecerint, repulſos & reiiculos.

Si quis è libris bonis fidiſque correxerit, laudi ſemper eſſe. ſiquis è conjecturis, noxæ.

Niſi eæ claræ, liquidæ, certæ ſint.

Qui aliter cumque divinationibus uſus; in eo leges veteres & edicta de Mathematicis valere: Porcias, Fabias, Sempronias leges non valere.

Itemque quoniam duplex morbus Correctores pleroſque teneat, Litigium & Prurigo: utriq; rei Se-

natum proſpectum præcautumque velle.

De litigatoribus, uti, quicumque poſt hunc diem cum altero velitari, præliari, verbis, ſcriptiſve, auſus fuerit, eoſve in ludi gladium damnari; uti proximo munere, colligati inter ſe, pugnent ſine miſſione.

De Pruriginoſis, quos manum ſtylumque abſtinere à nullo loco audiant, ſano ſive inſano: uti Cornelius Celſus Ædilis diſpiciat, qui ex iis ſanari poſſint, quique non poſſint.

Qui poſſe videbuntur; eos deponi in templo Æſculapii quod in inſula eſt, ibique ellebori bibere quantum ſatis erit. Qui non poſſint; eos in exſilium ad Cimmerios deportari, ubi lucem non videant & libros non legant. Siquis ambiguæ valetudinis erit: eum ad tempus relegari in Atlantidem inſulam, ubi memorantur ſomnia non videri.

Quoniamque multi ex hoc ordine pulſatos acceptoſque indigne ſe à Correctoribus querantur; placere univerſis conſcriptis, eam injuriam contumeliamve impunem non eſſe, in vivis mortuiſque.

In

In vivis placere, uti L. Caſſius Prætor de cauſſa eorum cognoſcat. quoſque noxæ ejus compererit; eos, melle & ſeſamo oblitos, diem unum deſtitui ad caldum ſolem ſtylis veſparum & muſcarum.

In mortuis, uti Menippus Philoſophus, qui viam novit, ad inferos proficiſcatur, & cum Æaco de pœnis eorum agat.

Hæc ita cenſuerunt. Siquis huic SC. interceſſiſſet, placere, auctoritatem perſcribi, deque ea re ad Senatum populumque referri.

GULIELMI BUDÆI PARILIS LEX è libris de Aſſe.

QUI *diſcendi cupidi ſunt, juratiſſimi cujuſque ſcripteris majeſtatem comiter conſervanto.*

Quod ſecus (ut ſunt humana) dictum in eorum cujuſque libros irrepſerit, obrepſerit, fefellerit:

Qui de eo dicto indagandæ veritatis ergo addubitet, addubitaverit, quæſtionem referat, rettulerit:

Quod eorum ab unoquoque abſque dolo malo, livore animi, factum ſit:

Ejus rei multa ne ſit.

Nec bonorum offenſio, quod eſt inſtar ultimi ſupplicii.

IOSE-

IOSEPHO SCALIGERO IULI CÆS. F. S. D.

QUÆ luſi hoc biduo, mi Scaliger, ſuper ambitione & imperitia quorumdam, qui Criticos ſe dicunt (veros enim germanoſq; tangere mihi mens non eſt, non fuit) ea ad te mitto. Et puto favebis muneri non Editoris ſolum cauſſa, quem ſcio amas: ſed rei ipſius. quæ etſi ludicræ & propemodum ſcenicæ levitatis, habebit tamen fortean quod te delectet imagine aliqua priſci & non vulgati ritus. Te delectet, juventutem doceat: cui etiam remiſſiones noſtras volumus ſervire. Satyram inſcripſi & verbum minax fecerit imperitis

ritis fortaſſe terrorem. Fruſtra, quia ſine dente, ſine felle eſt: levi tantùm ſale inſperſa. Eoque adeò non bono: ut verear ne priuſquam in manus tuas venerit, putiſcat. Unum aut alterum tetigi pænè nominatim. ſed quid? in re adeò levi, ut optem, cupiamque, (quæ præjurationum verba ſunt,) IDEM IN ME. Tu tantum huic ludicro, ſpectator, applaude, mi Scaliger: flos unice noſtri ævi, & qui elogium illud gentis tuæ verum oſtendiſti, GENUS DEORUM. Vale.

AD LECTOREM.

QUiſquis eris, bone vir, Satyram lecture jocoſam,
Pone ſupercilium.
Seria ſcripta legas caperanti fronte licebit:
Hîc joca, nugæ habitant.
Vana tibi hoc ſchidium referet ludibria ſomnI:
Credere ne approperes.
Credenti nil ſcribo. meos quaſi ſomnia libros
Qui leget, is ſapiet.
Sed magis is ſapiet, qui non leget, & ſciet iſta
Affanias, apinas.

Ad Eundem.

QUædam *in hoc ſcripto obſcuriora fore juventuti ſcio, Lector: idque conſulto conſilio à nobis factum. Satyra enim aliter non fit. Simul excitanda & attollenda ingenia ſunt: ut aliquando pedes ponere diſcant ſine manuductore. Orationes, quæ inſitæ, proxime ad ſtylum cujuſque, ut potui, effinxi. Tibi ſi placebit hoc genus; nihil tergiverſor, quin brevi Funus & Triumphum (quæ adfecta apud me viderunt amici) exſpectes.*

FINIS.

SARDI VENALES.
SATYRA MENIPPÆA.

In hujus ſeculi homines pleroſq; ineptè eruditos.

PETRVS CVNÆVS SCRIPSIT.

In fine ſeorſim addita eſt ex ejuſdem interpretatione

D. JULIANI IMPERATORIS SATYRA

In Principes Romanos.

PRÆFATIO
AD
Ampliſſimos Viros
RUMOLDUM HOGERBETIUM
ET
APOLLONIUM SCOTTUM,
Supremæ Curiæ in Batavis
SENATORES.

OMNES homines, qui in rerum contemplatione magnum quiddam & ſingulare ſectantur, ſummâ ope niti decet, ut in vitam mortalium, inque mores eorum & inepta ſtudia diligenter inſpiciant. Qui enim ſcrutantur cœli plagas, ſiderumque magnitudines, & quicquid ſupra nos natura poſuit; præclaræ quidem rei laudem illi quærunt, cæterùm nullam ſolidam, nec eminentem effigiem ſapientiæ conſectantur. Etenim pro-

profectò, cùm homines, hoc eſt, magnæ hujus reipublicæ atque mundi cives ſimus; quicumque extra orbem & mortalitatis terminos vagatur, eum verò agere aliena ego, & nubes atque inania captare exiſtimo. Beata quædam & magna res eſt, quæ ante oculos poſita ſunt, videre, perque urbes hominum & domos ambulantem, vitia ſingulorum & errores contemplari. Hoc qui facit, ſolus rectè ſapere, & de humanâ gente benè mereri videtur. Enimverò ſic ſunt res mortalium. Verſat pleroſque & præcipitat ineptiendi libido quædam, diverſa illa quidem hercle & diſſimilis, ſed pariter tamen ridicula. Quemadmodum in ſylvis, cùm ignorantia viæ hunc dextrorſum, illum ſiniſtrorſum de rectâ ſemitâ abducit, idem error utriſque, ſed diversâ illudit parte: planè hoc pacto, mutatis interdum nominibus, unus ineptientium morbus eſt. Hæc formula, incredibile memoratu eſt, quàm latè pateat. Non enim intra plebem modò & pullatam multitudinem ſtat, ſed ſæpe graves quoque & ſpectatos homines tenet. Sunt in unaquâque gente quidam, qui pallio & habitu profitentur ſapientiam: viri (id quod nemo neget) utriſque auribus & oculis ſani, ſolam ſi mentem

tem excipias, quam haud viliſſimam noſtri partem eſſe, neſcio quâ perſuaſione, ſemper ego credidi. Quare iſti quoque, licet ſevero vultu, & tardis incedant paſſibus, caudam tamen trahunt, & de fœcundâ Meneni gente ſunt; cujus viri poſteros latè ubique per orbem poſuiſſe ſedes ſuas, olim pater Chryſippus, non vanus autor, dixit. Horum omnium judex & arbiter ſedet, quiſquis devitatis ſcopulis, circa quos mortalium vita hæret, ſemel ſeſe in melioris ſcientiæ ſinum penetravit. Illinc enim ſuave eſt ludibria rerum & illas ipſas cernere tenebras, in quibus hoc ævi, quodcunque eſt, degitur. Nimirum animus noſter, ubi per tot recti judicii impedimenta eluctatus eſt, multùm ſupra plebem eminet, nihilque amplius eâ causâ probare jam poteſt, quia vulgò & à pleriſque fit. Contrarium enim multitudini iter inſiſtit, & quæ omnium laudari audit ſuffragiis, unâ ſententiâ damnat. Cæterùm ab omni ævo nemo quiſquam tam efferatus fuit, uti voluptatis causâ, animo ſecuro atque vacuo, publica mala intueretur. Hoc enim verè eſſet inimicitias mortalitati, atque ipſi naturæ indicere odium. Igitur, quod longè optimum fuit, quàm quiſque longiſſimè ab alio-
rum

rum erroribus refugerat, tam maximè eiſdem facere medicinam conatus eſt. Atque aliis quidem alia (ut cujuſque indoles & ardor erat) inſectari placuit. Varia enim hîc & multiplex ſe rerum copia offert: nullaque vitæ forma, nulla officii ratio eſt, ex quâ non plurima, quæ reprehenſione digna ſint, arripias. Mihi autem eorum maximè ſtultitiam exagitare libuit, qui hoc ſeculo, cùm in doctrinæ & in his diſciplinarum ſtudiis verſentur, nihil hercle aliud niſi magno conatu magnas nugas agunt. Mirum enim in modum ab iſthoc genere mea ſemper ratio voluntasque abhorruit; & uti cuncti mortales eorum intelligerent vernilitatem, permagni exiſtimabam intereſſe. Equidem ego, cùm, ineunte adoleſcentiâ, circumſpectis rebus meis omnibus, diligenter etiam atque etiam cogitarem, quem me, qualemque eſſe, & quod ſequi vitæ iter oporteret, maximè in hac deliberatione ad naturam mihi meam conſilium eſſe omne revocandum intelligebam. Erat ante oculos omnis antiquitas, tot magna nomina, totque illuſtres animæ, quibus ad res in omni doctrinæ genere maximas perficiendas divinitus adjuncta quædam fuiſſe fortuna videbatur. Eorum inſtituta

cùm

cùm obſoleſcere pleraque, & ipsâ vetuſtate jam frigere cernerem, ſubiit animum meum indignatio multa & acerba, penè ut jam vitæ me atque hujus lucis tæderet. Quare, qui & naturæ meæ impetu ad hæc ſacra literarum ferebar, & afflari tamen nolebam contagione temporum, quæ pleroſque invaſerat: quod ſolum poteram, feci; collegi, inquam, memet ipſum, ut mihi & mecum viverem, cæteroſque res ſuas ſibi habere, & eſſe miſeros, juberem. Supererant etiam nunc excellentes & divini viri, qui veterum aut æquarent laudem, aut etiam vincerent; verùm & magnis eos ætatum intervallis ſciebam naſci, neque ex virtutis eorum contemplatione tantum ſolatii, quantum doloris ex aliorum inſcitiâ & ſtoliditate, capiebam. Prodibant quotidie ingentia & portentoſa volumina, quorum frigus tuſſim mihi & gravedinem ferebat. Ipſa rerum humanarum divinarumque regina ſapientia, pedem ubi poneret, non habebat, poſtquam regnum ejus invaſiſſent homines infeliciſſimi, quibus dii cuncti eſſe infenſi videbantur. Dixiſſes, eos aliquod bidental moviſſe, aut patrios temeraſſe cineres. In tantâ delirantium inſaniâ, ſicut temeritatis erat, multa moliri, ita rurſus

ſus ignavi hominis videbatur, prorſus nihil agere. Videbam perpaucos eâ animi æquitate futuros, uti judicium noſtrum, reprehenſionemque ferrent volentes: & tamen cupiebam exſtare aliquod ingenii noſtri monumentum, ex quo intelligerent aliquando poſteri, vixiſſe me ab iſtorum hominum ſtudiis diſſentientem. Igitur, uti & animo meo morem gererem, & cæterorum declinarem ſævitiam atque tempeſtates, adjeci animum meum ad id ſcribendi genus, quod multâ dulcedine temperatum, nihil ſpiraret niſi jocos atque ſales. Ita enim perſonis peperci, uti vitia non præterirem; &, cùm res perſequerer graves atque ſerias, blando tamen riſu prætexui fraudem. Næ illi, qui hæc innocua ferre non poterunt, nimium ſunt faſtidioſi. Quid enim facerent, obſecro, ſi eâ uſi verborum libertate fuiſſemus, ad quam compellere nos maximorum hominum vel authoritas poterat, vel exemplum? Verùm ego nec veniam nunc peto, neq; invidiam deprecor. Etenim, ſi fato nobis is ſit reſervatus gloriæ fructus, uti retinuiſſe quoſdam ab ineptiis videamur, ſanè rem magnam fecerimus. Quod ſi obſtinatis animis contra ibunt, & me meaque damnabunt homines putido cerebro:

bro: nihil morabimur. Pro more enim ſuo, atque pro ingenio facient, qui pridem jam bonæ ſpei decoxere. neque unquam verò id ſiverit genius meus, uti pulpita & tribus eorum ambire, aut ſuppliciter prenſare quenquam digner. Bonis quidem hercle, eruditisque, abunde, opinor, animum expleverim: &, ut jam maximè cæteri reclament omnes, tamen ſi tibi, ſumme Hogerbeti, tibique, Scotte ampliſſime, non omninò diſplicebimus, magnum me jam non hujus modò operæ, ſed vitæ totius tuliſſe fructum arbitrabor. *Vos mihi duo pro univerſo populo eritis*; veſtris in oculis ego me, & juventutem hanc meam, quaſi in aliquo orbis terræ theatro, verſari credam. Equidem ex quo tempore cogitationum vos mearum, conſiliorumque omnium autores feci, inſolito quodam impetu excitavit ſe animus meus, & ardorem ipſe ſuum miratus eſt. Iam enim omnia concupiſcere præclara, ingentia, exacta cœpit, quæ antea non dicam aſſequi, ſed omninò, cujusmodi eſſent, perſpicere nequiverat. Videbam ego, vos, cùm in excelſo ætatem ageretis, civibusque veſtris, Batavis & Zelandis, latè diceretis jura, inter tot ſummæ dignitatis inſignia nullum habere ornamentum iſto faſtigio dignius.

dignius, quàm eximiam atque inuſitatam eruditionem. Itaque libenter vos eâ parte intuebar, quæ publica non eſt: nimiumque eſſe iniquos rerum æſtimatores putabam, qui fortunam potius veſtram, quàm vos, colerent. Quod tamen ii profectò faciunt, qui quotidie atria veſtra obſident, & aut ſua vobis, aut amicorum commendant diſcrimina. Nemo oves meas, nemo armenta abegit, neque in agris noſtris pauperiem fecit vicini quadrupes. & tamen vos eſſe judices mihi arbitrosque cupio, ſed nimirum illius cauſæ, quæ, procul à foro veſtro, in eruditorum agitur republicâ: cujus & vos principes eſtis, & ego me civem profiteor. Nuper ſtatus controverſiam movi ineptis febriculoſisque hominibus, qui mihi decus, majeſtatemque doctrinæ, ſuis ſordibus conſpurcare videbantur. Eam litem uti ſecundum me dare velitis, etiam vos atque etiam, Ampliſſimi Senatores, rogo quæſoque. Omnes eruditorum familias, & genera diverſiſſima, attigi; ac de ipſis quoque theologis, penes quos eſſe nunc regnum, & ſumma ſcientiarum, creditur, non pauca dixi; ſed eâ lenitate & modeſtiâ, quam & tu, divine Hogerbeti, à me exegiſſes, ſi conſilium tibi expoſuiſſem meum; & tu, Scotte maxime,

maxime, jam certè non improbabis, qui antea illum ordinem præteriri à me potuiſſe exiſtimaſti. Paucos quoſdam, eosque degeneres & pravos, leviter notaſſe me fateor, nec muto factum. de cæteris, ſanctiſſimis, integerrimisque viris, quorum eſt innumerabilis multitudo, omnia magna ſentio; iisque uti decus ſuum atque honos conſtet, è republicâ eſſe humani generis, & credidi ego ſemper, & in poſterum non obſcuris monumentis teſtabor.

PRÆSCRIPTIO AD LECTOREM.

QVoniam rem haud novam quidem, ſed calumniis tamen obnoxiam inceptamus, periculum eſt, lector, ne quis tibi error offundatur. Scio eſſe homines quoſdam malè feriatos, qui ſimul atque ſcripta hujuſmodi, in quibus vitiorum eſt vituperatio, attigerint, ſtatim ingenium advocant, & quid cuique aptari poſſit, aut in quem dictum quidq; ſit, curiosè ſpeculantur. Quod in mente nobis neque fuit, nec erit unquam, tamen ii ſcient; &, cùm aliquem jam ſibi, quem ipſi læſum eſſe cupiant, opinionis errore confinxerint, applaudent induſtriæ ſuæ, & favebunt vapulanti. Hic eſt ſuccus loliginis, hæc mera ærugo, quæ ubi animos ſemel infecit, ilicet, actum eſt, periimus. Nos neminem ſcientes læſimus. Procul hoc vitium non à chartis modò iſtis, ſed à pectore quoque noſtro abeſſe palam omnibus teſtatum facimus. Si quis aliter cenſuerit, injuriam faciet ſimplici-

tati

tati meæ. Etenim, qui paucis notus, paucioribus verò familiaris eſſe ſtuderem, ita ſemper vixi, uti & illos ingenuitatis meæ, & hos haberem fidi amoris teſtes. Quare nec in illos dicere aliquid aſperè debui, & in hos non poteram. Qui incogniti mihi, quique viſi nunquam ſunt, nimis imprudenter facient, ſi ſe ipſi prodant. Sed hæc levia puto. Cætera, quæ pro theologis dici intelligo, invidiæ augendæ ſunt. Poſtquam enim in univerſum de iis omnibus, qui inter eruditos ineptiunt, aliquid dicere conſtituiſſem, jam aut imprudens videri poteram, ſi homines ſapientiæ ſacris initiatos non numeraſſe in eruditis; aut ſtupidus, ſi quoſdam eſſe neſciviſſem, qui divini illius ordinis vibices atque maculæ ſint. Neque verò cauſam reperiebam, cur leporibus, innoxiis profectò, & (quod caput rei eſt) Romanis, ludere in eos haud liceret, qui quotidie, cùm inter ſe ſibi non parcant, quæcunque plebeio ſermone ſcripsêre, pueris omnibus ancillisque à furno & lacu redeuntibus cupiunt eſſe notiſſima. Infelici

medius

medius fidius ſeculo vivimus, ſi leves hos jocos verſari in eruditorum manibus dolent, ſua autem ipſi acerrima dicta à proletariâ multitudine legi de plano non indignantur. Quæ in controverſiis poſita ſunt, de induſtriâ præterivi. Etſi enim, quid de iis ſentiam, apertè dicere veritus nunquam fui, tamen non erat ei rei in ſatyrâ locus. Ad mores tantùm hæc, & ad vitam quorundam pertinent, neque obſcura ſunt, ſed in oculos incurrunt. Itaque ubi invidia deceſſerit, ipſi hæc & vera cernent, &, culpanda eſſe, haud negabunt.

SAR-

SARDI VENALES.

SATYRA MENIPPÆA.

In hujus ſeculi homines, pleroſque ineptè eruditos.

BONA fide agam. nihil eorum, quæ ſcripturus ſum, verum eſſe ſcitote. Ridere, ac nugari, & quæ nunquam facta ſunt, narrare libet. Nemo prædictum ſibi neget. Equidem ſic à maximis viris accepi, totum hoc admodum leve & veniâ dignum eſſe, mentiri: turpiſſimum verò & improbum, fallere mendacio. Et tamen hoc ipſum profectò quotusquiſque non facit, etiam ex iis, à quibus verum, ceu à jurato teſtè, exigas? Eſt genus hominum, qui rerum memoriam annalibus conſecrant: qui ſeria omnia profitentur, & ſevera. inſpicite libros eorum. nulla pagella eſt, quæ mendatiolo aſperſa non ſit. Quàm libenter urbium origines ex alto repetunt? quanto apparatu montes perfodiunt, aut contegunt maria, aut fluvios

epotant uno prandio? Ubique pannus aliquis ex purpurâ, qui latè ſplendeat, intexitur. Sæpe, ubi in arctum deſiluerunt, unde pedem referre nequeunt, accerſitur è machinâ deus. nam oracula quidem, & cœleſtes voces toties audio, ut jam penè hominum linguam neſciam. Habet hoc vitii illa natio. cùm ſit periculum in nullo mendacio majus, tamen ni inſolens aliquid, & inauditum memorent, lectorem dormiturum putant. miraculo excitandus eſt. Ita omnes è compacto rem gerunt, quaſi olim in Velabro olearii: peſſimo medius fidius exemplo. Nobis ſine noxâ cujuſquam quidlibet excogitare datum eſt. non enim miſerorum credulitati illudimus. & præterea, ſi Jovem è tenui filo terram & cœlum ſuſpendiſſe fingamus, metus non eſt, ne, illo rupto, fractus labatur orbis. ſtat enim, ſtabitque hæc rerum univerſitas, etiamſi nobis malè commentum proceſſerit. Sed jam non diutiùs moror exſpectationem veſtram. Scio quàm ſit odioſa Circenſibus pompa. Et alioqui non deſunt putidiuſculi, quibus magnam libri partem fanatica molitio abſumit. mox, ubi ſemel tandem ad rem venêre, fumum ex fulgore dant.

Nudiustertius domum reverſus

ſus ſum è peregrinâ regione, quam nec oculis ſuis nec auribus uſurpavit quiſquam. In hac multa vidi memoratu digna, nec unquam vulgata prius. Quæ ediſſeram ordine univerſa, ne tantæ rei memoria pereat. Heracliti divinum ingenium antiquitas celebravit, ejusque ſcita mirati potiùs homines ſunt, quam intellexêre. Ex omnibus tamen illud apertum eſt, ſi quid video, & mirè planum. Vigilantibus unum communem mundum eſſe cenſuit; dormientes in ſuum quemque diſcedere. Mihi quidem certè illius rei fidem nuper fecit mirificus quidam caſus. Iam diurnis laboribus feſſus eram, jam quieti me dederam, cùm animus meus incidit in varia viſa, ex reliquiis, credo, earum rerum, quas vigilans agitaverat. Viſus mihi ſum in iis locis verſari, quæ longè extra ſydera, extraque anni & ſolis vias erant poſita. Ubique deſertiſſima ſolitudo, & magnæ cujuſdam intercapedinis vaſtitas. Hìc, dum tacitus mecum miror, quis me deus ex illa hominum frequentia ſublatum in tam deviis ſpatiis collocaſſet, ecce è longinquo ad me feſtinat ſenex quidam naſo adunco, capite calvo, hirquinâ barbâ, vultu ad nugas & riſum compoſito. Ex habitu facilè conjectabam, de qua gente

eſſet. pallium enim ei undique pertuſum & lacerum erat, Græculi philoſophi geſtamen. dextram baculus fulciebat. ſiniſtrum latus tegebat ingens pera. ex qua identidem lupinos & legumina, per ludum & jocum, objectabat naribus comitis ſui, hominis triſtiſſimi, & cujus faciem pallor, pectus multus ſanguis tinxerat. Interrogandi locus hîc erat: & ſtatim, mi pater, inquam, per genium tuum, perque dextram te rogo,

Dic, quo ſub cœlo tandem, quibus orbis in oris Iactemur?

aut ſi Græcè magis calles;

τίς γῆ, τίς δῆμος, τίνες ἀνέρες ἐγγεγάασι;

certè enim ignarus erro hominum & locorum. Tum ille aliquantiſper cunctatus, veluti re novâ obſtupeſcens, Profectò, hoſpes, inquit, nequicquam deus hæc ſpatia, ſedesque ab orbe veſtro abſcidit, ſi tamen vos terræ fines tranſilitis, & hæc ignota ac peregrina viſitis. Nihil deinceps mortalibus arduum erit. cœlum ipſum adibitis tandem, & quicquid præterea homini, dum in terrâ vitam agit, negatum eſt. Scito tamen in Epicuri intermundia te veniſſe, quæ nemo ante te corpore ſuo & iſtis membris preſſit. Nam nos quidem umbræ ſumus, & imagines defunctorum, quibus hâc tranſire

ſire jus eſt in diverſa regna. Ergo, inquam pater, ſi hoc verum eſt, deum illius magiſtri modò vidi, quem ille, tanquam inter duos lucos, ſic inter hæc mœnia habitare dixit, metu ruinarum. Obtulit enim ſe oculis meis quiddam planè diſſimile vobis, quod quale ſit, explicare non poſſum. admirabili quidem celeritate huc illuc movebatur. Labia diſtorſit ſalſiſſimus ſenex, & ſubridens, Erras, inquit, fili. ſomnia enim ſunt, quæ de numine ſuo finxit ille. Cæterùm ſunt in terris theologi quidam, homines cenſorio ſupercilio, qui uſque à cunabulis ſapiunt. hi, cùm in anguſtâ cellâ, ſeptem penulis involuti, auribus modò exertis, ſedent, ſæpe occultâ quâdam & igneâ vi ſic rapiuntur, uti è pectore illis unà cum ſenſu mens evolet, & in hæc loca ſe penetret, ubi ex magno illo inani nugas quaſdam evanidas, & ſubtilia deliramenta captat. mox in domicilium ſuum redit, illudque fumo totum replet & ventis. Cùm deſiiſſet, plaudere dicto ſuo, & gaudere urbanitate illâ viſus eſt. ita oculos malè argutos jactabat. Ego Cynici pus atque venenum ſenſi, qui, dum riſum excuteret ſibi, nemini parcebat. Interim in alieno regno omnia tuta metuebam. quare nihil reſpondere auſus

 fui.

fui. Indignabar tamen, ludos mihi fieri à nequiſſimo ſene, quos fortaſſe illi mortuo nemo quiſquam fecerat. Ille, ut me preſſis labiis murmurare vidit, Tibi quidem nunc, inquit, ego aliud agere, & jocari videor. Atqui certa res eſt. &, ſi amplius dubitas, fidejuſſorem tibi hunc ipſum, qui mecum eſt, accipe. Viden' tu lacerum illud os, & recens ejus vulnus? Nimirum iſte, quod ſcias, heri obiit, hoc eſt, viginti annis ante ſuum diem. Mercurius autem, qui nihil, niſi quod Parcæ ex tabellâ recitant, facere ſolet, hunc mortuum aut neſciit, aut neglexit. Errabat ergo viæ ignarus, donec me ſibi ducem reperit. Non ſum infenſus ſapientibus veſtris, viris, ut plerique putant, cordatiſſimis, à quibus me longa ſeculorum ſeries diſpeſcuit.

οὐ μὲν πώποτ' ἐμὰς βοῦς ἤλασαν, οὐδέ ποθ' ἵππους.

ſed tamen, quod dicendum hîc ſit, omnis cauſa hujus mali ab ipſis eſt. Vitam enim hominum multis erroribus involuunt, dum quæ ſupra vos ſunt, quærunt, eaque ſpargunt in vulgus. Nuper, ecce, contentio inter illos orta eſt de fato, re anili ſanè & plenâ ſuperſtitionis. Certatur quotidie minutis concluſiunculis. gliſcit morbus, & jam ſutores ac fabros tenet. Omnia theatra & tonſorum umbræ iſtis nugis

nugis perſonant. Certè heri, cùm ad forum deſcendiſſem, uti amicis meis, Cynicæ familiæ viris, lupinos & fabas aliquot emerem Pythagoræ cognatas, duo ſcurræ cum fartore, & tres ſalſamentarii, neſcio quod æternæ legis imperium, & neceſſitatem loquebantur inevitabilem. In iſto hominum ordine, cùm quidam animo, qui eos gubernat, infirmo ſint, fit, ut, qui capere iſta nequeunt, in furias & in deſperationem agantur. Ita vis dementiæ in atram bilem erumpit. Ipſe ego, qui hoc triduum terras perambulavi, vota publicè in omnibus templis facta vidi pro furioſis, & mente captis. ille pro patre orare, hic pro filio, alius cognatum commendare, aut fratrem, quem fanaticus error urgebat. Ex his noſter iſte, quem duco, unus eſt. cùm enim miſerrimus bipedum multa animo ſuo agitaret, neque exitum poſſet reperire intricatæ rei, nobili facinore ſe expediit. ferrum ſibi in jugulum adegit: ſatis, ut ego opinor, imprudenter: controverſiam enim eâ parte decîdit, quâ minimè oportuit. Hæc dum ille dicit, nihil alter niſi graviter ingemiſcere, & flere, & manu objectâ vultum tegere. Ego ejus caſum miſeratus, non continui me, &, Infelix, inquam; quid tibi in men-

te fuit! aut quid ad te pertinebat ſapientum noſtrorum digladiatio,

--- *& inſidos agitans diſcordia fratres*? Interpellans ſenex, Illum quidem, inquit, deus ſuus iratus extinxit. & ſi ab Homero oraculum vis,

ὅ'σεν ἑ δαίμονος αἶσα κακὴ, ϗ ἀθέσφατος ὄνω.

ego autem, etſi, ut hoc diei tempus video, aliò feſtinabam, tamen pii viri officio fungar. hominem enim errabundum, in Acherontis ripâ ſiſtam, uti illinc ad quietas animatum ſedes mittatur. placet hoc, quicquid eſt, humanitati dare. Tu, ſi plura ſcire, hoſpes, cupis, ſequere. & jam cum dicto perrexit. Oblectavit me tam liberalis invitatio: & magna me ſpes habebat, futurum, uti multa diſcerem. Quare comitem me illi do, & impari paſſu, hominis adæquo greſſum, mirè lentum, & quaſi fuceretum cribro pollinario. Inter eundum autem, ut fit, cùm multa cogitarem, ridiculum videbatur, quod dixerat, duce ad Acherontem opus eſſe. acceperam enim nihil facilius eſſe deſcenſu Auerni. quippe clauſis oculis illuc iri. tum & ipſe quis eſſet, quò tenderet, aut in terris quid rei egiſſet, neſciebam. Quare jam rogare pluſcula tentabam, cùm ſubitò rerum quâdam novitate animus & oculi in diverſa trahebantur.

tur. Procul enim ſe aperiunt campi latè patentes, & murmur auditum, quaſi æſtuantis aquæ. ſtagnum deinde ingens, & ripa appâret, in quâ ibat hinc inde numeroſum agmen. Ab aliâ parte Mercurius accedit; cum petaſo & pinnulis, homo juvenis, qui virgula ante ſe agebat quantum mortuorum dederat illa dies. Quem ut vidit noſter ſenex, nequiſſime deorum, inquit, ut numquam diligens es! Elapſus tibi hodie eſt miſer iſte, quem tu accipe, & duc cum cæteris. Inſpeximus deinde ſingulos valde curioſè. plerique peregrini erant, è Gallis, Hiſpanis, Italis. quorum maximam partem vis, aut dolus acerbo funere peremerat. E gente noſtrâ unum agnovi, quem paulò antè in aulâ videram, purpurâ & oſtro fulgentem. Nunc nullo excellenti habitu, & pari lege cum cæteris in cœlum deſcendebat. Quod ut ſenſi, ſuſpirium ab imo pectore duco, & jam conſilia hominum ac vota damnabam magnarum cogitationum. Dii, deæque, inquam, quid ſumus? adeóne nihil eſt, quidquid honori & ambitioni velificamur! Non vacabat Mercurio declamatorem audire. quare gregem ſuum porrò agit. Vnà pergit purpuratus ille, ſed cum majeſtate. Siniſtram enim adhuc quaſi codicil-

lis onuſtam gerebat, & epiſtolis hinc inde prolatis commodabat gravem vultum. Salutantem me clauſo labello, & flexo in tergum capite reſpexit. Adeò faſtidioſi ſunt in aulâ plerique. ubique è clientibus aliquem ſibi credunt occurrere. Poſtquam abiiſſent illi, & nos ſoli eſſemus, vultum adſeveravit ſenex, & his verbis ad me loqui cœpit. Quandoquidem, adoleſcens, ſemel jam terræ clauſtra, & mundi obices perfregiſti, certumque tibi ſtat, fines ſcientiæ paulo longius, quàm natura voluit, proferre; favebo profecto fervidæ virtuti tuæ, & fortunam iſtam, quantum poteſt, adjutabo. Ego Menippus ſum, famæ celebritate ſuper aſtra notus. E terris autem venio, quò ſæpe excurrere ſoleo, uti res hominum viſam. Nunc ad rempublicam noſtram, in quâ eruditorum manes ſeorſim ætatem agunt, proficiſcor. Ita enim res eſt, hoſpes. Non omnes, quod tu exiſtimas, ad Tartari ſedes & Ditis ad regnum mittuntur: ſed fatum quoddam ſingulare eorum eſt, qui in terris dum eſſent, doctrinæ ſtudia ſecuti fuerunt. Iacet in propinquo inſula, cui nullam in orbe veſtro ſimilem eſſe fateberis. Ea magnitudo illius eſt, & amœnitas; ad hoc, præclara multa & admirabilia, quæ nun-

nunquam ſuſpicati eſtis. Hìc gens illa noſtra in rebus jucundis & bonis vitam quandam vivunt deorum. nam & otio omnes fruuntur beato, &, ſi qui ſunt, quos olim fames, fideliſſima comitum ad mortem uſque proſecuta eſt, ii hîc omnibus copiis & voluptatibus affluunt. Cæterum, quod in maximâ felicitatis tuæ parte ponendum eſt, benè atque in tempore tibi nunc terras relinquere, & huc evolare contigit. Hodie enim in regno noſtro res maximi momenti certabitur, quæ mirè ſollicitos habet pleroſque novos cives. Adeò nulla eſt felicitas, quam non aliqua parte ægritudo contaminet. Audiviſti in cœlo majorum gentium deos ſæpe turbas dediſſe, cùm novis quibuſdam & adſcriptitiis civibus ſtatus controverſiam moverent. Idem quoque apud nos nunc fit. non enim contendendi libido, quæ eruditos in terris inquietat, eoſdem, cùm illinc exceſsêre, deſerit. Atq; olim quidem eâdem æqualitate omnes in rep. continebantur. civibus communia inter ſe erant jura, ſuffragia, & conſuetudines. Poſtea, ut nihil perpetuum eſt, populi imperium in paucorum potentium jus atque ditionem conceſſit. cùm enim plebem ex otio & ſecundis rebus invidia ac æmula-

tio cepiſſet, optimates, occaſione uſi, in alias partes ivêre. Populi vis ſoluta & in plures diſperſa nihil potuit. cæteri, cùm factione magis pollerent, paulatim rempublicam occupavêre. Hi annuos magiſtratus creare primi & gerere, populum ſuffragiis privare, dignitates mandare clariſſimis è ſuo ordine, quos omnis ætas tuliſſet. nihil enim refert quando aut ubi vixerint. Virtus & eruditio, non ſeculum nec anni æſtimantur. Ex hac rerum mutatione illud adeò, quod dicere cœperam, accidit. Iam ab annis aliquot indies apud optimates magis evileſcere cœperunt iſti ex plebe eruditi, & hęc proletaria turba, quam veſtra nunc ætas ſine fine aut modo ad nos tranſmittit. Tanta barbaries orbi veſtro incubuit: & id ſeriò triumphant, quotquot ex illa fæce ad nos veniunt. Igitur nuper frequenti conſeſſu proceres in medium conſultavêre. pars ſic cenſebant: quoniam ſumma nunc poteſtas eſſet penes viros antiquâ & probâ eruditione, ſedulo cavendum eſſe, nequid reſpublica à novitiis detrimenti caperet, quorum plerique nihil eſſent, niſi probra & dehoneſtamenta tanti nominis. agerent porrò, & viderent; ne jus civitatis commune omnibus foret. indignos ejectum irent, finibus arcerent. cæteros,

teros, qui venturi ſint, cum delectu virtutis admitterent. id adeò facile eſſe, & in manu illis poſitum. ita futurum, uti in rep. beatiſſima nihil ſuperſit, niſi flos delibatus doctrinæ. Contra hæc alii nitebantur, quibus ſtudium manſuetudinis & modeſtiæ erat. monebant moderatè agendum; ſecus non imperium, ſed tyrannidem agitari. & quid tandem futurum eſſet miſeris civibus? ſaltem cogitarent multa pro illis dici poſſe. cauſam eorum nondum damnatam eſſe. defenſores eis darent; reos agerent publico judicio. Ea res diu agitata utrinque fuit. Tandem decretum hujuſmodi fit; Velle ſenatum, intra quintum diem omnes regulos in unum convenire: ibi quemque contra novitios, aut pro illis, quæ ſentiret, afferre: pòſt ex copia rerum ſtatui, quid de his fieri placeat. Locus, tempus conſtitutum eſt. atque adeò nunc dies comitiorum illuxit. Tu, adoleſcens, ades, & para te ad pulcherrimum ſpectaculum. Me vide. omnia tibi tuta ſunt. fide & periculo meo ibis. Quæ cùm dixiſſet, ſtatim animi lætitiam vultu prodidi, &, ô me felicem, inquam: ego verò, pater, ſequar te, ac libens. Nihil deinde cunctati ſumus; ſed primùm ſylvam ingredimur denſam & aſperam, in qua ſe-
cretum

cretum loci & proceritas arborum, horrorem mihi fecêre. Hanc ubi erepſimus, flumen nobis ad ſiniſtram occurrit, quod verſus orientem labitur, & inſulam à continenti dividit. In ulteriore ripâ ingens turba ſtabat. qui ut Menippum agnoverunt, cymbam expediunt, & portitorem ad nos mittunt. ille nos receptos trajicit. Tum ſenex meus, ſimulac pedem è ſcapha extuliſſet, Salve, inquit, gratiſſima tellus, & vos fratres mei, eruditæ animæ. hominem vobis ex ultimâ regionum Bataviâ adduco, nondum fato functum quidem, ſed noſtris tamen literis & ſacris initiatum. quem vos, ſi quid me auditis, carum, acceptumque habetote. Hæc & alia, quæ in rem forent, cùm pro me dixiſſet, illi circumfuſi illicò dextras mihi injiciunt, &, Quiſquis es, inquiunt, noſter eris. Inde digreſſi, in planiciem imus æquis ſpatiis porrectam, unde, qua viſus patebat, omnia luſtrabam. circum hanc colles undique erant, quos paſſim fluvii interluebant vino & melle currentes. Cives non urbibus, neque domiciliis tenebantur, ſed catervatim, uti quoſque fors conglobaverat, ibant per loca pura atque innocentia, fruebanturque ſedibus ſacris. quidam, inter roſas & myrtos fuſi, corollas nectebant,

bant, aut aliud agebant denique. Ager, frugum & herbæ lætus, ſuopte ingenio alimenta gignebat. Ver perpetuum erat, & Zephyrus, florum pater, toto anno per virgulta leni errabat ſuſurro. Verùm naturam loci, & alia, quæ ibi ſunt, parum ſtudui perdiſcere. in civibus magis hærebam tam diverſo vultu, & non unius ſeculi. quorum patriam & gentem dum quæro, Menippus ad ſiniſtram converſus, gregem novitiorum mihi oſtendit, &, Iſti omnes, inquit, populares tui Belgæ ſunt, quos nuper una dies nobis dedit. dein nominat ſingulos. ibi ego ſtupeſcens, Magnus verò, inquam, proventus, ſi unius anni foret. ſed obſecro, pater, num ludis tu me? ego hos non modò in eruditis habitos, ſed omnino natos eſſe neſciebam. Imò, ut vides, inquit, res eſt. hi cives noſtri fiunt. neque intelligunt miſeri, in ſe nunc hanc fabam cudi. Nos interea loci ad antrum quoddam venimus, quod in ſeceſſu ſtabat, incultum tenebris, circiter LXXXV pedes humi depreſſum. Ubi paululum deſcenderis, ad lævam fores ingentes ſunt, ferreo vecte clauſæ. quas ubi aperuit ſenex, puteum mihi monſtrat, in quo ſpeculum erat pariter ex parte omni globoſum. &, Vides, inquit, imperii noſtri arcana.

quippe

quippe huc proceribus noſtris, quoties libet, deſcendere jus eſt, & quicquid in terris uſpiam fit, cognoſcere. ego cùm propius acceſſiſſem, uno obtutu cernebam omnes ubique

Terráſque tractúſque maris. ---
recludebantur omnium ædes. nihil in receſſu ullo, neque in penetralibus tam abditum fuit, quod videre & audire non poſſes. Murmura quoque ſingulorum & ſuſurri quaſi coràm audiebantur. Quidam rabulæ in fas nefaſque verba ac iras ſuas locabant. Novercæ herbas & verba miſcebant non innoxia. Matronas permolebant adulteri, diverſo quiſque fato. Puella quædam in ſervi complexibus, ignarâ matre, movebatur, ne primâ nocte virum timeret. Cæterorum erat ſpecioſior occupatio. ille in ſeducto ædium receſſu ſuas alienasque fortunas ſpe metuque verſabat. hic magnatium pererrabat fores, & ſervulis eorum innotuiſſe pro magnifico ducebat. Alibi in Academiæ umbrâ, ſcientiarum doctores ambulabant non indoctè. quibuſdam in facie ſedebat miſeræ magnæque invidiæ pallor. quippe dolebant, alium à pluribus adoleſcentulis audiri. hoc illis febris eſt. Magna mihi copia eſt memorandi, quibus in locis turpiſſima patrari ab iis viderim,

rim, qui animum vultu, flagitia parietibus tegunt. Verùm ea res, ut eſt ejus multa ac magna diverſitas, longiùs nos ab incepto traheret. Poſtquam inde egreſſi ſumus, concurrere undique magnam civium multitudinem videmus. Jam enim ex ſenatus decreto edixerat præco, uti ad ædem Pædiæ frequentes adeſſent. ibi verò permoti plebis animi, atque immutata omnium facies. ſuo quiſque metu pericula metiri, feſtinare, trepidare. Nos in turba luctamur, & injuriam tardis facimus, donec ad Pædiæ perventum eſt. Templum vetuſtum fuit, de marmore ſtructum, ubi ſanctiſſima diva, cujus in fide eruditi ſunt, perpetuis colitur honoribus. circum hoc ſedes & ſubſellia latè diſpoſita fuêre, quæ armis cingebantur. ſenatus enim ſine tumultu præſidiis collocatis, uti res atque tempus monebant, milite ſe munierat. Iam autem ex templo procedebant proceres, purpureo amictu inſignes, & ſubſellia implebant. Totidem deos cernere te putaſſes. tam ſingularis majeſtas in ſingulis, tantus decor in vultu erat. Sedebant veteres Græci, Romanique, & barbari: tum è recentibus, Galli, Itali, Belgæ, Germani. breviter, quicunque ullo ævo, aut uſpiam exſtitiſſent ingenii

genii & doctrinæ principes. Unus erat inſignibus imperii, & cætero habitu auguſtior, qui loco celſiore, & aureâ ſellâ comitiis præſidebat. quem ut conſpexi, faciem viri, magis ex imagine ejus, quàm ex ipſo, agnoſco: & ad proximum, quæſo, inquam, num hic Eraſmus noſter eſt? Ille annuens, nihil erras, ait. ipſe eſt. ſcito autem annuâ poteſtate principatum in hac republicâ geri. id imperium forte quadam nunc Batavus ille veſter tenet. cæteri, quos vides, diverſâ quiſq; dignatione remp. adminiſtrant. ita ſe mores habent. Inter hæc præco exurgit, & ſilentium facit. Simul princeps, ſceptro eburno nixus, ſic infit:

DII *manes, non inſciens, neque imprudens ſum, quantâ in invidiâ res hæc ſit, quæ me principe agitur. Nam & quos ſemel receperis, civitate everſum ire grave eſt: & qui deinde affluent, ſi aditu prohibeantur, ego autor dicar: meum id cuncti, non veſtrum factum cenſebunt. Quippe in imperio, quod veſtro juſſu nunc teneo, hæc iniquiſſima conditio videtur, quòd, quæ omnes malè conſultavêre, uni imputantur. Et tamen, dii manes, vos ego teſtes habeo, ex quo princeps factus ſum, leniter me remp. rexiſſe. Verùm, quoniam vobis id in pectore conſilii eſt, ut parandi juris, & Majeſtatis*

con-

conſtituendæ gratiâ, de indignis civibus ſententiam feratis; quod diu agitatũ inter vos eſt, tandem me dolente fiat. Equidem ego ſic apud animum meum ſtatuo, valdè id ad gloriam meam pertinere, quòd mihi nunc, quicquid in perniciem publicam invaluit, corrigere licet, atque ejus rei fructum percipere, quem maximè peto, uti optimi ſtatus autor dicar. *Sed me rurſus ille metus ſolicitat, ne vos contemptor animus & lubido, commune noſtri ordinis malum, à recto bonóque tranſvorſos agat. ex quo enim tempore populus, libertate amiſsâ, jus imperiumque noſtrum accepit, quàm immenſa ſit noſtra poteſtas, ſcitis. Ex noſtro nutu lætitiæ dolorisque cauſas cuncti concipiunt; nos fortunam, & alia, quæ avidè cupiuntur, donc damus: quos cives in bonis maliſve rebus eſſe, quos proſcribi oporteat, noſtra juriſdictio eſt. Hanc tantam facultatem rerum in ſuperbiam & libidinem vertere, proclive eſt. quippe hâc animi infirmitate ſumus; magnæ potentiæ nihil citiùs deſit, quàm moderatio ejus. Quod ego vos moneo, quæſoque, dii manes, uti animadvortatis: neu cogitetis fore, uti miſeros advenas, inauditos & indefenſos, tanquam innocentes proſcribam. Cerno ego pleroſque veſtrûm, huic novitiæ genti mirè infeſtos eſſe. ſed magnam rurſus partem eidem*

dem favere, id quoque ſcio. neque id adeo mirum videri debet. quippe illos ipſos multum reip. noſtræ addere, ac benè de ſcientiis, diſciplinisq́ue mereri, fortaſſe haud negandum eſt. Quare, quoniam publici judicii mos ſervandus eſt, vos univerſos, dî manes, ipſa res huc vocat, uti pauci quidam è vobis, quæ optima poſſunt, adverſus novitios, proque illis dicant. Ita re diſceptatâ, quid agendum porrò ſit, conſuletur. Ea vera atque ſimplex via eſt ad benè judicandum. Quæ res igitur mihi principatuique meo, populo plebique eruditorum benè atque feliciter eveniat, qui novos cives accuſare aut defendere vultis, ſurgite, poſt unà omnes ite in ſuffragia.

Finierat ille. & jam de his, qui dicturi eſſent, agitabatur. nec initio inter omnes convênit. tandem, quoniam proceres non unius ſeculi gens eſſent, neque ad cunctos pariter res pertineret, viſum fuit accuſandi poteſtatem iis facere, qui ante Eraſmum, & poſt eam tempeſtatem, extinctum jam ab immaniſſimis gentibus eruditionis nomen excitaſſent. Quorum ſanè ingens ſedebat multitudo, eosque maximè permovebat recens nata barbaries. Quare nemo fuit, qui eas partes non flagrantiſſimè depoſceret. His legibus autorati ad rem diſceptandam deſcenderunt. Maximè autem Italis quibuſdam,

buſdam, viris magnis, & qui melioribus annis nati erant, animus ardeſcebat. éque his Angelus Politianus, quod dexterâ principem adſidebat, primus ſic inſit.

Quæ princeps noſter compoſitè atque magnificè paulò antè in hoc ordine locutus eſt, dii manes, ea magis verbo tenus, quàm quòd ita neceſſe eſſet, dicta arbitror. Nam & vos univerſos ſic affectos ſcio, uti reipublicæ quiſque, non veſtra potentia conſulatis; & mihi animus ſemper ab odio, irâ, partibus reip. vacuus fuit. Quod utinam dii immortales voluiſſent, uti aut vobis mecum tacere liceret, aut ſaltem vana noſtra foret de publicis malis querela. Equidem ego quoties res hominum cum animo meo reputo, tacitè incuſare fatum ſoleo, cujus maligna perpetuáque in omnibus rebus lex eſt, uti ad ſummum perducta ſtare loco neſciant, finisque omnium appetat, ubi incrementa conſumpta ſunt. Nos pridem, dii manes, cùm in terris latè omnia barbaries occupaſſet, veteres artes, ſcientiasque revocavimus, per quas Latinum nomen, & Græca eruditionis crevêre vires. Nos ſapientiæ conſultiſſimam viam aperuimus; unumque omnium certamen fuit, ne quid profuturum ſeculis diu lateret. *Egregium me hercule opus, & inter præmia gloriæ noſtra numé-*

numerandum, cùm ſtudio noſtro dignitas diſciplinarum in illud culmen evecta eſt, ex quo illam longa dies & ſeculorum injuria detruſerat. Iam illa latiſſima vox omnium audiebatur, felices ſe, felicem eſſe rempublicam: nihilque ad tanti boni perfectionem accedere poſſe, niſi ut dii muneribus ſuis propitii eſſent, tantisque rebus adderent perpetuitatem. Quid igitur eſt, dii manes? fuit, prô dolor, fuit averſa ſuperis voluntas. ex illo enim tempore in deterius quotidie res data eſt; ipſaque eruditio neſcio quâ iniquitate natura, velociùs quidem, quàm aſcenderat, retro ſe tulit. Magna vis inſcitia, atque ineptiendi libido in animos omnium, veluti tabes, invaſit, pluribusque populis exitio eſt quàm fames morbive, quæque alia in deum iras, velut ultima ſuppliciorum, vertunt. *Ac vos quidem, quibus rebus tantam claritudinem aſſecuti ſitis, neminem clam eſt, dii manes. Etenim poſtquam vobis atas, ingeniumque adoleviſſet, neque nox, neque dies curam animi vobis ſedavit, quin omnem vitam porrò in optimis artibus ageretis. Ita agendo, vigilando, quidquid mortalitas capere poterat, impleviſtis. Exſtant divina ingenii veſtri monumenta, eaque omnis aternitas intuebitur. Qua vos profectò non quàm multa, ſed cujuſmodi forent, referre veſtrâ credebatis. quippe*

aſtimari

æſtimari ea, quàm numerari ſatius eſt. At nunc, obſecro verò vos, inſpicite tempora & mores. Nam, qui ſunt hi, qui ad nos quotidie veniunt? homines ignaviſſimi, ſtupore & pituitâ demerſi, quibus febriculoſum aliquid ſcripſiſſe, immortalitatis pretium eſt. Iuro vobis, dii manes, excelſa quædam & pulcra res eſt eruditio, quam illi ne de facie quidem noverunt. Non recipit egeſtas animi eorum, tantam majeſtatem, tam gravem, tam ſeveram. Pars ſomno, & languore, & quod his pejus eſt, rerum bonarum faſtidio torpent. Alii, ſi ad hæc ſacra, & illos fontes admiſſi ſint, planè, ut canes in Ægypto, bibunt & fugiunt. Et tamen ex hac imperitâ turbâ nemo eſt, quin ſomnia ſua & ineptias quotidie vulget, ſibique inter tot magna nomina, ſi diis placet, aliquod famæ ſpacium quærat. Dicam, quod res eſt: corruptiſſimo ſeculo plurimi ſcriptores ſunt, &, quæ antea paucorum virtus fuit, nunc vulgi vitium fit, & omnium morbus. Quid enim? num ſingulos aut paucos hæc libido tenet? undique velut ſigno dato, ad ſcribendum coorti ſunt: adeoque in publicum miſſa inſania eſt, & in omnium pectoribus evaluit, ut maximam gloriam in maximo voluminum numero putent.

Pauperis eſt, numerare pecus. ---

Olim Lyſimacho imperante, ut ſcitis, dii manes

manes, res ridicula accidit, & nimis jocoſa. quippe cùm Archelaus mediâ æſtate, flagrantiſſimo ſole, Andromedam ſuam decantaret, forte Abderitas univerſos, qui tunc aderant, ex Canicula adflatu ardens febris inceſſit, quæ poſt ſeptimum diem deſiit in delirium. In omnium enim ore verſus quidam Tragici, & modulati ſoni, jambique inerrabant. donec tandem ſub hyemem vis morbi deceſſit. Mihi res contigiſſe nunc haud diſſimilis videtur. niſi quòd magis pertinax hoc malum ſit, & agro in pectore ſeneſcat. Qui bis in anno nomen ſuum ad Germanorum nundinas non tranſmittit, eruditionem ſuam in ordinem coactam, credit. itaque nunquam tot fungi unâ pluviâ naſcuntur, quot nunc libri uno die. Quin igitur expergiſcimini? creſcit & ſerpit quotidie mali labes, & ad ſummam reip. ſpectat, niſi occurritis, Dii manes. Non hîc ſegnibus conſiliis opus eſt, quæ timidi cauta vocant. *capienda præceps eſt via, & omnia aſpera pervadenda. nam aut nunc ſemel de totâ re aliquid conſtituendum eſt, aut fruſtra deinceps de ſingulis articulis temporum deliberabimus. Mihi quidem animus nunquam deerit. quippe ipſa negotii atrocitas, formidanda aliis, erectiorem me facit.* Quædam utique vi tractanda ſunt, quò cæteris quies ſit: *& alioqui, quod in omni*

magno

magno exemplo contingit,ſcitis hercle,ſi quid hîc iniquum eſt, id adverſus ſingulos utilitate publicâ rependi. *Quare ego ita cenſeo, degeneres hos advenas ad unum omnes, fronte inuſtâ, barbâ ad vivum detonsâ, finibus noſtris exterminandos eſſe, diisque ſuis relinquendos iratis. Tum & Mercurium in terras mittendum, ut, quid actum hic ſit, omnibus ubique gentibus exponat. Ea verò pulcherrima laus erit, retinere mortales à ſtultitiâ & malis libidinibus: & nos, dî manes, triſte quidem exemplum, ſed in poſterum ſalubre edidiſſe videbimur.*

Hujuſcemodi oratione habitâ, Angelus, poſtquam multorum animos arrectos vidit, veritus, id quod in tali rè ſolet, ne omnis invidia prolatandis conſultationibus dilaberetur, Picum Mirandulam, Hermolaum Barbarum, ad hoc alios ex eâdem gente, quos additamenta factionis habebat, hortatur uti ſententiam ante cæteros dicant. quippe magnum in eâ re momentum eſſe. Iamque Itali plures magno ſtudio ſe ad dicendum componebant, cùm è circumſtantium turbâ quidam ſurgit, turgentibus oculis, acuto capite, & auribus longis, quæ ſic movebantur, ut ſolent aſellorum. Is contentâ voce audiri ſe poſtulat. ſuam & popularium rem agi. velle ſe

 publi-

publicam miſerorum cauſam defendere. darent ſaltem hoc jus novitio homini, néve ſupplicis vocem in noviſſimo caſu contemptam haberent. Fit illi poteſtas. & ſimul inuſitato molimine ac moleſto apparatu, neſcio quos abditos ſenſus pectore ſuo evoluere parat. Ego defixis oculis pileum, quem gerebat, latiſſimum intuebar. de fungorum genere hominem putabam eſſe. quippe capite ſe totum tegebat. quare è proximis, hoc quid rei ſit, rogo. illi aiunt, pleroſque eruditos, qui haud procul à nobis, in frigidiore plagâ vivunt, gravitati ſuæ commendationem ex hoc habitu captare. nam vanis rerum eos decipi. ita ſe mores habere. nec pileo illîc modum, nec pallio eſſe. Dum in his ſumus, adhuc orationis principium arceſſebat miſerrimus mortalium, & mirè ſe inflabat. Tum Menippus, quantum poteſt, altè clamans, ait,

Quid dignum tanto dabit hic promiſſor hiatu?

Ego, dî manes, ſuadeo nigrum agnum cædatis. nam venti turbinem aliquem exſpecto. Ille, poſtquam diu ſcreavit, & ſapientem barbam manu bis terve permulſit, tandem dicere quædam orditur, ſed adeò putida & inſulſa, ut referre pigeat.

geat. Nunquam ego fore ſperaveram uti illinc vivus diſcederem. Initio admodum anxiè totam rem diviſit. multa de honeſto dicturum ſe promittebat, deque utili, & neceſſario; & alia hujuſcemodi, quæ ab umbratico doctore adoleſcentuli diſcunt in ſcholâ, nec unquam in foro dediſcunt viri. Ipſa dictio malè affectata, & peregrinæ inſolentiæ plena. Ubique ampullæ, corybantiaſmi, & verba ſeſquipedalia. ſingulas voces cum criſtis & ſuperciliis natas dixiſſes. Adeò nihil pudicum aut temperatum erat, ſed maculoſa omnia, & turgida. Non eſt paſſus Menippus eum diutiùs declamare: ſed, bone vir, inquit, quoniam ſermonem habes non noſtri ſaporis, ſenatus te pro tam pulcrâ operâ in poſterum ſilere jubet.

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget.

ſimul medicum quendam advocat, cujus ope tam gravis morbus levetur. is homini crebram ambulationem, ad hoc betæ maluæque eſum, poſtremò vomitum præſcribit, uti inſanus tumor ſubſidat, & vacuetur noxia copia. Affatim riſum eſt ab omni conventu. At Hermolaus, ne quod vacuum tempus ſit, ex re nata in hanc ſententiam loquitur.

Verba putidiſſimi hominis audiviſtis, dii

manes. en, cum quibus heroibus res nobis ſit. quicquid ille imperitè & ſtolidè dixit, minus quàm pro morbo ſeculi dictum ſcitote eſſe. Ne autem neſcii ſitis, magnum hic nomen, decusque inter ſuos geſſit: neque lupum, quod aiunt, auribus, ſed cunctam plebem tenuit. quoties enim inſulſa ejus vox ſubſellia doctorum & cathedras perſonabat, fœnum alios aiebant eſſe oportere. tantâ in admiratione omnium nuper fuit, quem olim coquus meus, aut quilibet paterfamiliâs, arreptus ex aliquo circulo, ſpreviſſet. Non dicam, dii manes, quantâ ſecuritate quidlibet ſcripſerit magnus hic ſcientiarum dictator. nam etſi ſupra fidem ſit, major tamen aliorum impudentia dicam an intemperies eſt, qui ingenio & virtute minores ſunt. Expecto quàm mox muliones & auriga, abjectâ ſcuticâ, ſtylum capiant, & ad beatas ſedes noſtras affectent viam. Ante annos aliquot, armorum ſtrepitus, qui per Europam fuit, incredibile memoratu eſt, quantum potuit. Mihi quidem, quod vulgi ſermone jactari audiveram, jam pro certo eſt, bellum omnium patrem eſſe, cùm tot hiſtoricos tam exiguo tempore produxerit. Etenim in caveâ ſi forent concluſi omnes, itidem ut pulli gallinacei, tamen haud poſſint, opinor, uno anno circumiri. *De cæteris; qui in literarum amœnitate*

tate animum habent, ſupervacuum eſt dicere. Magna enim hîc diverſitas inſanientium, & mira occurrit diſſimilitudo: cujus latentem cauſam ſcit Genius fortaſſis, qui aſtrum cujusque temperat; hominem quidem ſcire, arbitror, neminem. Quidam arcem extruunt ex cloacâ, aut piſtillum exornant. alii lucem Soli fœnerant, & obſervatiunculam unam item atque alteram oſtentant notiſſimarum rerum, quas profectò nemo neſciverat. etiam priuſquam Theognis naſceretur. Longè ego Augiæ ſtabulum purgare maluerim, quàm omne ſtercus è libris illorum everrere. In ipsâ fronte titulus ſplendet immanis, portentoſus, & propter quem jure aliquis deſerat vadimonium. Faſtidioſus lector peregrinâ novitate invitandus eſt. Super omnia tamen eſt, quod marſupii plerisque major cura, quàm exiſtimationis ſuæ ſit. ſi enim illuſtris viri nomen paginæ ſuæ præſcripſerint, à quo pretium & pecuniola ſperetur, quid in vulgum extrudant, aut quo modo, nihil penſi habent. Nempe igitur, dî manes, date frænos impotenti vitio, & ſperate futurum, uti ipſi ſponte finem ineptiendi faciant. Ne iſta cunctatio (falſus utinam vates ſim) magnum aliquod malum dabit. Ego agendum, atque obviam eundum cenſeo, uti hujuſmodi cives in regno noſtro ampliùs ne

ſint. Vos quod faxitis, fortunatum eſſe velim.

Aſſederat Barbarus: & ego animo, oculisque intentus, magnopere verebar, ea res quorſum evaderet. Ecce autem de improviſo ſenex quidam, exercitati vultus, qui ad latus conſiſtebat meum, manu leviter admotâ, aurem mihi vellit, &, adoleſcens, inquit, vides me? *nec auguria didici, nec Mathematicorum cœlum curare ſoleo:* & tamen, qui ſis, non ignoro. perpruriſcunt tibi quoque digiti, &, cùm tanta omnium ſtudia cernis, imbecillis ætas ambitione corrupta tenetur. Ego, ut verum fatear ex propinquâ vobis gente ſum, quæ ſola iſti vitio hodie eſſe parens putatur. at ita, ut uſquam aliquis, ineptias popularium ſemper odi: & nunc, ſi in meos imperium mihi dî hominesque darent, non idem jus in regno meo quidlibet agendi omnibus foret. nam qui de indoctorum grege ſunt, iis negotium darem, quoniam quieſcere nequeunt, uti locupletes indices conficerent. ita eruditis adminiſtri eſſent ad rem laborioſiſſimam. Aſinum quoque Muſici cantus rude eſſe animal noſti. ex oſſibus tamen illius vide, quàm pulcræ tibiæ fiant. nihil tam malum eſt, mi fili, quin aliquâ parte proſit, ſi uti ſcias. Iraſcebar

ſcebar ego malè garrulo ſeni, & quia me tangere viſus erat, paucis reſpondere volui. Verùm jam è Friſiis Rodolphus Agricola ad dicendum ſurgens, aliò me vocat. is hoc modo diſſeruit.

Nullam adhuc rem, dî manes, dignam virtute noſtrâ agimus. Levia quædam & exigua mala ſunt, de quibus verba fecêre viri maximi, Angelus & Hermolaus: quos ego in dicendo non ſolum graves, ſed etiam truces eſſe ſcio, Illi mihi diſſeruiſſe videntur de pœna eorum, qui cùm præclara quædam cuperent, non tam voluntate, quàm curſus errore decepti ſunt. quorum hercle obſcuram diligentiam nec ego fero. verùm quia innocui ſunt, & ſine omni malitiâ homines, priùs quid in alios ſtatuamus, conſultandum cenſeo, qui ſeculi pernicies ſunt & certa ingeniorum peſtis. Iam primum omnium ante annos abhinc multos, homines quidam exorti ſunt, qui novum genus diſciplinæ inſtituerunt, ad quos juventus in ludos convenit. *Ii ſe philoſophos dici & haberi volunt, cùm, proh dii boni, violare ipſam ſapientiam; omnium rerum parentem, & primi hoc parricidio ſe polluere auſi ſint. Præclara Ariſtotelis atque Platonis progenies, geniti uti ea, quæ cæteri olim ingenio peperêre, deſtruant. Nam quid aliud agitur, dî manes? vaniſſimis rebus capti, ne*

paratas quidem à vobis ſcientias audent cognoſcere : ſed accuſatores antiquitatis, argutias tantùm docent, diſcuntque. Profectò ita ſe res habet. omnis eorum induſtria intra contortulas captiones ſtat : à quibus ſi pedem extulerint, putent ſe in alium terrarum orbem delatos. Equidem ſæpe audiveram eſſe parva quædam animalcula, quæ in anguſtiis mobilia, campo deprehenduntur. *tales eſſe hos puto, qui lucem atque aperta ſpatia odere, &* cùm parum curſu valeant, flexu eludunt. *Et, quæſo conſiderate quàm converſa rerum natura ſit. Antea veri exploratione ſolus hic ordo jure gloriabatur ; & eo ſapientes reliquam multitudinem facilè anteibant. Nunc in ſummâ inanitate verſantur, & ſuis ipſi mentibus offundunt caliginem. non ſum equidem tam ſeverus judex, uti nihil donare ingeniis velim. ſcio enim multos & vitio naturæ, & licentiâ temporum ineptire. Verùm hæc, dî manes, non vitia, ſed portenta ſunt. Qui ſubtiliſſimâ collectione alterum fallere didicit, is rex eſt, & digitò ſe cœlum putat attingere. Solem illum nonnulli Lunam eſſe evincent, & noctem, qui nunc eſt dies. Nemo ægrotus quicquam ſomniat tam ridiculum, quod iſti ſerio vultu non aſſerent. Itaque jam ad ſummam venimus :*

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

qua

quæ manifeſta ſunt, inficias ibunt: planè ſtulti impoſtores; à quibus quicunque victus abit, jucundiùs ipſo victore dormiet. Quippe moleſtus eſt labor ineptiarum, & miſera mihi res ſemper viſa fuit, difficiles habere nugas. Atqui ipſis inſtitutum placet. hoc amant, hoc laudant: hanc tam bellam artem, tanquam filiolam ſuam exoſculantur. Quamquam, ne exiſtimate, dî manes, eos hactenus inſanire. Mox enim ab hoc vitæ genere detriti & retorridi, ad rerum dominam, juriſprudentiam, cæteraſque ad diſciplinas adeunt, & quos fluctus in ſimpulo, ut dicitur, dederunt, eos pòſt excitant in Ægæo mari. Ita omnes ubique res, omnia vitæ munia pervertunt. Sequitur duces ſuos imperitiſſimus quiſque cæterique omnes, qui magnâ mercede nihil ſapere didicerunt. Non licet rectâ viâ ad ſapientiam graſſari. Obſiſtit enim eunti, officitque errantium multitudo, quodque peſſimum eſt, plerique pereunt exemplis. Qui ante nos vixêre, cordatiſſimi mortales, haud ignorabant, quibus eſſet magiſtris opera danda. Hæc nova, quæ juvenes, ad magna ſurgentes, immodico ſtudio ſequuntur, neque placent, neque recta judico. Quò nobis acriùs annitendum eſt, dî manes, uti neque cæteri contagione inſaniant, & illis ſua pœna ſit. Certè uno quidem hoc genere exhauſto, multa mihi &

ornamenta dignitatis, & præſidia ſtabilitatis ſuæ recepiſſe Reſpublica videbitur.

Cùm dixiſſet Agricola, cæteri verbo, alius alii variè aſſentiebantur. Interea loci ingens multitudo novitiorum adeſſe nuntiatur. Quorum nomina in tabellâ perſcripta, actuario, M. Antonio Sabellico tradit Mercurius; & ſimul omnes in medium conventum trahit. &, di manes, ait, ne miremini. autumnus nunc eſt: is febres adducit, & reſignat teſtamenta. Ut intraverant omnes, unus ex illis ad nos accurrit, & arctè me prehendens, Salve, inquit; teneo dextrâ genium meum. Ut propiùs conſideravi, agnoſco familiarem meum: &, ita? inquam. etiam te in his oris conſpicio? Imò ait,

--- *longa eſt injuria, longæ Ambages.*

neſcio utrum medici me fraus, an imperitia occiderit. nam ex agnatis erat, & heredem ſcripſeram. Comploſit manus Menippus, & in petulantiſſimum cachinnum effuſus, Ridiculum verò, inquit. præmio enim improbam ſpem ſolicitaſti. Atqui temeritas & imprudentia, ſolenne medicorum vitium, abundè per ſe pollens erat ad perniciem. quippe ita fit. veſtris periculis diſcunt, ipſi ſecuri; & hoc ipſo felices, quod proſperos eorum ſucceſſus Sol aſpicit, adverſos tegit tellus.

lus. Mihi crede, una hæc ars triſtiſſimis experimentis conſtat, & ab omni ævo

πολλὰς ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν ἡρώων,

id eſt,

Multas heroum triſtem demiſit ad orcum
Illuſtres animas.

ne tu ab irato Achille ſolùm id fieri putes. Poſt hæc tres ſacrorum miniſtros notat Mercurius, quos obtorto collo ægrè abduxerat è terris. adeo vitæ dulcedine capiebantur, qui ſemper mortis contemptum, & meliorem in alio quodam orbe ſortem prædicaverant. Nunc lamentabili voce illud identidem ingeminabant,

Linquenda tellus, & domus, & placens
Vxor.

Cæteri de philoſophis erant: de quibus Mercurius, Famelica, inquit, hominum natio hæc eſt, &, niſi cùm moriuntur, nihil rectè faciunt. oſſa quidem iſti atque pellis toti erant, & plus quàm triginta dies uno eſuriebant menſe. quin in bilancem unà omnes conjecti vix ſcrupulum pendebant, atque extra in ſole etiam inſpicere licuit. Ego homines curioſâ intuebar diligentiâ. plerique vultu & inceſſu morbum fatebantur. magna omnibus tacendi erat libido. Unus ta-

men Menippo adhæreſcebat, haud ignotus mihi. nam in vicinia mea, tribus cauliculis, & ſelibra farris, ſub tegula una, diu divam ſapientiam aluerat. Is quinque ſyllogiſmos expromit, & multa Cynico, quæ mecum ignorat, probare nititur. Tandem, cùm in artis ſuæ oſtentatione oppidò quàm ineptus fuiſſet, Menippum, uti defenſor ſibi & patronus ſit, rogat. Non aſpernatus preces ejus ſenex, Tibi quidem, mi homo, inquit, tantum opis, quantum optes, feram: nam, ſi quantum dignus es, dicam, nullus eris. & ſtatim ad me ſubmiſsâ voce, Adoleſcens, ait, hic verò ille eſt, qui poſtquam exheres vitæ ſuæ factus fuit, omnes Belgæ nugandi finem fecere. Adhuc jocabatur Cynicus, cùm ſummoveri proceres adventiciam jubent turbam, & cœpta peragunt. Ibi Mirandula, credo in miſerationem ex irâ verſus, pauca adverſus Agricolam dixit,

Ne ad *faſtos rediret, neu virtutem æſtimaret annis. cuncta, quæ nunc antiquiſſima habentur, olim nova fuiſſe. etiam his aliquando pretium ab ævo fore. naturam mortalium hoc quoque nomine pravam ac ſiniſtram dici poſſe, quòd plerique ingeniis ſepultis plauderent, & acceptum aliquid ferre erubeſcerent minoribus. hinc vetera*

ſemper

ſemper in laude, præſentia in faſtidio eſſe. Et quo tandem conſilio ingeniis modum ponerent? multa enim nondum inventa eſſe, quæ, ſi utilia ſint, ſperni haud debeant. Eleuſinem ſervare ſemper, quod oſtendat reviſentibus; neque ſacra ſua ſimul edocere. *Poſtremò, cogitarent non ſtatim deterius eſſe, quod diverſum eſt. cætera, quæ vacuas mentes tenuiſſent, jam vulgata eſſe omnia. ergo aliis diverſam viam tentandam, quâ præclari facinoris famam quærant.*

Mirabantur omnes, quid tam repente Pici animum mutaviſſet: & urbanè Petrarcha lineam adverſus eum popoſcit. Haud deerant tamen qui ſententiæ ejus accederent: etſi major pars exilium decernebat. At princeps ampliùs deliberandum dixit: quippe ſibi nondum liquere. &,

Dî manes, inquit, *quis vos ardor agit? omnia non properantibus rectiùs procedent: feſtinatio inconſulta eſt & præceps. Vtique ſcitis hos univerſos ſapientiam profiteri, reſque eorum ad Divam Sophiam pertinere, quæ in terris adhuc eſt. Eam per Diogenem evocavi, idque adeò ob aliam cauſſam. Nam quia in Theologis, majorum gentium ſapientibus, agendum tandem eſt, quorum nunc latè imperium valet; ex ipſâ rem omnem & cri-*

& crimina diſcere malui, ne publicum bonum irâ aut privatâ gratiâ vinceretur. Simul iſtis quoque imi ſubſellii viris, & patellariis magiſtris jus dicet.

Hæc pronis animis accepta ſunt. quippe lætabantur omnes repertum tandem aliquem, qui contra gentem, ut putabatur, ſacroſanctam, & omni majorem exceptione, oculos attolleret. Nemo hercle quiſquam tantum facinus ante eam tempeſtatem auſus erat. Non multo poſt advenire Divam Sophiam cum pulcherrimo comitatu videmus. Exhorruerat animus cunctis Theologis. quippe ſpei minus videbant, quàm vellent. Inter pediſſequas Alethea erat, incanis crinibus, & caperatâ fronte. ad hoc, Parrheſia, & Sophroſyne, & læto ſemper vultu Eleutheria. Adſtabat Divæ Diogenes, de viâ feſſus. Is anhelo ſpiritu, cauſam diuturnæ moræ principi non ſine irâ exponit, & ſic infit,

Tu verò maxime ductor populi, noli poſthac Cynicam gentem ita ſpernere, uti eos in lucem nunquam, niſi ad moleſtiſſima miniſteria protrahas. Boni civis operam tibi promiſeram, non ſervi: nec minus liber, quàm veſtrûm quilibet, ſum, etſi cum baculo & perâ ambulo. Quid autem Divam hanc quærere aliud, quàm Herculis labor fuit?

fuit? Ecce multo languore confectus ſum, dum Theologorum familias perrepto. Et tamen, cùm diu me fatigaveram, hanc quidem nuſquam, caterùm apud ſingulos falſam imaginem, & quandam ejus umbram reperio. Alii enim mulierem incultam, ſitu & pedore ſqualentem oſtentavere. pars virginem producunt omnibus ſimulacris emendatiorem, qua facie medicata, inceſſu ad numerum compoſito, formam proſtituebat, uti venderet. Ad ſummam, ſenſi ego fucum ubique mihi fieri. Quare jam reditum parabam: cùm, ecce, commodùm ipſa ſe offerebat, credo ex aliquâ ſolitudine prodiens. Eam vos, Dî manes, ſi lubet, porrò audite. nam me jam vox deficit.

Dixit hæc Cynicus, & ægris jam genibus, humi caninum in morem, procubuit. Omnium ora oculique in Divam converſi ſunt; quæ pediſſequas ſuas, comitesque omnes ſupereminebat. Ingens ſilentium factum eſt. Mox ipſa, majus quiddam mortali ore ſonans, digitis gubernantibus vocem, ſic orſa eſt.

BENE *atq; ſapienter, Dî manes, Theologorum factioni tandem ire obviam decreviſtis; quorum injuriis, contumeliisque ſic accepta ſum, ut ubivis eſſe, quàm in regno meo malim. Omnia latè homines inquieti contentioſique tenent, qui haud me ſanè, ſed*

ſed pellices meas ſecuti, ſacra noſtra, religioneſque jocum & riſum fecere. Equidem apud eos meorum inſtitutorum nec volam, nec veſtigium reperio. Plerique enim primis annis tonſores, fabrique, & ſutrinæ alumni ſunt, aut denique ſervilibus officiis intenti, in obſcuro vitam agunt. ibi adoleſcentiam ſuam exercent. Poſt, ubi ſacerdotes meos, ceremoniarumque antiſtites eſſe in magno honore cernunt, (nam aſſurgit iis populus, increpantes metuit, dicto cuncti audientes ſunt) rati ſcilicet, id quod res eſt, longè hoc pulcherrimum eſſe, ad ſimilem dominatum maxima ope nituntur. Hîc mihi nemo vigilantiam, laborem, indefeſſum doctrinæ ſtudium exſpectet. gravia hæc ſunt, & viris relinquenda. ipſi breviore viâ, dolis átque aſtu contendunt. Scitis utique quàm facile iſtud ſit, obſtipo capite incedere, ſententiolas aliquot ingenti verborum volubilitate fundere, vultum induere triſtem, & ſeverum; & alia hujuſcemodi. quæ promittunt magnam ſapientiam. Ad hæc fingenda non nati, ſed ab aliquo deo facti videntur. quippe inſitum illis eſt, quanto magis falſa ſunt, quæ fiunt, tanto plura facere. *Adeò nihil eſt, quod ars & labor efficere nequeat, cùm etiam naturam, rem ſimpliciſſimam, ſuperet affectatio. Igitur primùm imperitæ plebi illudunt, apud quam ſummâ*

ſecuri-

ſecuritate, & ingentibus præmiis peccatur. hanc curis vacuam, ſine veri falſique diſcrimine in veſte & habitu ſtupentem, blandâ oratione trahunt in omnem partem. Sedet circumfuſa multitudo, atque aures, ceu flabellum, adducit, diducitque, & quicquid audit, probat. Quod mihi neutiquam novum videtur. Quotus enim quiſque etiam è ſapientioribus reperitur, qui rem celſam, & propemodum divinam, in quâ felicitatis ſumma eſt poſita, ſibi vendicet, NIHIL ADMIRARI? *Horreſcit mihi animus, cùm mecum cogito, magiſtros rudes & indoctos ea, quæ nondum ſatis explorate percepta ſint & cognita, veluti certa affirmare. Multum caliginis res divinæ habent*, ſanctiusque & reverentius eſt de iis credere, quàm ſcire. *Procul enim ab oculis noſtris lucidas incolit ſedes majeſtas ſummi numinis, & regnum ſuum, ſeque ſine arbitris regit. Pauca duntaxat oracula adflatu ejus inſtinctuque fudere viri ſancti; quæ ſi aperta & clara forent, melius atque tranquillius ſeſe res mortalium haberent. Nunc, cùm eorum cognitio multis ſit obſtructa difficultatibus, nemo tamen in his tenebris, & altâ in nocte cæcum ſe cogitat: ſed, quàm quisque minimum intelligit, tam maximè fidens eſt. Hinc, Di manes, illæ ſunt lacrumæ. De rebus obſcuris omnes, ceu de certis,*
judi-

judicant, & ad quamcunque ſunt ſententiam, quaſi tempeſtate, delati, ad eam, tanquam ad ſaxum, adhæreſcunt. *Neque mihi ſatis conſilii eſt, vacordiam, an ſuperbiam eam appellem. Nunquam enim perperam aliquid didiciſſe volunt videri. ſcilicet, quaſi immane crimen foret, à cognito & damnato errore diſcedere, & quæ malè alios docueris, dedocere. Quod ſemel dixerunt, qualecunque eſt, fixum ratumque manet. Ita, quod unum supereſt, pertinaciam induunt pro cauſâ, regnumque ſibi vi atque factionibus muniunt. Ad hoc, quod longè peſſimum exiſtumo, fœcunda admodum res eſt falſa opinio, neque unquam illic, unde cœpit, ſtat. Continuò enim, qui à vero declinant, in partes ſe ſcindunt varias, diſſenſionibusque pugnant, atque uno ex errore infiniti, diverſi omnes & contrarii naſcuntur.*

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Omnia ſectarum percurrere nomina poſſim.

Cauſa atque origo hinc inde penes authores cujuſque eſt, qui ſuperſtitione captas mentes, velut furialibus ſtimulis agunt. Nihil in ſpeciem fallacius eſt, quàm religio. Etenim quiſquis Dei numen obtendit, ſtatim efficit, uti cæteri credere, quàm judicare malint, illudque

illudque habeant ratum, quod ab eo, quem ſequuntur, ſemel audivere. In hujus verba ſacramentum jurant: hujus ſomnia & deliramenta amplecti, certum omnibus obſtinatumque eſt. Quæ eſt omninò ſervitus, ſi hæc non eſt dicenda? aut quid liberum eſſe iis amplius poteſt, qui, quod præſcriptum & quaſi imperatum eſt, defendunt ex neceſſitate? Equidem fortuna in vitâ hominum ludit, aliiſque aliam perſonam, uti ejus lubido fert, imponit. hos eſſe ſervos, illos dominos, quoſdam ſui juris vult. Equites, libertinosque, & mancipia ſcio, aliaque nomina ex ambitione aut ex injuriâ nata. Verùm hæc, dî manes, ſi rectâ viâ rem reputatis, in totum hominem non deſcendunt. Animos enim veſtros ex æternis ignibus derivatos, imaginem partemque ipſius Dei, ſpectate. Omnes eâdem conditione ſunt. hos ſemper & ubique ſcitote liberos fuiſſe, non ex jure Quiritium, ſed ex jure naturæ. Quid eſt igitur? Tyrannorum dira & execrabilis poteſtas eſt, qui in corpora tantùm veſtra, & in terga ſæviunt, eosque qui olim ſuſtuliſſet, divinis honoribus colebatur. Vos quo odio illos eſſe dignos creditis, qui in mentem cujuſque adfectant imperium, nobiliſſimamque partem, quæ ſola mancipio non datur, ſervire docent? Me quidem eorum vehementer & piget, & pœnitet. Itaque fatigata

judicant, & ad quamcunque ſunt ſententiam, quaſi tempeſtate, delati, ad eam, tanquam ad ſaxum, adhæreſcunt. *Neque mihi ſatis conſilii eſt, vacordiam, an ſuperbiam eam appellem. Nunquam enim perperam aliquid didiciſſe volunt videri. ſcilicet, quaſi immane crimen foret, à cognito & damnato errore diſcedere, & qua malè alios docueris, dedocere. Quod ſemel dixerunt, qualecunque eſt, fixum ratumque manet. Ita, quod unum ſupereſt, pertinaciam induunt pro cauſâ, regnumque ſibi vi atque factionibus muniunt. Ad hoc, quod longè peſſimum exiſtumo, fœcunda admodum res eſt falſa opinio, neque unquam illic, unde cœpit, ſtat. Continuò enim, qui à vero declinant, in partes ſe ſcindunt varias, diſſenſionibusque pugnant, atque uno ex errore infiniti, diverſi omnes & contrarii naſcuntur.*

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Omnia ſectarum percurrere nomina poſſim.

Cauſa atque origo hinc inde penes authores cujuſque eſt, qui ſuperſtitione captas mentes, velut furialibus ſtimulis agunt. Nihil in ſpeciem fallacius eſt, quàm religio. Etenim quiſquis Dei numen obtendit, ſtatim efficit, uti cæteri credere, quàm judicare malint, illudque

illudque habeant ratum, quod ab eo, quem ſequuntur, ſemel audivere. In hujus verba ſacramentum jurant: hujus ſomnia & deliramenta amplecti, certum omnibus obſtinatumque eſt. Quæ eſt omninò ſervitus, ſi hæc non eſt dicenda? aut quid liberum eſſe iis amplius poteſt, qui, quod præſcriptum & quaſi imperatum eſt, defendunt ex neceſſitate? Equidem fortuna in vitâ hominum ludit, aliusque aliam perſonam, uti ejus lubido fert, imponit. hos eſſe ſervos, illos dominos, quoſdam ſui juris vult. Equites, libertinosque, & mancipia ſcio, aliaque nomina ex ambitione aut ex injuriâ nata. Verùm hæc, dî manes, ſi rectâ viâ rem reputatis, in totum hominem non deſcendunt. Animos enim veſtros ex æternis ignibus derivatos, imaginem partemque ipſius Dei, ſpectate. Omnes eâdem conditione ſunt. hos ſemper & ubique ſcitote liberos fuiſſe, non ex jure Quiritium, ſed ex jure naturæ. Quid eſt igitur? Tyrannorum dira & execrabilis poteſtas eſt, qui in corpora tantùm veſtra, & in terga ſæviunt, eosque qui olim ſuſtuliſſet, divinis honoribus colebatur. Vos quo odio illos eſſe dignos creditis, qui in mentem cujuſque adfectant imperium, nobiliſſimamque partem, quæ ſolà mancipio non datur, ſervire docent? Me quidem eorum vehementer & piget, & pœnitet. Itaque fatigata

gata manus do, locumque iis facio, uti ſe jactent vacuâ in aulâ, ac ſuomet ipſi more præcipites eant. Aliud regnum, aliasque ſedes quæro; quas ubi terrarum reperiam, nimis incerta ſum. Cives quidem meos in poſterum nullos, niſi eos agnoſcam, qui & libera eſſe judicia patiuntur, neque unquam ultra id, quod veriſimile occurrerit, procedunt. Eſt enim ægris mortalibus, ſicut cæterarum rerum, ita & ſcientiæ poſitus modus. & me, cùm in terras Deûm, hominumque mitteret rex, nec totam patere, nec ab omni parte eſſe clauſam voluit. In veſtibulis templi mei hærere jus faſque eſt. illa arcana, quæ in interiore ſacrario abdita ſunt, fruſtra cernere laborant.

Stabam inter hæc ego, & Divæ poſtrema verba voluebam animo, incertus planè quo me, lare deinceps tuerer, quemve ſequerer ducem. nam qui antea nulli magiſtro credideram, nunc hercle multò eram factus timidior. Dum hæc agito, non fefelli Sophroſynen, pulcherrimam omnium nympharum, quas ſecum Diva adduxerat comites. Ea poſtquam ſe applicuit ad me,

Quoniam, inquit, *ad hominum cœtus jam redis, &, quæ hic diſcis, in rem & ad uſum conferre potes, non celabo te maximum arcanum. Eſt quoddam genus hominum, idque*

idque vel maximè ingenuum, qui rerum nec principia altè, nec fines exquirunt, pulcherrimamque amant ſcientiam, nihil admodum ſcire. Hos plerique véſtrûm tardos, lentosque & ſupinos dicunt. Quod contra eſt. nam & rerum gnari ſunt, & ſoli mortalium non ultrà, quàm ſatis eſt, ſapiunt. Sed vos virtutes ipſas inverſum itis, & jamdudum vera rerum amiſiſtis vocabula. Tu, qui bonam mentem amas, horum ut ſimilis ſis, pauca laudabis, nihil ipſe molieris, omniũ ſpectator eris. Sic enim cogita; in iſtâ ſapientum turbâ te, quaſi in mercatus quadam celebritate eſſe: ubi, dum aliquid ſibi petit quiſque, & ſuo more deſipit, tu cæteris omnibus, quæ prima illi putant, pro nihilo habitis, viſendi tantùm cauſa obambula, ſtudioſeque perſpice, quid agatur, & quo modo. Errabunt cuncti tuâ ſine parte diſcriminis, viamque quærent latentis veri. In primis verò paucorum hominum ſis; nec unquam populo autore aut arbitro probari tua velis. Quid de te judicent, ipſi viderint: ſed judicabunt tamen, malignè plerumque & perversè. Fruantur ſententia ſua. hæc enim contagio ex ipſa mortalitate contrahitur; nunquam, meliora quæ ſunt, multi ſequuntur. Adfirmo tibi, ſuaviſſima voluptas hæc erit, cùm nihil intelliges ſolidum, nihil pulcrum, nec rectum quidem ex tanta con-

certan-

certantium molitione. Magnum eſt hoc, quod in rebus eſt poſitum, inane. In quamcunque te partem vertes, occurret tibi

Pergula pictorum, veri nihil, omnia
falſa.

Quicquid ſcire ſe illi autumant, minus nihilo eſt. hoc unum certum eſt, pleraque haud eſſe certa. *Quæ ſi obſervabis, ſi ſtudia omnium non irâ, ſed riſu ulciſcère, ne tu & mecum facies, & volentibus magnis Dîs, omne punctum feres.*

His auditis, invadere pectus ſapientiâ plenum volo; cùm illa ſomno ſimilis confeſtim in ventos receſſit. Itaque interrogare animum meum cœpi, an falſa imagine deluſus eſſem: & timidiſſimo murmure, Dî immortales, aio, ſi unquam iterum tanto bono perfruar, habebo quod cœlo imputem. Demum, ut animum adverto, & ſubſellia aſpicio, ſenſi miram animorum inclinationem. Clamabat Eraſmus, ſcripta ſua nunc de manibus excuti, odiumque ſui & infamiam tradi ſeculis, non aliam ob cauſam, quàm quòd prudenter dubitaſſet. Caſſander deſertorem ſe & prævaricatorem haberi, quòd inter infeſtas partes mediam quandam tenuiſſet viam. Eadem penè Melanchthonis querela. Cæteri quoque, quos antea aut metus, aut reverentia illius

illius ordinis ſubegerat, uti ſe continerent, ii nunc, poſt Divæ orationem, animis acceptis, ferociùs agitabant. Inter hos è Batavis unus, ab eadem diſciplina homo, etſi recens in ſenatum lectus, tamen præloqui occupat. Sæpe ego puer admodum ſermonibus ejus interfueram, cùm ingenia ſuorum vernilia & putida inſectaretur. qui enim querulus eſſet, & cenſor caſtigatorque præſentium, vitio humanæ mentis, haud facile collegas ſuos iiſdem ſacris operantes tolerabat. Is nunc, ſermone nimium acri, totius rei ſcenam aperuit, &,

SI *cui veſtrum,* inquit, *adhuc dubium eſſe poteſt, an vera ſint, quæ audiviſtis; patriam meam, eoſque qui juxta ſiti ſunt, populos videte. Verùm Diva, quæ ad ſe pertinebant, dixit, reſque eas, quæ reconditis in diſciplinis, & in quadam ratione doctrinæ verſantur, perſecuta eſt. Quæ ego cuncta omitto. Vitam eorum atque mores narrare libet, neque verebor tam horribile ſecretum proferre in populum. Eſt illud primum ſapientiæ munus, patenti via populum ad virtutem ducere; cupidinem honeſti conciliare animis, facere vitiorum odium. Quâ in parte non culpo hercle optimos viros. diligenter enim toto anno in hominum vitia perorant, voceſque magnificas, & ſaluberrima*

rima fundunt præcepta. Sed per deos immortales, quo illa res pertinet? Ipſi enim omnibus vitiis pleni, exempla ſe inutilis diſciplinæ circumferunt. Efficaciſſima docendi ratio eſt, vivere uti præcipis; eaque in primis hoc in ſe boni habet, quòd probat, quæ jubentur, fieri poſſe. *Quid mihi caritatem, concordiam, amorem mutuum laudant? monſtrabo quod rerum omnium primum eſt; faciant, quæ dixerint. Non ignota loquor, ſed quæ in ſacellis noſtris vidi, & quorum pars magna cum dolore eram. Equidem quoties conciliabula eorum obivi, non aliam, quàm in ludo gladiatorio vitam cernere videbar. Adſunt unà in iiſdem templis, colloquuntur, res omnes ſimul adminiſtrant. mox alter in alterum levi compendio ducitur. Fingite ex hoc ignobili genere aliquot terræ filios,*

Et conjuratos cœlum reſcindere FRATRES,

in re dubiâ & levi à ſe invicem diſſentire. ſtatim eos mala mens, furorque vacors in ſimultates, bacchationes, & ſcenica maledicta aget. Velitis, nolitis, dî manes, aliter hæc ſacra non conſtant. Propria illius ordinis virtus eſt, animo feroci eſſe, in omnes incurſare, neminem metuere. Sed maximè ambitio animos eorum verſat. ea res cunctas non ex bono honeſtoque, ſed ex libidine agere;

ſpecioſis

ſpecioſis nominibus pium, ſanctumque ſtudium ſimulare, cæterùm re ipsâ privatam gloriam quærere, edocet. Ite nunc, Dî manes, & , qui manſuetudinem, modeſtiam, fidem, vilia habent, eos eſſe viros bonos dicite. Multis officiis eà res, magnisque laudibus continetur. neque continuò hoc nomen, qui ad legem boni ſunt, meruêre. Nimis anguſtis finibus hæc circumſcripta eſt innocentia. faciant, quæ humanitas, quæ vita communis exigit; faciant quicquid extra tabulas publicas eſt, & boni viri, per me quidem, ſunto. Sæpe ego, in eodem ordine dum fui, quoniam me collegarum pigebat, de pravis illorum artibus, deque malâ lubidine queſtus ſum. Pro quâ re multa acerba atque indigna tuli. Neque id mihi uni contigit. Qui enim cunque aliquâ laude excellerent, aut cogitatione eminerent ſupra turbam, eorum vividam animi vim, rectosque ſpiritus frangere conabantur. ſive quòd in alio ſua quemquem natura delectat, ſive ne ſtudium omne vulgi ab indignis & non idoneis ad dignos & idoneos transferretur. Rem memorabo, ex quâ facilè conſilia eorum æſtimetis. Nuper ex his quidam patres conſcripti (credo obſcuræ originis ſuæ memores, & quod nihil uſquam ingenuum occurrere vellent) decretum inter ſeſe fecêre, uti qui de plebe hominum eſſent, quique preca-

riò vitam, munificentiâ divitum, in ſtudiis diſciplinarum egiſſent, iis ad munera, honoresque ſacros primus aditus foret: cæteri poſt illos admitterentur. Profectò hoc verè eſt ceremoniarum majeſtatem & ſanctimoniam proſtituere. Etenim homines egeni, non qui idonei cenſebantur, ſed quorum miſertum eſt, ſapientiam velut aliquod artificium venale addiſcunt, & jam ſemidocti, cruda adhuc ſtudia propellunt in templa. Benè habet, dî manes. tandem effectum eſt, uti in luce hominum vivant, Iam multorum opinione beati ſunt, niſi quod nondum ſunt ſuâ. Res inquieta eſt in ſe ipſam, nova felicitas. nondum licet vivere ſecuris.

Hîc illa primùm Veneris dulcedinis in cor
Deſtillat gutta, & ſuccedit frigida cura.

uxor domum ducenda eſt, uti tantarum rerum conſors ſit; tollendi liberi, in ſpem eſuritionis. Eſt profectò huic generi, quadam fati lege, hæc facilitas data. blandiſſimam vim, quæ dîs hominibusque per pectora incutitur, multò citiùs, quàm cætera gens mortalium, ſentiunt. Sæpe illud clamavi, ſufflaminandi eſtis; in furias ignemque ruitis. ſed fruſtrà fui. fermè enim, antequam pueri eſſe deſiiſſent, mariti erant, & infirmis adhuc annis gerebant.

Prælia

Prælia conjugibus loquenda.
Tanti putant, nihil ſibi negare, uti intempeſtivè multi præcipitent virum, &
--- animas in vulnere ponant.

Nunquam finem dicendi feciſſet Batavus, liberrimi oris homo, nî loquentem interpellaſſet ex adverſis ſubſelliis alius quidam, ingenio haud abſurdo. Is medio illius ſermone,

Dî manes, inquit, *cavete, ne vos verba fallant invidioſa, & rei exaſperandæ conquiſita. Nam quod ille maledictum vehemens exiſtumat, eam laudem ego illorum duco maxumam. non hercle, quòd amori, potentiſſimo affectuum, obtemperent. quæ tamen una res illis ad veniam ſatis juſtas cauſas haberet. quis enim non meminit ad hoc ſacramentum ſe adactum eſſe, ſequi naturam? aut* quid eſt omninò uſquam, quod homo maſculus libentiùs videre debeat, quàm bellam uxorem? *Verùm non utar iis ad defenſionem. Alia majora ſunt. Totum hoc univerſum ſapiens, non ut patriam, ſed ut familiam ſuam intuetur. eam familiam ornare, augere, ſtabilem firmamque facere, prima ejus laus eſt. Hoc conſilium, ſi forte neſcis, præclare orator, fratribus tuis eſt, uti numeroſa proles ſurgat, uti homo prodeat, pulcherrimum animal,*

--- & quod dominari in cætera poſſit. *Hîc mihi aliquis libidinem aut voluptatem nominat? Dii meliora piis. iſte error hoſtibus eorum ſit. ipſi duro vultu gaudia admittunt: neque ſibi, ſed mundo mariti, mundo patres ſunt. Vtinam verò neceſſe non foret, aſſiduam humani generis jacturam hâc diligentiâ reparare. Ecce, multa hominum millia puncto temporis cadunt. & ad tam immanem ſtragem una modò peſtilentia, aut bellica acie opus eſt. At contra*, vix novem menſibus edolatum unũ reddunt puerum duo conjuges. *An aliud ſperamus, quàm Scytharum deſerta brevi per orbem fore, niſi quotannis humana vis, & ſolers cura obſiſtat? Adde, quod deorum ope, & ſua virtute, feliciter veſter ordo præ cæteris rem hîc gerit. Quare cenſeo uti præmium, non pœna ſit veris* PATRIÆ PATRIBUS, *quibus ad juvandum bonum publicum nec ſanctus ardor unquam defuit, & mirè ſemper adeſt fortuna.*

Numerare equidem inter monſtra cœpi, in procaciſſimo ſermone tam diſcordem vultum. triſtis enim ſeveritas aderat, & faciliùs ignem ex homine exprimi poſſe ſperaſſes, quàm riſum. Theologi, ubi vident, ſecus ac rati erant, eò rem veniſſe, uti pro deridiculo eſſent, tardè, imò ſerò intellexere, in terris ſe

rerum

rerum dominos fuiſſe. illic non eſſe ſibi idem honoris. Potuiſſes experimento diſcere, vulgò nos, uti res cujuſque ſunt, ita magnos atque humiles eſſe. Non ira in oculis cuiquam, non ſolita ſuperbia in vultu reſidebat. tam placidi fuere, quam oves. Sed maximè taciturnitatem mirabar. funerata pars illa videbatur, qua viri apud nos ſunt. Quidam tamen capita inter ſe contulere, uti rebus feſſis conſulerent. mox plures adrepunt ſectæ quiſque ſuæ & diſſidii immemores. quippe animos commune periculum junxit. inimicitiæ & ſimultas poſt fuere. Nec mora. Electus fuit, qui omnium nomine reſponderet, unus inter primos honeſtus, forma admodum liberali, & cui vel adſpectus erat muta commendatio. tanta in eo indoles virtutis & modeſtiæ inerat. Hujus in tutelam ſe committunt. Monent, uti rem non ſuam, ſed omnium agat. omittenda eſſe cogitet, quæ in controverſiis poſita ſunt. non his nunc locum eſſe. ſi ſemel jam evaſerint, deinceps ſe uno animo fore. Ille, ne extremo in tempore ſuis deeſſet, veniam à principe petit, & conſtanti vultu hæc dicit.

INTER *miſerrimam fortunam, & non unius accuſationem deſtituti, quid potiſſimum tacere aut quatenus proloqui nos de-*

ceat, ignoramus, Dî manes. Confuſa enim cauſa eſt, & crimina diſſimillima: ex quibus nos ut quadam fateri, quàm defendere malumus, ita uti cætera inania eſſe intelligatis, dabitur opera à nobis. Equidem Sophia, ſanctiſſima divarum, cujus ego numen ſupplex veneror & colo, etſi jure pertæſa noſtri eſt, tamen leniter adverſus nos & benignè dixit. Culpam enim, quæ falsò noſtra eſſe creditur, natura aſſignavit; cui placuit, proh dolor, uti in maximarum rerum ignoratione vitam ageremus. Quod ſi animus vaſtus, anguſtiarum, quibus clauditur, impatiens, nimis alta & ſupra ſe poſita veſtigat; na id vitium proximè virtutem eſt, & generoſa pectora tenet. De pertinacia, poſſum dicere id, quod res habet; ab eadem origine eſſe. Nimirum idem omnes fallimur: amat quiſque, quod eſt à ſe inventum. in hoc delicias facit libidinesque: & uti aliis carum idem ſit, ſumma ope nititur. Nihil circuitione utar. errare, & decipi, & labi potuimus. quis miretur? homines ſumus, non dii. Si priſcas ſedes repetere per fata liceret, doceremus cunctos mortales, id quod eſt difficillimum, tenere ex ſapientia modum. Nullum hic ſcelus noſtrum, nulla impietas eſt. Tantummodo temeritatem Diva & immodeſtiam damnavit. itaque ſi ſola ad dicendum proceſſiſſet, taciti ſuffragia veſtra

exſpectaſ-

exſpectaſſemus. Nunc indignè, & à quibus minimè decuit, circumventi ſumus. Surrexere duo de noſtris, uti manus ſuas in nos, hoc eſt, in viſcera ſua verterent. Qui quando tales ſunt, audeant tandem, hortamur, rerumque ſacrarum odium, & quicquid diu male in tenebris diſſimulatum eſt, palàm & cœlo teſte fateantur. Sunt, dî manes, ſunt in hoc ordine noſtro quidam, quibus religionem omnem ex vita hominum tollere libido eſt. eas divitias, eam pulcram victoriam, magnumque triumphum putant. Hoc uti faciant, vitia noſtra apud plebem, maloſque mores culpant. mox, ubi pietatis fidem ſibi præſtruxere, cum magna mercede fallunt. Atque hæc quidem à noſtris patimur, præter jus faſque. Nam quod cæteri, qui ad hæc ſacra admiſſi non ſunt, prophani homines, noſtra noſque inſectantur, id nunc haud primum fit. Vetus ille morbus eſt, furere in virtutis magiſtros, & hanc mercedem rependere ſanctiſſimis viris. Non alios, quàm vos, teſtes volo, dî manes. ſe quiſque interroget. eadem experti eſtis. Publicè malignum in optimè meritos, ingratumque ſemper mortale genus fuit. omnes umbram rectæ indolis perdidere.

--- qua terra patet, fera regnat Erinnys.
In facinus juraſſe putes.

Et nós igitur noſtra fata magno animo fere-

mus. undique petimur. quidam vi & impreſſione everſum nos eunt. alii clanculùm maledictis lædunt. Inter ipſos literatos, qui nobilitare induſtriam ſuam vult, ſatyram in nos ſcribit: perinde quaſi ordinem noſtrum traducere, id demum eſſet ingenio uti. Neque nos propterea defetiſcimur tamen, aut opem ferre ægris mentibus ceſſamus. nam & deos, quos imitari par eſt, ſæpe ignorantibus, imò invitis, meminimus prodeſſe; & nobis recte factorum primus ſemper maximusque fructus fuit, feciſſe. Hoc illud eſt, quod ſeculo & orbi præſtamus. totius humanæ gentis pædagogi ſumus: & defenſorem mali ſui populum, quantum non deſperata perverſitas ejus tardat, ad rectum iter admovemus. Quid hic invidiam nobis faciunt, & humiles, plebeiosque, ac mendicabula hominum aiunt? Nemo ad bonam mentem parandam pauper, nemo ignobilis fuit. Paucos ab omni ævo accepit illuſtres virtus, multos reddidit. Nam & ignotos obſcurosque diis miſcuit, & plerumque rerum dominos tranſit,

Foresque vitat, & ſuperba civium
Potentiorum limina.

Equidem profectò, qui iſta nobis objiciunt, quid tandem prætermiſſuri ſint, non reperio. Omnes latebras perveſtigat malignitas, & ingenioſa eſt ad fingendum crimen. mox etiam,

etiam, quod ambulamus, quod vocem mittimus, quod corporis muneribus perſungimur, conquerentur. Quæ vos, dî manes, nunc moveant, ne impiorum libidini bonos largiamini. Non aram, nec deprecatorem adverſus illos paramus. Si ſacra eſt magnorum meritorum memoria, ſi ullum apud vos innocentiæ pretium, ſuccurrite miſeris. Quod ſi pœna digni cenſemur, at ſaltem providete diligenter, ne erroribus noſtris vindicandis, divini juris aliquid immixtum, violetis.

Multum juvit deploratam cauſam tam præſtans advocatus. itaque, qui poſtremo ſententiam dixerant, ſuomet indicio, quaſi ſorex, perierunt, & noluiſſent huc exitum. omnium enim oculis notabantur. iam voces diſſonæ per ſubſellia auditæ ſunt, jam ingens coronæ circumſtantis clamor erat, cùm princeps motus componit, cæterosque in ſuffragia ire, ac dein numerari ſententias jubet. Et profecto eo die, poſt conditum illud regnum, graviſſimum decretum factum foret, ni res inopinata conſilium diremiſſet. Quidam enim magna feſtinatione è vicino Tartaro accurrit, &, uti ad principem ſtatim adeat, omnium intereſſe ait. cedit multitudo. admittitur. Ibi exponit, Æacum regem ſuum ſociis

 amicis-

amicisque, ſenatui populoque eruditorum ſignificare, uti armati inſulam ſuam defendant, & fines latè cuſtode tueantur. adeſſe ingens periculum. omnes enim nocentes ſceleratosque, qui inferno in carcere à mille jam annis clauſi fuiſſent, ruptis vinculis abiiſſe. compertum ſibi ex conjurationis indice, beatam eruditorum inſulam invaſuros. Tum princeps, periculo exterritus, ſenatum dimittit, & ſingulos, uti viros ſe præbeant, monet rogatque. Vidiſſes cum riſu & joco timidiſſimum hominum genus, umbræ aſſuetum, abjecta omni ſpe concurſare, & inter ſe conſulere, qua lege perire vellent. Stoicorum gens, & pauci è cæteris, pro ſolita virtute, erectiores erant. Inter theologos pugna fuit. pars pericula propulſare, alii manum in ſinu tenere, & diis committere rem malebant. Qui inter eos ſceptici fuere, in neutram partem flectebant aſſenſionem, nihil ipſi interim ſtatuentes. Hìc Menippus, quid ſtamus? inquit. etiam ſine nobis propugnabitur Ilium. & alioqui non inſolens audio hujuſmodi nuntios.

Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compreſſa ſileſcent.

ſimul à turba quam longiſſimè ſecedit, ac per

ac per vicina me circumducit loca, ubi deus aliquis bene advocatus res nobis obtulit novas. Erat inter cæteram planiciem mons ſaxeus, velut opere atque conſulto, præceps. in imâ parte peranguſtus trames ſe aperuit: ad quem cùm acceſſimus, audio murmur inſolitum, & fractas per ſinuoſum aditum voces. Ego, more humani ingenii, ſtudio ignara viſundi, Menippum rogo, uti exploremus receſſus. Perſecuti igitur ſonum, ſpiſſiſſimam noctem evicimus, ſecretumque loci intramus, ubi cives aliquot de plebe perpotabant. Domum natura, non ars fabricaverat. Ubique ſedilia è vivo ſaxo erant. in medio recens ſemper vini liquor ex perenni currebat fonte. nulla ſpecularia, neque rimæ admittebant diem. Itaque Menippus, cùm ad faces & cereos rem cernit geri, Eia, ſalvete, inquit, lucifugæ. quid agitis? ut peritis? mox ad me, dii boni, ait, quanti eſt ſapere! ecce, ne heredis officium deſiderent, ſibi juſta faciunt. At illi largiùs merum jubent circumferri, noſque invitant. Non piguit me ineptias eorum notare, præ quibus nullos ludos ſpectaſſe velis. Nam ut omnium præcordia Liber aperuit, alius alium læti appellare; ſua quiſque dicta, ſcriptaque ad cœlum ferre;

cæteros ſpernere; poſtremò neque pudori, neque modeſtiæ parcere. id vitium eſſe quibuſdam aiunt, quos liberalium artium conſectatio moleſtos, verboſos, ſibi placentes facit. Unus ſupra modum ridiculus fuit, qui ſe delicium Muſarum, ſecum & natas & morituras literas jactabat. Huic, qui proximus adſidebat, aurem glorianti commodat, vocesque ejus iterat, & verba tollit cadentia; adeò docte hercules, ut mimus eſſe, & partes agere ſecundas videretur. Nunquam tam benè compoſitum par vidi. planè cum Bitho Bacchius erat. poſtquam diu creſcentem utrem inflaſſet, tandem, Vir ſumme populi, inquit,

Qualem te patriæ cuſtodes dii genuerunt. dic, ſed fide tuâ, num & ego degener mundi incola ſum? num inficiandum ſeculo nomen? Nec mora. immanem pateram in medio poſuit; & dextrâ manû caput, ſiniſtra ſcyphum tangens, conceptiſſimis verbis in hunc modum jurat,

ITA MIHI SUPREMUS REX, DIQUE OMNES, *quos me vereri & metuere par eſt, propitii faventesque ſint, ut mihi extra unum te, mortalis nemo magnus fuit, eritve. Quod ſi ſciens fallo, tum mihi aqua hoc poculum (dico, Iupiter, ut tu audias) totum impleatur.*

Dein

Dein haurit uno ductu ſpumantem calicem, ac poſtremò vini jam plenus, quiddam ſuffertum his verbis tinniit,

> αὐτὸς ὁ τῶ βατράχω, παῖδες, βίος· ὁ μαλθάξει
> τὸ πιεῖν ἐγχεῦντα.

Ex alterâ parte juvenis quiſpiam urbanioris notæ, ne ſileret ſine declamatione hilaritas, temulentiæ bona prædicavit,

Triſtem rem & anxiam eſſe, pectus ſiccum & jejunitatis plenum. ubi in venas benignior ille ſuccus manavit, gratiorem ire diem, & ſoles melius nitere. etiam priſci Catonis virtutem ſæpe mero perfuſam. ibi virum duriſſimum, coram quo Romam peccare puduit, frontem ſeveram & rugas explicuiſſe. Quod ſi ad doctrinæ templa tenderetur, neminem, dum apud ſe eſt, aliquid magnum & ſupra cæterorum mediocritatem, cogitare. mentem humanam, quodcunque ſibi imperat, obtinere. nec tam altè aliquid conſtitutum, quò illa non poſſit eniti. tantùm calore & impetu opus eſſe. quid autem hac inſania pulcrius eſſet, quæ diis nos æquat, & ſacro inſtinctu extra rerum terminos fert? repeterent omnium ſeculorum memoriam. ecquod unquam magnum ingenium ſine mixtura dementiæ vidiſſent?

Hæc taliaque cùm ebria voce jactaſſet, omnibus jam crimen ſuum voluptati

fuit, attritusque ſemel pudor non ſatietatem attulit, ſed incitamentum. Igitur læti porrò hilaresque agitant. ſcires facilè ex hac nota literatorum eſſe, qui apud nos ſuctu vivunt, muſcarum in morem, quibus pro lingua data fiſtula eſt. Iuxta ipſam ſcatebram ſedebat ſacrificulus quidam, & manu, quantum poterat vini, excepit, bibitq;. Is cùm intellexit nuntium ab Æaco veniſſe, atque hinc res trepidas ubique eſſe, metum ingentem; ſtatim ſeditioſi ingenii homuncio, has turbas magnis conatibus oportunas ratus, Agite, inquit, quouſq; proceribus obnoxii vivemus? non hoc natura nobis inſitum eſt, ſed uſu poſſidemur. hæc eſt illa dies, quâ rerum potiri licet. ſi viri eſtis, capeſſite rempublicam. Non longè abſtabam ego, & ad Menippum ſubridens, En jecur ſacerdotis, inquam. Ille ut ſenſit, gladiatorio animo ad me affectat viam, & iratum caput commovens, librata à ſummo capite manu, Medius fidius jam periiſti, inquit. Ego, dum ictum declinabam, ſubitò, quod in turbulentis ſomniis fit, expergiſcor, haud leviter iratus, quòd tam lepidæ fabulæ exitum non vidiſſem.

FINIS.

D. Ju-

D. IULIANI IMPERATORIS CÆSARES,

Sive

SATYRA

IN

ROMANOS IMPERATORES:

interprete

PETRO CUNÆO.

In limine eſt ejuſdem Præfatio in Iulianum.

Digitized by Google

PRÆFATIO IN JULIANUM,

AD

Ampliſſimum virum NICOLAUM ZEISTIUM, Leidenſium Syndicum.

PERSÆPE *equidem, Zeiſti virorum ampliſſime, illud contingere video, uti, cùm judicium de his, qui olim vixere, principibus fertur, multùm nos decipiat veterum quorundam, quos in Eccleſia dei claros atque illuſtres fuiſſe ſcimus, authoritas. Tantum enim opinio præjudicata poteſt, uti nihil ultra indagemus plerique, ſatiſque nos permoveat, etiam ſine ratione, eorum hominum ſanctimonia. Nimirum ſic exiſtimat vulgus, magnum in ſe nefas eum admittere, qui pietati, cujus titulis atque imperio Chriſtiana ſtat religio, defuiſſe interdum candorem credat. Ego, ſicut plurimis maximiſque argumentis eſſe illos excellenti & divina virtute viros judico, ita & præ ſtudio peccaſſe non ignoro, & memini fuiſſe perquàm acerbos. Vt de cæteris nihil jam*

dicam;

dicam; certè qui in Græciâ tunc aliquod nomen habebant, vitio gentis ſuæ, nimiùm fuere in utramque partem vehementes. Aderat cunctis Græcis facundia rotunda, eruditio admirabilis, ingenium ad omnia promptum. quarum hercle rerum præſidio effectum eſt, uti, quæcunque monumenta ad poſteros tranſmiſerunt, in iis maxima quædam & acerrima vis ſpiraret. Itaque quibus infenſi erant, eos per ſe magnos ſanè, & penè in cælo poſitos, trahebant ad inferos; & aliis rurſus, quos ornandos cenſuerunt, licet immerentibus, tantas laudes admenſi ſunt, uti poſteritas virtutes eorum, quæ vix mediocres ſunt, ſuſpiciat, & lapidem è ſepulcro veneretur pro deo. Non ego per ambages te, Ampliſſime Zeiſli, neque longa per exorſa detinebo. Rem tibi autorem dabo. Conſtantini virtutes plus quàm humanæ ubique celebrantur, & utramque paginam faciunt. Fecit ille quidem multa, quæ boni principis famam deturpent. nam & imperii opes in luxum abſumpſit, & auri luſtralis exactione crudeliter attrivit populum. verùm hæc Græci, quibus animus ſpei ac gratiæ obnoxius erat, cernere aut non poterant, aut nolebant. Itaque animus in verba ambitioſus, oblitus legis, preſſioriſque judicii, poſt tot accepta beneficia, nihil jam niſi maximas illius laudes magna mercede meditabatur.

batur. Iulianum verò, laudatiſſimum principem, quem natura omnibus ornatum rebus excellere voluerat, tam indignis modis traduxere, uti jam illius nomen toti mortalitati res ſit inviſa atque deteſtabilis. De quo principe, quoniam quid ſit judicii mei, dicendum hic aperte eſt, non committam equidem, uti, quod omnes merito reprehenſione dignum cenſent, id ego probare ullo pacto videar. Scio enim, & doleo medius fidius, fuiſſe illum religionis noſtræ, cui ſemel ſeſe addixerat, deſertorem atque hoſtem. Turpe profectò facinus, & quod furiarum ultricibus pœnis multandum haud negamus. Verùm ea res, etſi illum è ſanctiſſimâ Chriſtianorum gente expungit, interque profanos locat paganosque, tamen nunquam efficiet, uti propterea maximis accenſeri heroibus non debeat, qui ubivis terrarum, & quolibet in populo, ſacra noſtra, ceremoniasque contempſere. Eſt illud in omni negotio apprime pulcrum, res natura ſua diſſociatas ſecernere atque ſingula, uti per ſe ſunt, intueri. Enimverò ille univerſi conditor & rector deus, cùm ex tanta mortaljum, qui ubique per orbem tunc erant, multitudine, perpauci quidam ſalutarem illam lucem, quæ à Chriſti vultu nobis affulget, ſequerentur, tamen multa extare voluit illuſtria documenta; ex quibus diſceremus ineſſe in

cæteris

cæteris quoque divinitatis ſemina, atque omni loco naſci virtutem. Equidem ego, quoties mecum agitabam, qualem quantumque eſſe oporteret, qui ſummum inter homines teneret faſtigium, ſubiit animum meum, Iuliani veneratio; majorque in eo, atque altior eſſe ſpiritus videbatur, quàm uti cum cætera Imperatorum plebe cogi in ordinem poſſet. Eſt utique natura mortalium avida imperii, eaque cupido ita in maximis animis, ſplendidisque ingeniis inhæret, uti, qui cæteris rebus pietatem colunt, regnandi gratia violandum eſſe jus arbitrentur. Hic nihil tale animo affectans, cùm à Conſtantio Cæſar eſſet dictus, fatale ſibi malum, & ultimam denuntiari credidit neceſſitatem. Qui enim vitam ſemper in ſapientia & optimarum rerum ſtudiis egiſſet, ex alta velut arce res hominum deſpexit, nihilque eſſe ſceptra, niſi vano fulgore tectum nomen, intelligebat. Quia tamen communis utilitatis derelictio contra naturam erat, quod boni civis fuit, fecit, eamque perſonam, quam caſus illi & Reſpublica impoſuerat nolenti, decenter & cum magna laude geſſit. Fregerant Romani imperii vires bellicoſiſſimi Germanorum populi, quos ſuum cælum, ſuum ſydus acrius animabat. Hos ille armis ſic perdomuit, uti quas pacis leges barbari cæteris Imperatoribus dederant, eas

à juvene

à juvene & peterent ſuppliciter, & vivo illo conſtanter ſervarent. Iam verò poſtea in Perſas cùm exercitum duxiſſet, cuncta eorum oppida, cunctas provincias magna celeritate non tam curſibus ſuis, quàm victoriis peragravit. Atque hæc incunabula illi, & veluti rudimenta erant majorum rerum; cùm juvenem prima firmioris ætatis ſpatia ingredientem, fatorum iniquitas extinxit. Quamquam nos hercle non vita, ſed gloriæ ſpatio metiri illum decet, quem & belli uſus jam tunc formidabilem hoſtibus, & pacis artes cunctis non dicam civibus, ſed mortalium ſeculis fecere venerandum. Eſt quidem haud exigua res, ab eruditione, & ſapientiæ nutricibus literis aliquod decus trahere: verùm hæc umbratici hominis magis, quàm principis laus eſt. Etenim, qui res gerere, & civibus oſtendere captos hoſtes didicit, is mihi demum & imperio dignus eſſe, & Iovis attingere ſolium videtur. Noſter, quod paucis fuit quodam deorum munere conceſſum, virtutes diſpares prudentiâ junxit, &, cùm ne in caſtris quidem, interque clangentes tubas philoſophum exueret, aut à prioris vitæ recederet conſuetudine, tamen manu ſtrenuus omnibus adfuit locis, ſucceſſibusque ſuis inſtituit, & oblata caſu flexit ad conſilium. Ita eodem tempore inſcitiam, teterrimam belluarum, & ſimul

gentes

gentes debellavit Romano nomini inimicas. Quæ licet ſumma, & propemodum divina ſint, tamen poterat tantarum rerum laudem deſtruxiſſe aut animus nimia felicitate inebriatus, aut morum atque vitæ turpitudo. Etenim ita res eſt. qui magno imperio præditus in excelſo vivit, multò faciliùs in cæteros omnes, quàm in ſe, regnum tenet. Hic, cùm in ſolidam virtutis poſſeſſionem primis adhuc annis, & lubrico ætatis miſſus eſſet, animum ſemper ſupra fortunæ indulgentiam geſſit, quæ tamen frangere etiam conſtantiſſimas mentes ſolet. Non enim ſtupris atque libidinibus principem egit, aut ex magno imperio tantùm uſurpavit licentiam, ſed ita ſe cuſtodivit, quaſi legibus, quas nemo regi ſcripſit, redditurus eſſet rationem. Itaq; amiſſa Helena conjuge, quam ille unam caſtè dilexerat, non matronarum jam pudicitiam, ſed naturæ expugnavit deſideria; & qui omnium rerum circumflueret copiis, vitam aſperam atque duram, ex lege illius, quam ſequebatur, diſciplinæ, egit. Neque illa verò minor laus erat, animo leni atque placido eſſe, & injurias atque offenſiones in ſumma potentia pati. Iactaverat in optimum Imperatorem fœdiſſima probra Antiochenſis populus. homines enim, Chriſtiani quidem, ſed luxu & deliciis enerves, quibus ſtudium erat totos dies in theatris deſidere,

deſidere, gravitatem jam ferre ſui principis nequibant, qui hiſtrionum ſpectator & applauſor non eſſet. Quod igitur unum poterant, petulantiſſimam linguam in eum vibrarunt, eo conſilio, uti tranquilliſſimo pectori extorquerent patientiam. Ille tot dicteria & venenatos ſales non ferro aut igni vindicavit (quæ tamen urbanitas in omnibus regibus extimeſcenda eſt) ſed jocos illis quoſdam, quorum eſt incomparabilis venuſtas, repoſuit. Ita, qui omnia videbat ex ſe uno pendentia, contumelias ſuas nullâ acerbitate executus eſt, pulcrumque duxit, & ſe dignum, impunè lædi. Fuit profectò, fuit Græcorum quorundam, qui eâ tempeſtate Eccleſiam rexere, magna imprudentia. Etenim, uti cauſæ ſuæ ſervirent, principem Chriſtianis infeſtum laceſſebant, quem tolerare ſatius fuiſſet. Sunt in hominum manibus orationes eorum, in quibus, tanquam in ſcena, palam eum omnibus ludibrium fecere, & faciem illius, formamque corporis, atque geſtus, tum alia fortuita, quæ vulgus & imperitiſſimus quiſque notat, traxerunt in culpam. Qui viri, ſi meminiſſent temporum, quibus nati erant, ſanè neceſſitati, quæ pertinax regnum tenet, ſine contumacia paruiſſent, &, quod magnæ prudentiæ eſt, obſequio mitigaſſent imperia. Sed nos eam rem in medio relinquimus. Id enim modò agimus

mus nunc, uti Iulianum cum cæteris principibus, Græcis, Romanisq; hominibus paganis, componamus. Quorum ille virtutes ſic ſuperavit, uti, quæ ſingulis partitim contigere, eas unus hic habuerit univerſas. Rariſſimam enim rem, & prope invidendam, magno ſtudio concupivit, innocentiam, & (ſine invidiâ dixerim) aſſecutus eſt. Cæterùm, qui vitæ ipſe ſuæ, morumque acerrimus cenſor eſſet, haud facilè cæteris rerum dominis, magnis ſanè viris, ſed negligentiùs interdum viventibus, malefacta condonabat. Bello inſignis aliquis fuerat, ſed pacem multis vitiis fœdabat. Alius quam in toga pepererat laudem, inter arma temeritate aut ſocordia amiſit. Poſtremò nemo adhuc exſtiterat, quem ipſa regni indoles, ſceleris atque flagitiorum viam non doceret. Quæ cùm perſpexiſſet noſter, librum ſcripſit eruditiſſimum, in quo univerſos Cæſares, qui ante ſe Romanis imperitaverant, mira tetigit dexteritate. Neminem enim eximium habet, ac ne Marco quidem Antonino, cujus ſe imitatorem profitetur, pepercit. Ita de tota antiquitate veluti judex ſedet, &, dum cenſuram agit regnantium, plus ſanè quàm regnare videtur. Eum librum cùm nuper attentiùs per legerem, jucundiſſima voluptas animum pertentavit meum, impetusque

mihi

mihi fuit totum illum è Græco vertere, ne quo ornamento in hoc quoque genere careret Romani ſermonis majeſtas. Fecerat hoc pridem ante nos ſummæ dignitatis ſenator Carolus Cantoclarus, vir inter primos Gallorum eruditus, ſed qui aditum profectò nequaquam noſtris præcluſit conatibus. Multa enim & perperam dixit, & plura non intellexit, &, quæ corrupta erant, præteriit, magna alieni judicii ſecuritate. Mihi conſilium eſt, quicquid inſuper illius principis exſtat, propter ſummam, quæ ubique hîc elucet, eruditionem, in poſterum non omnino ſpernere. Quanquam ſcio hercle, nihil ſcripſiſſe eum unquam, quod ante CÆSARES *iſtos jure poſſit poni. Itaque tam illuſtre monumentum haud eſſe ego indignum cenſui, quod tuum ſibi nomen, Ampliſſime Zeiſti, præſcriberet. Enimverò es tu ille, qui in urbe florentiſſima, atque in hac luce hominum, præſtanti honore, ſumma eruditione, prudentia emines ſingulari, planè uti & patriæ tuæ vigilantiſſimum civem, & cunctis eruditis, qui hîc ſunt, virum repræſentes doctiſſimum. Super omnia tamen eſt, quòd tali ingenio es, uti, qui cæteras animi tui virtutes, magnas hercle & inuſitatas, colunt, plus tamen divinum tuum judicium mirentur. Quâ ego re fretus, anxiis moroſiſque hominibus, qui nihil, niſi quod vulgus probat, ſequun-*

quuntur, ſuperſtitionem relinquo ſuam. Quæ enim de Iuliano dixi, ea nec ego primus ſentio; & tu, cùm veriſſima ſint, invitis etiam omnibus, aſſerenda fateberis. Certè primum maximumque animi noſtri bonum, veritas eſt: cujus neque regnum nos unquam nobis eripi per vim ſinemus; &, quod ingenuæ ſimplicitatis eſt, virtutes etiam in impiis paganiſque poſitas, ſine odio, ſine partium ſtudiis, perſanctè venerabimur.

D. Iuliani Imp. Epitaphium, Tarſi, in Cilicia.

Apud Zoſimum lib. Hiſt. III.

Ἰουλιανὸς μετὰ Τίγριν ἀγάρροον ἐνθάδε
κεῖται,
Ἀμφότερον βασιλεύς τ᾽ ἀγαθὸς, κρατερός τ᾽ αἰχμητής.

D. Iu-

D. JULIANI IMPERATORIS CÆSARES,

ſive,

Satyra in Romanos Imperatores.

SATURNALIA nunc ſunt, & ludendi otium deus nobis facit. Itaque licet ridiculum nihil, neque jocoſum mihi in mentem venit, tamen vel ſic operæ pretium eſt quædam etiam ſeria narrare. A M. Quid igitur? Adeone hebes quiſquam & rerum ignarus eſt, uti poſſe ſe ſperet cum cura & molimine jocari? Ego verò ſic in animum induxeram, eſſe hos luſus nihil hercle aliud, quàm animi remiſſionem, & curarum requiem. IUL. Haud fefellit te ratio. Verùm mecum haud eadem res eſt. nam nec ipſe quenquam falsè tangere, nec aliorum dictis ad ludendum uti, aut

omnino ridicula dicere ſcio. & tamen, quoniam legi eſt atque conſuetudini parendum, vin' tu quaſi per jocum fabulam tibi quandam exponam, in qua multa ſunt auditu haud indigna? AM. Imò tu verò cupido & haventi narraveris. Nam nec ego ſpernere omninò eas, quæ meliores ſunt, fabulas ſoleo; & in ea re tecum mihi, aut potiùs cum Platone noſtro convenit. quippe ille gravia multa & ſeria fabulis perſecutus eſt. IUL. Eſt ita, uti dicis, profectò. AM. Sed quæ illa tandem, aut qualis eſt fabula? IUL. Non è veteribus aliqua, quales Æſopus finxit; ſed ejuſmodi commentum, quod tu à Mercurio profectum ſi dixeris, *nihil errabis.* Id enim tibi ut ab illo accepi, referam. Utrum autem verum ſit, necne; ipſa res arguet. AM. Satis tu quidem poëtarum nobis & rhetorũ more præfatus es. Nunc mihi rem, ut ſe habet, ediſſere. IUL. Iam audies.

ROMULUS in cœlo, cùm de more Saturnalibus, *optimo dierum,* ſacrificaret, cunctos invitavit Deos, atque ipſos etiam Cæſares. Parati erant lectuli, diis quidem in ſuprema cœli regione,

Ad

Ad pulcrum (namque illadeûm domus audit) Olympum.

Quippe poſt Herculem illuc aſcendiſſe fertur Quirinus. quo quidem nomine ille nobis, ſiquidem deûm reſponſis paremus, appellandus eſt. Et diis quidem illic inſtructum eſt convivium. Sub ipſum verò Lunæ orbem, in ſummo aëre, Cæſares epulo excipere placuit. quo in loco illos & corporum, quibus amicti fuere, levitas, & Lunæ rapida circumvolutio ſuſtinebat. Igitur diis illis, qui primi dignitate, maximique erant, quatuor lectuli ſternebantur, decoro apparatu. è fulgente ebeno Saturni thorus erat, cujus colori nigro & obſcuro, copioſa tamen ac penè divina lux indita fuit, nemo ut illam contrà intueri poſſet. quippe ita oculi illius fulgore perſtringebantur, ut ſolis aſpectu ſolent, quoties in illum defiguntur. Jovis lectus argentum nitore, aurum puritate vicit. Id verò utrum rectè electrum, an aliud quiddam diceres, haud ſatis apertè ille è natura eorum, quæ de metallis ſolent erui, exponere potuit. Aureis in thronis aſſidebant utrinque mater atque filia, Iuno qui-

dem juxta Iovem, at proximè Saturnum Rhea. Deorum autem quanta pulchritudo eſſet, neque ille memorabat (quippe majus hoc quiddam eſſe, & ſolâ mente contemplandum aiebat, auditu verò, aut narratione percipi, ſignisve demonſtrari non poſſe) neque ullus vel maximi nominis orator tantam dicendi vim habebit, uti eximium formæ decus, quod in deorum ore elucebat, effari poſſit. Cæteris quoque diis pro ſuâ cuique dignatione paratæ erant ſedes. Neque ulla inter eos contentio fuit. Etenim, quod Homerus finxit (Muſis, opinor, dictantibus) ſuus cuique attributus eſt locus, quem perpetuo tenere jus illis fasque eſt. Itaque advenienti patri cùm una omnes aſſurgunt, haudquaquam turbant ſedendi ordinem, neque locum alter alterius malâ occupat ambitione, ſed quid ſibi aſſignatum ſit, meminit quiſque. Igitur poſtquam omnes in orbem conſediſſent, Silenus Bacchi, ut videbatur, amore captus (nam & formoſus erat, & adoleſcens admodum, atque ore Iovem referebat patrem) applicuit ſe ad illum, quippe quem educaſſet

caſſet olim, ſuoque ductu rexiſſet. Is deum ſuapte natura ludo atque riſu gaudentem, omnisque venuſtatis autorem, cum aliis rebus, tum dentatis jocis, dictisque ridiculis oblectabat. Poſtquam verò & Cæſarum apparatum fuit convivium, primus introiit Iulius Cæſar, cui animus ambitioſus, *omnia vaſta & immoderata cupiens*, cum ipſo Iove certabat de regno. Hunc intuens Silenus, tu verò, Iupiter, cave, inquit, ne hic tibi imperium auferre tentet. tanta in eo eſt dominandi libido. Eſt, ut vides, inſigni corporis magnitudine & forma; ac mihi ſi non alia re, at ſaltem capite perquam ſimilis. Dum adhuc per jocum hæc diis haud admodum attentis diceret Silenus, Auguſtus prodiit, chamæleontis more varios induens colores, nunc pallida, mox rubente facie, dein obſcura, tenebroſaque, & nubila, tandem verò rurſus vultum in Venerem atque in venuſtates remittens. Quin & exiſtimari volebat oculis ſuis, itidem ut ſoli, ineſſe quiddam divini fulgoris, nec quenquam eſſe, qui ſe acriùs intueri poſſet. Tum Silenus, papæ, inquit, ut ſe in omnes formas

Iulius Cæſar.

Auguſtus.

mutat iſtæc bellua! Quod tandem magnum malum nobis afferet? Huic Apollo, deſine, inquit, nugarum. ego enim hunc Zenonis iſtius diſciplinæ tradam, ac mox ita eum expurgatum dabo, uti purum putumque aurum eſſe dicatis. Et ſimul, adeſdum, inquit, Zeno, curato alumnum meum. Ille cùm ei in aurem occentaſſet febriculoſa quædam dogmata (ut ſolent, qui Zamolxidis incantamenta ſuſurrant) ſtatim effecit uti cordatus atque frugi eſſet. Tertius acceſſit Tiberius, ſevero ac truci vultu, planè ut prudentiam quandam & bellicam virtutem promitteret. Hic cùm ad ſedem ſuam ſe converteret, forte in tergo ejus cicatrices multæ apparuere: ſtigmata, inquam, & ſtriæ, verberumque veſtigia, ac vibices, ex intemperantia atq; cruditate, lepræ & impetiginis in modum, inuſtæ. Tum Silenus ait,

Tiberius.

Longè alius, quàm pridem, hoſpes,
nunc eſſe videris.

quæ cùm dixiſſet, ſolito eſſe gravior videbatur. Itaq; huic Bacchus, quî tu tam ſerio vultu es, mi pater? inquit. at ille, Commovit me, inquit, iſte Satyricæ libidinis ſenex, fecitque ut

mei

mei obliviſcerer, atque in medium aliquid afferrem ab Homericis Muſis petitum. Atqui auribus te trahet, ait Bacchus. nam & ſic olim Grammaticum fertur quendam multaſſe. Imo ploret, inquit Silenus, in receſſu inſulæ (Capreas innuebat) & miſero piſcatori perfricet faciem. Dum ſic jocantur, intrat Cajus, deterrima bellua; à quo dii cuncti avertere oculos. Dein illum Nemeſis diris, furiisque ultricibus tradit, à quibus in Tartarum miſſus eſt. Itaque nihil Sileno in illum dicere licuit. Claudio vero introeunte, Ariſtophanis Equites cantare incipit Silenus pro Demoſthene. dein, quaſi Claudio blandiretur, ad Quirinum converſus, Malè factum, inquit, Quirine, quod nepotem tuum ſine Narciſſo & Pallante, libertis ejus, in hoc adduxiſti convivium. Quin age, inquit, accerſe eos, & unà, ſi videtur, uxorem ejus Meſſallinam. ſine iis enim prope dixerim mortuum eſt hujus tragœdiæ ſatellitium. Adhuc loquebatur Silenus, cùm, ecce, ſupervenit Nero cum cithara & lauro. Dein ad Apollinem Silenus, Iſte, inquit, ad tui imitationem ſe componit.

C. Caligula.

Claudius.

Nero.

nit. cui rex Apollo, Ego vero, inquit, illi è veſtigio coronam auferam. nam neque mea omnia imitatus eſt, &, ſicubi id tentavit, haud, ut decet, eſt imitatus. Illum igitur Cocytus, decuſſa de capite corona, abſtulit. Poſt hæc plures non ejuſdem generis accurrerunt, Vindices, Galbæ, Othones, Vitellii. Tum Silenus, unde, inquit, dii, hæc ignobilis imperatorum turba eſt? ſanè fumo ſuffocamur. Ne propinquis quidem & neceſſariis iſtæ belluæ pepercere. Cæterùm Iupiter fratrem ſuum Serapim intuens, Veſpaſianum illi monſtrat; &, mitte, inquit, avarum iſtum quàm celerrimè ex Ægypto, uti hanc flammam reſtinguat. è filiis autem, major natu quidem cum Venere Pandemo ludat; at, qui junior eſt, eum ferreis vinculis, planè ut Phalaridem, teterrimam Siciliæ belluam, conſtringito. Prodiit poſt hos ſenex quidam aſpectu pulcher (nam & in ſenecta ſæpe pulchritudo elucet) affabilis, acceſſuq; facilis. quem cùm revereretur Silenus, nihil admodum dixit. Itaque Mercurius, de hoc verò, inquit, quid tu nobis ais? imo vero, inquit, iniquitas hic veſtra,

Veſpaſianus. *Titus.* *Domitianus.* *Nerva*

ſtra, dii, accuſanda eſt, qui ſanguinariam belluam quindecim imperare annos ſiviſtis, hunc vero vix unum. Ne tu id carpe, aiebat Iupiter. Etenim poſt hunc multos tibi de meliore nota adducam. Itaque ſtatim Trajanus ingreſſus eſt, humeris ſuis Getica & Parthica trophæa geſtans. *Trajanus.* Quem ut vidit Silenus, ſubmiſſa voce, quaſi & latere ſimul, & audiri ſe vellet, Iam, inquit, Iovi ſummo rerum moderatori tempus eſt videre, uti Ganymedes pocula cuſtodiat. Poſt hunc quidam promiſſa barba prodit, inceſſu ſuperbo & inſolenti. *Adrianus.* Is cum alia multa, tum artem adhuc ſecum meditabatur Muſicam, & ſublatis crebro in cœlum oculis, multa recondita, & quæ vulgus neſcire debet, cum cura agitabat. Hunc intuens Silenus, obſecro, inquit, quid de iſthoc ſophiſta vobis videtur? num Antinoum hîc quærit? nuntiet ei aliquis, non adeſſe hic puerum illum, & ſimul futiliſſimum hominem hac deliratione liberet. Dein intrat vir moderatus, haud ſanè Venereis in rebus, ſed in reip. adminiſtratione. *Antoninus Pius.* Quo viſo Silenus, papæ, inquit, quanta minutiarum rimatio! hunc

ego ſenem unum eſſe de iſtis puto, qui cuminum ſecant. Dein, cùm par fratrum intraret, Marcus Antoninus, & Lucius Verus, mirè frontem contraxit Silenus. quippe nihil fuit, quod ſalsè in eos aut mordaciter diceret. maximè quidem in Marcum. & tamen hujus ipſius quoque errata quædam, circa filium, circaque uxorem, curiosè exquiſivit. circa hanc quidem, quòd ultra, quam ſatis eſt, mulierem luxit haud omnino probam. at circa illum verò, quòd imperiũ *perditiſſimo adoleſcenti commiſſum*, ruere unà cum illo ſiviſſet in præceps, cùm generum haberet gnavum, qui & remp. rectè tutatus fuiſſet, & filium ejus meliùs, quam ipſe ſemet, rexiſſet. Igitur Silenus quamvis diligenter hæc indagaſſet, tamen, Marci virtutem reveritus, *ſiluit*. Filium autem ejus, quia tanti non erat, dimiſit intactum. quippe humi procubuerat, neque ſtare in gradu, aut cæteros ſequi heroes valuit. Acceſſit Pertinax quoque, & medio in epulo de percuſſoribus ſuis queſtus eſt. Quem miſerata Nemeſis, atqui, inquit, qui participes iſtius conſilii, quique autores fuere, haud

M. Antoninus.

Commodus.

Pertinax.

haud ſanè gaudebunt facto. Quanquam & tu, Pertinax, animo quidem certe & cogitatione, videris adjuviſſe eas inſidias, quas Marci filio ſtruxere. Secutus eſt Severus, mirè acer atque vehemens pœnarum exactor. De hoc nihil dicam, inquit Silenus. metuo enim hominem trucem & inexorabilem. Ut verò cum illo & filii ingreſſuri erant, eminus eos Minos prohibuit. Verùm ſimul atque alterum ab altero dignovit, juniorem quidem introire ſivit, alterum verò ad ſupplicia *& inferorum cruciatus* miſit. Exinde Macrinus, homo cædes clanculum patrare doctus, ac poſt hunc adoleſcens ille, quem Emeſa civitas edidit in lucem, procul à ſacris cœli ſeptis arcebantur. At Alexander Syrus inter poſtremos ſedens, miſerum fatum ſuũ deflebat. quem Silenus irridens, ô te hominem, inquit, fatuum & inſulſum! tanto enim imperio præditus cùm eſſes, non tu ipſe rerum tuarum fuiſti dominus, ſed matri opes commiſiſti tuas; neque intelligebas, *miſer*, quanto ſatius eſſet, inſumere eas in amicorum uſus, quàm conſtruere & coacervare. Ego verò, inquit, Nemeſi

Severus

Geta.

Antoninus Caracalla.

Macrinus.

Heliogabalus.

Alexãder.

meſi eos omnes tradam puniendos, qui his rebus autores fuere. Atque ita dimiſſus eſt adoleſcens. Introiit dein Gallienus una cum patre. hic quidem vincula, quibus in carcere conſtrictus fuerat, adhuc trahebat; ille vero ſtola amictus, greſſu inundabat molliore. In patrem Silenus hæc luſit,

Gallienus cum Valeriano patre.

Quis iſte nitens galeâ
Regit aciem, ac præit?

in Gallienum verò iſtud,

Qui teneræ auratus laſcivit virginis inſtar.

Hos ambos Iupiter procul illinc è convivio abire juſſit. Intrat poſt hos Claudius; in quem ut defixerant oculos dii, animum ejus celſum atque magnum mirati ſunt, ejusque poſteris annuerunt imperium. quippe æquum videbatur, uti ejus hominis nepotes, qui patriç amantiſſimus fuiſſet, diu rerum potirentur. Poſt hos accurrit Aurelianus, quaſi eorum manibus elapſus, qui eum apud Minoem detinuerant. multæ enim injuſtarum cædium ei movebantur lites, & cùm malè cauſam defendiſſet, jam reus erat. At Sol vero, deus dominusque meus, qui & alibi opem illi

Flavius Claudius.

Aurelianus.

illi tulerat, haud leviter nunc in hac quoque re eum juvit. quippe palam inter deos prædicabat, jam & pœnas eum ſolviſſe; & completum eſſe, quod Delphis editum fuit, oraculum,

Qui patitur, quod fecit, ei jus contigit æquum.

Hunc Probus comitatur, qui ſeptuaginta urbibus intra annos vix ſeptem receptis, multa iniqua & acerba paſſus, cùm alia recti præmia à diis tulit, tùm illud verò maximum, quòd percuſſores ejus graviſſimas dedere pœnas. In hunc tamen Silenus aliquid dicere conabatur, licet tacere eum plerique juberent. At ſinite ſaltem, inquit, eos, qui poſt victuri ſunt, hujus periculo ſapere. An ignorabas, Probe, medicos amara pharmaca ægris cum aqua mulſa præbere? Tu verò immitis ſemper, & aſper eras, nunquam ut ulli cederes. Itaque iniqua tu quidem, ſed factis tamen tuis haud diſſimilia, tuliſti. Non enim equis, non bobus, non mulis, nedum hominibus, feliciter imperes, ni eorum libidini aliquantulum indulgeas. quemadmodum interdum ægrotantibus medici quædam concedunt *Valerius Probus.*

dunt leviuſcula, uti majori in re obtemperare ſibi ne recuſent. Quid iſtuc nam monſtri eſt, mi pater? ait Bacchus. An tu philoſophus nobis ſic derepente prodiiſti? Atqui (reſpondet ille) nonne & te, fili, philoſophum feci? dein, an neſcis Socratem etiam ore mihi & vultu perſimilem fuiſſe; qui palmam inter ſapientes ſui tulit ſeculi, ſiquidem tu Delphicum oraculum haud eſſe vanum credis? Sit ergo fas nobis non ridicula modo, ſed & ſeria quædam dicere. Adhuc illi inter ſe loquebantur, cùm Carus inferre ſe ad nos una cum liberis cupiens, à Nemeſi abigitur. Tum Diocletianus ambos ſecum ducens Maximianos, avumq; meum Conſtantium, decenter atque ordine progreſſus eſt. Hi manus quidem junxerant inter ſe, ſed tamen haud pariter incedebant. quippe quidam quaſi chorus eum cinxerat, feruntque qui ſatellitum more præire vellent. quos inhibuit ille. nihil enim ſibi præ cæteris arrogabat. Ut verò fatigari ſe ſenſit, cuncta, quæ humeris geſtabat, ipſis impoſuit. ipſe liber & expeditus ambulabat. Mirati ſunt dii unanimem iſtum conſenſum,

Carus. *Diocletianus.* *Maximiani duo.* *Conſtãtius.*

ſenſum, dederuntque eis, uti præ cæteris digniore ſederent loco. Maximianum tamen, hominem mirè intemperantem, Silenus quidem inceſſere dicteriis noluit, cæterùm ad imperatorum epulum eum non admiſit. Non enim modò erat in libidinem pronus, ſed & cupidus rerum novarum, infidusque, & tetrachordo haud omnino conſonans. Itaque expulit eum Nemeſis. ille autem abiit neſcio quo terrarum. id enim ex Mercurio ſciſcitari neglexeram. Huic tam concordi tetrachordo acceſſit alter quidam gravis, & aſper, atque turbatus tonus, *qui è tribus erat compoſitus.* è quibus duos ſic à deorum cœtu excluſit Nemeſis, uti ne ad veſtibulum quidem eos accedere ſineret. Licinium verò, *qui tertius erat*, cùm limen attigiſſet, multa, & abſona agitantem, ſtatim abegit Minos. At Conſtantinus introiit, diuque aſſedit; dein poſt illum & liberi. Nam Magnentio quidem introire fas haud fuit, quia nihil, quod ſani hominis eſſet, fecerat. Etenim etiamſi multa ab illo præclarè geſta viderentur, tamen dii, poſtquam perſpexere non eſſe hęc à recta animi

Licinius.

Conſtātinus, & filii.

Magnētius.

animi indole, plorare eum & faceſſere ſiverunt. Atque hic quidem cœnæ apparatus erat. Fuit autem diis nullius rei inopia. omnia enim abunde habent. ſed herọum cœtui Mercurius deeſſe aliquid exiſtimavit. à quo nec Iupiter diſſenſit. Etiam Quirinus jam dudum petierat, uti aliquis illuc de ſua gente introduceretur. Tum Hercules, nunquam erit, inquit, Quirine, ut hoc patiar. cur enim Alexandrum quoque meum ad hanc cœnam non vocaſti? te igitur rogo, ait, ſumme Iupiter, ſi quem iſtorum introducere ad nos ſtatuiſti, Alexandrum accerſe. Etenim, quandoquidem virtutem cujuſque experiri nunc & tentare libet, cur, obſecro, eum, qui cunctis præſtantior eſt, abeſſe patimur? Rectè dicere Alcmenæ filius Iovi videbatur. Intrante autem Alexandro, nec Cæſar illi, nec alius quiſquam aſſurrexit. At ille, reperta ea ſede, quam vacuam illi fecerat Caracalla (propter fratris enim necem expulſus eſt) aſſedit. Tum Silenus Quirino illudens, vide, inquit, ne *omnes* iſti *nepotes tui virtute & fortitudine* infra unum hunc Græcum ſint. Imò per Iovem, ait Quirinus,

Alexander Magnus.

exiſtimo

exiſtimo multos è meis haud eſſe illo deteriores. Eſt ille quidem tantâ in admiratione apud poſteros meos, uti unum hunc è cunctis barbaris Magnum & dicant, & habeant: ſed neminem tamen è ſua gente huic cedere arbitrantur, ſive quod ſua amant, ſive quod ita res eſt. Hoc autem quale ſit, jam experimento diſcemus. Dixerat Quirinus, & erubuit. quippe de nepotibus ſuis angebatur, ne forte illi ſecundas ferrent. Poſthæc conſuluit deos Iupiter, utrum omnes inter ſe committi, an verò iſtud certamen inſtitui ad Gymnaſiorum morem oporteret; in quibus, ſi quis eum, qui ſæpè victor fuit, ſuperaverit, is, licet uno hoc tantùm ſuperato, nihilominus etiam ſuperaſſe illos videtur, qui cum ipſo quidem non certarunt, ſed ab eo, quem ipſe ſuperavit, devicti ſunt. Atque ea judicii faciendi ratio omnibus accurata eſſe videbatur. Igitur Cæſarem Mercurius alta voce citavit. dein Auguſtum. tertio Trajanum. in illis enim plus bellicæ virtutis erat. Tum ſilentio facto, rex Saturnus, Iovem intuens, mirari ſe ait, cur ex imperatoribus eos quidem

dem, qui bellica excellerent laude, ad iſtud certamen vocaſſet, è philoſophis autem neminem. quos ego tamen, ait, non minùs, quam iſtos, amo. itaque & Marcum intrò vocate. Et ille quidem accerſitus adfuit, gravis admodum & ſeverus, & cui oculos faciemque contraxerant nimiæ curæ. pulcritudo autem hac ipſa in re elucebat maxima, quòd incompta & neglecta forma eſſet. barba enim erat promiſſa, amictu vili, & ad philoſophi modeſtiam compoſito. tum & ex ciborum abſtinentia corpus ei ab omni parte lucidum erat, planè (opinor) inſtar puriſſimi luminis. Iā igitur & ille ſacra ſepta intraverat: & ſimul Bacchus, maxime regum, inquit, Saturne, num decet apud deos aliquid reperiri imperfectum? Negantibus illis, Ergo, inquit, etiam hominem aliquem voluptarium huc accerſamus. Atqui, ait Iupiter, abſit, uti huc pedem quiſquam inferat, qui noſtra nosque non ſequitur. Imò in veſtibulo ſtet, ait Bacchus, atque illic ejus cauſa agatur. Cæterùm, ſi hoc placet, vocemus hominem haud imbellem quidem, ſed voluptatibus tamen

men

men & deliciis emollitum. Acceſſit igitur uſque ad veſtibulum Conſtantinus. His ita decretis, de modo certaminis relatum eſt. Ac Mercurius quidem cenſuit, uti ſigillatim pro ſe diceret quiſque, ac dein dii ferrent ſuffragia. Apollini autem ſecus viſum eſt. quippe ex ipſa re, non ex dicendi arte, aut è verborum lenociniis judicium debere fieri. Iupiter cùm & utrique obſequi, & concilium vellet in longum trahere, Nihil vetat, inquit, quin & dicere illis permittamus (pauxillum enim aquæ in clepſydram cujusque fundemus) & dein interrogemus ſingulos, ac mentem cujusque exquiramus. Tum Silenus, amarum ridens, Atqui cave, inquit, Neptune, ne Trajanus & Alexander aquam iſtam eſſe nectar credant, ac dein, quantum affuſum eſt, exſorbeant, cæterisque ſpatium dicendi nullum relinquant. Cui Neptunus, non hi profectò meæ aquæ, ſed veſtri liquoris amantes fuere. tuis igitur vitibus te magis, quàm meis me fontibus timere decet. Silenus tam mordaci dicto tactus, ſiluit, & ad contendentium certamen animum deinceps advertit.

Mer-

Mercurius autem hæc edixit,

Iudex pulchra
Præmia palmæ
Laturus adeſt,
Tempusque vocat,
Prohibetque moras.
Nunc præconis
Regia turba
Percipe vocem,
Quotquot domitis
Marte ſecundo
Populis quondam,
Arma, ſimulque
Provida corda
Geritis, promta
Semper in hoſtem;
Nunc judicio aſſur-
gite noſtro.
Seu vim mentis
Finem humani
Ponitis ævi,
Summamque boni
Ducitis, hoſti
Nocuiſſe ſuo,
Et opem ſocio
Ferre petenti:
Sive voluptas
Meta laborum
Placet atq; epulæ,
Et dulcis Hymen,
Oculosque juvat
Paſcere: ſeu vos
Humero molles
Ferre lacernas,
Gemmisque agiles
Cingere dextras
Dulce putatis.
Iovis in gremio
Poſitam vobis
Credite palmam.

Dum hæc edicit Mercurius, ſortes duxere. Ac Cæſar quidem, cui ſtudium ſemper fuerat primas ubique ferre, etiam hîc ſortem habuit ſuis faventem votis; eaque res animum ejus tumidum atque inſolentem fecit. Itaque prope fuit, uti judicium Alexan-

Alexander ſubterfugeret. ſed retinuit eum, animavitque maximus Hercules. A Cæſare ſecundum dicendi locum ſors Alexandro aſſignavit. cæterorum ſortes ſuo cujuſque ordine prodierunt. Cæſar igitur ſic inſit:

Mihi quidem, Iupiter, voſque dii cæteri, poſt tot clariſſimos viros in tantâ naſci urbe contigit, quæ tam latè, atque ulla unquam civitas, dominata eſt, & à qua cætera proximum ſe locum tenere, pro magnifico duxerunt. Etenim quænam tandem urbs, à tribus hominum millibus ortum ducens, vix totis ſexcentis annis imperium ſuum *ad extremos mundi fines armis protulit? Quæ unquam priſca gens tot præſtanti virtute & fortitudine viros, aut tot reip. moderatores edidit? denique deos quinam tanta pietate venerati ſunt? In hac tanta & tali urbe genitus, omnes ego, qui aut mecum vixere, aut antea fuere unquam, rerum geſtarum gloria anteivi. Atque ex civibus quidem meis, nemo hercle quiſquam, opinor, eſt, qui gloria ſe mihi anteferre ſtudeat. Quod ſi Alexander iſte facere id audet, obſecro verò, quodnam præclarum facinus ſuum meis cum geſtis conferet? fortaſſe,*

Iulii Cæſaris oratio.

taſſe, quæ adverſus Perſas geſſit. ſcilicet, quaſi non viderit tot à me erecta de Pompeio trophæa. Atqui, uter gnavior caſtrorum imperator fuit, Darius, an Pompeius? aut uter fortiorem ductavit exercitum? Pugnaciſſimas ſanè illarum gentium, quæ Dario antè paruere, Pompeius penè uti Cares & calones, *in exercitu ſuo habuit. Ex Europæis autem ii aderant, qui Aſianos, bellum inferentes, non ſemel profligarunt. atque ex his ipſis fortiſſimi quique; Itali, inquam, Illyrii. Celtæ. Verùm, quoniam Celtarum feci mentionem, num rebus illius in Getia geſtis, ſubactos à nobis Celtas quiſquam opponet? Semel ille Iſtrum tranſiit; ego bis Rhenum. Iam verò, quæ in Germania feci*, ejuſmodi ſunt, *uti nemo quiſquam par iis ſit. Ego cum Arioviſto congreſſus ſum. ego primus Romanorum exterum navigavi mare.* Prius *illud facinus meum eximium eſt.* Rurſus *& hæc quoque audacia admirationem meretur. Sed multo illud majus, quod primus è navi exſcenſum feci. De Helvetiis, deque Iberis taceo. Nihil adhuc eorum, quæ in Gallia feci, memoro: cùm tamen illic plus quàm trecenta oppida, & hominum non minus, quàm vicies centena debel-*

debellaverim millia. Quæ cùm ejuſmodi ſint, tum illud verò majoris hercle animi fuit, quòd, cùm in eum adducta locum res eſſet, uti cum civibus meis manus conſerere deberem, ipſos illos Romanos; indomitos antea, invictosque, ſubegerim. Igitur ſive è præliorum multitudine res judicetur, ter toties ego acie conflixi, quoties conflixiſſe Alexandrum ii prædicant, qui res illius ſtudent magnificè extollere. ſive captæ urbes numerentur, non Aſiæ ſolùm, ſed & Europæ pleraſque delevi. Alexander Ægyptum duntaxat aſpectans præterivit. ego eam, dum convivia agitarem, domui. Quid autem; etiamne experimento diſcere nunc vultis, quanta utriuſque poſt victoriam fuerit moderatio? Ego hoſtibus quoque ignovi, à quibus ſic dein acceptus ſum, uti res Divæ, ſcelerum ultrici, curæ fuerit. hic, præterquam quòd in hoſtes ſævierit, ne quidem ab amicis ſibi temperavit. Et tu mihi igitur de primatu controverſiam facies, ac non potius è veſtigio, ita uti cæteri, mihi cedes? Sanè quidem tu hercle in eam nunc me adducis neceſſitatem, uti tacere nequeam; quàm tu crudelis erga Thebanos, ego verò in Helvetios quàm fuerim lenis. Nam tu

quidem urbes eorum incendiſti; ego eas, quæ ab incolis & civibus exuſtæ erant, reſtauravi. Vtrum verò pluris eſt, Græculorum decem millia ſuperaſſe, an verò centies quinquagies millenorum excepiſſe vim atque impetum? Multa mihi inſuper de me, deque iſto dicenda reſtant. verùm, quia tempus & otium deerant, haud ſatis ad dicendum præmeditatus acceſſi. Vos ignoſcite, & ex his, quæ dixi, quæq; præterii, quid æquum juſtumque ſit, exquirite, mihique primas date.

Dixerat hæc Cæſar, & adhuc loqui voluit. Verùm Alexander, etiam antea moræ impatiens, non ultrà ſe continuit, ſed veluti commotus, magna cum contentione,

Alexandri Magni oratio. Ego vero, inquit, *ſumme Iupiter, diique cæteri, quo uſque tandem hujus confidentiam tacitus feram? Etenim ſine fine, uti cernitis, & ſe laudare, & me inceſſere probris pergit. Atq; æquum quidem fuerat, uti ab utroque temperaſſet (etenim utrumque pariter moleſtum videtur, ſed illud tamen præcipuè, quod mea culpet facta, quæ imitari ſtuduit) cæterùm ille eò impudentiæ proceſſit, uti ipſum illud rerum ſuarum exemplar malignè vituperet. Vtinã verò memi-*

meminiſſes, Cæſar, illas lacrumas, quæ tibi eruperunt, cùm illa, quæ extant, rerum mearum monumenta audires. Verùm enimverò Pompeius, opinor, poſt eam tempeſtatem ſuperbum te fecit, qui & civium ſuorum corruptus adulatione erat, & virum ſe præbuit nuſquam. Nam triumphum quidem illius de Afris actum, rem per ſe haud magnam, celeberrimum fecit eorum conſulum, qui tunc fuere, ſegnities. At ſervile illud bellum, non contra viros ſuſceptũ, ſed contra viliſſima mancipia, alii confecere; Craſſus, inquam, & Lucius; cæterùm gloriam ejus rei atque titulum ſibi Pompeius vindicavit. Armenios verò, eosque, qui juxtà ſiti ſunt, populos, Lucullus perdomuit; Pompeius de iis triumphum egit. Dein per adulationem à civibus ſuis Magnus dictus eſt, is ſcilicet, qui cunctis, quotquot ante ſe nati erant, minor fuit. Etenim quidnam fecit unquam, quo aut Marium æquaverit, aut utrumque Scipionem, aut denique Furium iſtum Camillum, qui, ecce, proximè hunc Romulum eam ob cauſam aſſidet, quòd illius urbem penè collapſam reſtituit? Non enim profectò, ſicut ædificiis publico ſumptu ſtructis, quæ alii fundarunt, perfece-

runtque, magiſtratus alius, pariete paulum dealbato, ſuum inſcribit nomen, ſic illorum nomina alienis ſunt inſcripta factis; verum ex iis ipſis rebus, quarum architecti effectoresque fuerant, pulcherrima accepere nomina. Non igitur novum eſt, ſi Pompeium viciſti, qui caput digito ſcaberet, & qui vulpeculæ magis haberet, quam leonis, ingenium. Etenim poſtquam eum fortuna deſtituit, cujus præſens auxilium antè ſenſerat, ſtatim tu hominem, ab adjutrice illa deſertum, viciſti. Certè quidem res manifeſta eſt, nulla te virtute tua victorem abiiſſe. Cùm enim in ſumma rerum neceſſariarum eſſes penuria (quod eſt, uti noſti, maximum imperatoris peccatum) prœlio conſerto, victus es. Quod ſi Pompejus tanta ſtoliditate & amentia fuit, uti aut rectè imperare ſuis neſciverit, aut, cùm trahendum eſſet bellum, pugnam non diſtulerit, neque ſuos urſerit ſucceſſus; certè ſua ille culpa, ac non virtute tua tuiſve conſiliis cecidit. At verò Perſæ, qui bene & prudenter cuncta, queis ad bellum opus erat, paraverant, virtuti noſtræ conceſſere. Cæterùm quoniam virum bonum (qualem eſſe principem volumus) non modo decet res gerere, verum

illud

illud quoque providere, quam juſte unumquidque, & quam recte geratur; ego Perſarum in Græcos injurias armis ultum ivi, atque adeo adverſus ipſos Græcos ſuſcepi bellum, haud ſane ut Græciam attererem, ſed ut eos compeſcerem, qui tranſire me, & pœnas à Perſis repoſcere vetuerunt. Tu verò Germanos Gallosque adeo debellaſti, uti poſtea illas ipſas manus tuas in patriam tuam armares. Quo quid peius, obſecro, quidve eſſe turpius poteſt? Quandoquidem autem, veluti per riſum, decies mille Græcos à me devictos memoraſti, profecto quod ex iſta regione ortum vos trahitis, quodque Italiæ maximam partem olim Græci habitavere, etiamſi verum eſſe ſciam, tamen hoc in numerum eorum, quæ dicturus ſum, non addo. Nam inter illos ipſos exiguam quandam & contemptam *gentem, Ætolos inquam, quos magni putabatis ſocios amicosque habere, poſtea (neſcio ob quam cauſam) bello à vobis petitos, non ſine ingenti diſcrimine veſtra accipere imperia docuiſtis. Igitur ſi in extrema Græciæ (ſic enim jure appelletur) ſenecta, non ad univerſam illam, ſed ad parvam duntaxat gentem perdomandam, quæ, cùm res Græcorum florerent, ne nomine*

quidem nota erat, vix ſatis viriũ (penè dixerim) habuiſtis: quid, quæſo, vobis factum foret, ſi adverſus vigentem adhuc, unanimemque Græciam bellum vobis fuiſſet gerendum? Certè quidem & illud meminiſtis, cùm Pyrrhus ad vos veniret, quanta omnium fuerit trepidatio. Verùm enimvero, quoniam Perſas viciſſe parvum putas, remque tantam audes ridere: dic obſecro, cur exiguum illud terræ, quod ad Tigrim fluvium ſub Parthorum eſt ditione, poſt trecentos & amplius annos, quibus id bellum geſtum eſt, nondum tenetis? vin' cauſam tibi dicam? Perſarum vos iſthinc tela prohibuere. Dicat tibi de illorum virtute Antonius, qui prima militiæ rudimenta ſub te magiſtro didicit. Ego vero non totis decem annis illos ſimul, atque Indos ſubegi. Et tu igitur tanta fidentia es, uti in certamen me voces, qui & à prima pueritia dux belli fui, & eas geſſi res, quarum memoria, licet nunquam digne ſcriptoribus celebrata ſit, tamen [illegible]ſtura ſemper mecum eſt? Certè enim planè idem mihi in hac re, *quod Herculi, domino atque regi meo, contingit, quem colui ego atque æmulatus ſum. Nam cum Achille, generis mei authore, pene ex*

æquo

æquo certabam. At Herculem ſuſpexi, ejusque veſtigiis, utcunque ſequi poteſt homo deum, inhæreſcebam. Hæc ſunt, dii, quæ adverſus illum dicenda pro me habui. quamquam fortaſſe tacuiſſe ſatius fuerat. Quod ſi atrociter aliquid feci, non hercule id factum à me adverſus inſontes eſt, ſed aut in eos, qui ſæpe & non unâ re me offenderant, aut qui tempore & occaſione malè eſſent atque ineptè uſi. Quæ igitur in hos quidẽ, quos poſterius dixi, *deſignaveram, eorum me poſtea cepit pœnitentia, quæ diva ſapere pleriſque dat, eosque, qui deliquere, præſtat integros. at cæteros, quibus ambitio & ſtudium fuit hoſtilia ſæpe patrare, meque laceſſere, eos ſi ulciſcerer, nihil mihi facere inique videbar.*

Finierat ille plenam bellici ſpiritus orationem; & jam clepſydram ad Auguſtum detulit Neptuni puer, eiq; parcius aquam affudit, cum ob temporis, *quod reſtabat*, anguſtias, tum quòd animo repeteret, qua olim ille fuiſſet in hunc deum inſolentia. Ille, ut hoc intellexit (quippe ea erat hominis induſtria) nihil in aliorum rebus percenſendis immoratus,

Auguſti oratio.

Equidem ego, inquit, *ſummè Iupiter, vosque dii, temperabo nunc mihi, ne*

aliorum facta traducam aut extenuem, ſed de me ipſo omnis hæc mihi futura eſt oratio. Adoleſcens cum eſſem, urbis meæ tutelam ſuſcepi, plane uti Alexander iſte, cujus eſt excellens animi magnitudo. Cæſarem autem hunc, patrem meũ, ſecutus, feliciter Germanica bella confeci. Ad hoc, civilibus armis cùm confligerem, navali prœlio apud Actium facto, Ægyptum debellavi. Brutum verò atque Caſſium vici apud Philippos. Sextum Pompeii filium, in tranſitu non aliud, quàm acceſſionem quandam meæ putavi expeditionis. Iam verò ſapientiæ magiſtris ita me docilem præbui, uti Athenodori liberrima verba, nullâ indignatione, ſed ſereno vultu tulerim. quippe hominem ſic planè, ut pædagogum, aut potius ut pàtrem, reverebar. Arius quoque in amicorum, inque familiarium numero mihi eſt. Ad ſummam, nihil omnino uſquam in philoſophiam peccavimus. Cæterum, cùm civilibus diſſidiis rem Romanam ſæpe in extremo ſitam cernerem, ſic omnia ordinavi, uti urbs in poſterum jam ferrea tota ſit. Etenim qui immodica dominandi libidine non vincerer, haud quaquam profectò id ſtudebam, uti ómnia, quæ ubique ſunt, ad illius imperium adjunge-

jungerem; ſed duos veluti terminos, quos ipſa dederat natura, poſui, Iſtrum atque Euphratem. Dein Scythis Thracibusque domitis, cùm vos mihi plures imperii annos adderetis, quod ſuperfuit otium, ſic egi, uti non bella quærerem ex bellis, ſed leges conderem, & quicquid belli impetu perculſum atque proſtratum erat, excitarem. Quæ dum faciebam, equidem videbar mihi ſic reip. conſulere, uti nemini majorum meorum concederem, ſed (ſi libere loqui licet) cunctos vincerem illos, quibus unquam hujuſmodi imperium dii commiſerant. Etenim ex his alii in expeditionibus extremum ſpiritum conſumpſerunt, & , cùm perfrui pace poſſent, bella è bellis pararunt ſibi, planè ut contentioſis hominibus lites meditari mos eſt. Nonnulli, cùm armis laceſſerentur, luxui atque ventri dediti, fœdiſſimam voluptatem non ante famam modò, quæ ad poſteros manat, ſed ante ſalutem quoque ſuam poſuere. Quæ cum cogito, ſane haud poſtrema me gloriæ parte dignor. Cæterum vos quod cenſueritis, dii, id uti ego gratum acceptumq; habeam, par eſt.

Statim dein Trajano dicendi poteſtas fit, Is verò, licet facundia pol-

leret, tamen præ ignavia. (ut qui Suræ pleraque pro ſe ſcribenda mandaverat) reſonans potiùs *inconditum quiddam*, quam loquens, Getica diis & Parthica oſtendebat trophæa. Senectutem quoque ſuam accuſabat, per quam Parthicum conficere bellum haud licuiſſet. Tum Silenus, Atqui, inquit, hominum ſtultiſſime, viginti annos imperium tenuiſti; at Alexander hic duodecim. Et cur tu igitur, diſſimulata ignaviæ tuæ culpa, temporis incuſas anguſtias? Concitatus ille tam mordaci dicto (nec enim plane dicere indoctus erat, verum, quod vinoſus eſſet, vim ipſe ſuam, ingeniumque hebetaverat)

Trajani oratio. *Ego, Iupiter*, inquit, *diique cæteri, cum imperium ſuſcepiſſem, cujus erant omnes partes remiſſa atque diſſoluta, non tyrannide modo, qua diu domi invaluerat, ſed* foris *quoque Getarum populationibus, ſolus, inquam, ego eas, qua trans Iſtrum ſunt, gentes adii; Getasque extirpavi, qui ſunt omnium, quotquot unquam fuere, hominum bellicoſiſſimi, non ob corporis modo robur, ſed quia penitus animis infixa tenent, qua illis Zamolxis perſuaſit, qui magnis illic colitur honoribus. Non enim morte inte-*

interire ſe, ſed alio migrare, quodam opinionis credunt errore; eaque res efficit, uti ſint ad incerta caſuum *paratiores, qui duntaxat* animæ *quandam exſpectant* in alio orbe *peregrinationem. Hæc autem ego intra quintum geſſi annum. Neque illud hercule obſcurum eſt, omnium me, qui ante vixerant, imperatorum longe in cives fuiſſe clementiſſimum. de qua laude nec Cæſar iſte, nec alius quiſquam mecum certabit. Parthos autem, quamdiu nulla læſus eſſem injuria, armis me adoriri haud debere exiſtimavi. at, ſimul ac læſere, nihil ſenectâ tardatus, exercitum in eos duxi, cum tamen mihi leges jam militiæ dediſſent vacationem. Hæc cùm ita ſint, nonne præ cæteris dignus eſſe honore videor, quem & ſubditi mitem, & hoſtes mire experti ſunt formidabilem; quique inſuper philoſophiam, divinam veſtram ſobolem, perquam reverenter colui?*

Quæ cum dixiſſet Trajanus, præ cæteris illi omnibus clementiæ adjudicata laus eſt, ipſaque re apparuit, maxime hanc virtutem diis eſſe gratam. Ut vero Marcus orſus eſt loqui, Silenus ſubmiſſim ad Bacchum, Audiamus, ait, Stoicum iſtum. Quid-

nam tandem nobis proferet è paradoxis iſtis, & portentoſis opinionibus? Ille ad Iovem oculis adq; deos verſis,

Marci Antonini verba.

Mihi, inquit, *Iupiter, vosque dii, nihil verbis, aut contentione eſt opus. Etenim ſi facta mea neſciretis, ſanè vos ea ex me diſcere oporteret. nunc, quoniam nota hac vobis ſunt, neque fugere vos quidquam poteſt, vos mihi id, quod meritus videbor, tribuite.*

Igitur Marcus, cùm cætera eſſe homo admirandus, tum vero maxime ſapere cenſebatur, quippe qui noviſſet.

Vbi vel tacere, vel decorum ſit loqui. Poſt hunc Conſtantino facta loquendi copia eſt. Atque ille initio quidem plenus optimæ ſpei ad certandum proceſſit; at poſt, ut aliorum ingentia facta conſideravit, ſua eſſe didicit oppidò parva. Etenim (ſi dicere, quod res eſt, decet) duos interemit tyrannos, unum quidem imbellem atque effœminatum, alterum vero fortunæ vexatum acerbitate, & inſuper fractum ſenecta, utrumque vero diis hominibusque inviſum. Nam de barbaris quidem, riſu digna erant, quæ egerat. Stipendia enim

illis,

illis,quaſi tributa, pependit, & luxui fuit propior. Is igitur procul à diis, in limine ſtabat ipſius Lunæ. Hujus enim ille amore tenebatur, eamque defixis aſpectans oculis, de victoria haud ſolicitus erat. Quoniam tamen & ipſi dicendum aliquid fuit,

Conſtãtini oratio.

His ego rebus, inquit, *omnes iſtos antecello: Alexandrum quidem iſtum, quod cum Romanis, Germaniſque, & Scythis,non autem hercule cum barbaris Aſianis,bella geſſi: Caſarem autem, atque Octavium, quod non, ut illi, in cives probos bonosque, per diſſidia inteſtina, ſed adverſus impuriſſimos peſſimosque tyrannos arma ſumpſi. Nam Trajano me quidem res hæ,quas adverſus illos ipſos tyrannos feliciter geſſi,jure fecerint clariorem. Quòd autem armis eam recepi regionem, quam ille ceperat prius,ea re merito par illi poſſem videri, ni majus eſſet, qua amiſeris, recipere, quam quæ parta nunquam ſunt, quærere. Marcus vero, cum nihil pro ſeſe dicat, nobis univerſis primas cedit.*

Ibi Silenus,quid, inquit,an tu Adonidis hortulos, Conſtantine, ceu res *veras atque ſolidas* nobis obtrudis? At quinam ſunt illi, inquit, quos appellas Adonidis hortulos?

Hi

Hi nempe (ait Silenus) quos Veneris marito mulieres inſtruunt ingeſta in teſtas levi terra, uti oluſcula ſurgant; quæ ubi breve tempus floruere, ſtatim marceſcunt. His dictis Conſtantinus erubuit. quippe res ſuas plane eſſe hujuſmodi agnovit. Demum, cum ſilentium eſſet, alii quidem exſpectare velle videbantur, cuinam dii ſuffragiis ſuis primas darent. nonnulli autem ſic exiſtimabant, conſilia cujusque in apertum eſſe proferenda. non enim æquum eſſe, uti judicium ex factis tantum fieret, quorum maximam partem ſibi fortuna vindicare poſſet. coram enim adſtabat ea diva, & omnes ingenti clamore incuſabat, excepto ſolo Auguſto. hunc enim recte ſemper dona ſua æſtimaſſe perhibebat. Viſum eſt igitur diis hanc quoque rem Mercurio committere. Ac primum quidem juſſerunt, uti ex Alexandro exquireret, quidnam eſſe duxiſſet optimum, quave ſpe, ea omnia feciſſet tuliſſetque, quæ fecerat, quæque tulerat. Ille ait, propoſitum ſibi fuiſſe, cuncta perdomare. Tum Mercurius, an igitur, inquit, hoc te feciſſe autumas? Sane verò, ait Alexander. Inter hæc

Silenus

Silenus cum mordaci cachinno, At domuerunt te non ſemel, inquit, noſtræ filiæ. vites autem intelligi voluit, atque Alexandrum, hominem ebrioſum, & vini amantem notabat. Huic Alexander (quippe adhuc plenus erat Peripateticorum captionibus) non hoc, inquit, egi, uti res inanimas, cum quibus nullum mihi certamen fuit, ſed uti omne hominum, atque omne ferarum vincerem genus. Tum Silenus, miranti ſimilis, jocosè admodum, oh, oh, inquit, dialecticorum verſutias! tu verò utrum inter inanima te, an animata inter & viventia pones? Ille, veluti indignatus, Bona verba, inquit. ea enim animi magnitudine ſum, uti deum fieri me poſſe, imò uti jam eſſe, credam. Atqui, inquit Silenus, ſæpe te ipſo minor fuiſti, cum iræ animum, aut ægritudini, aut ſimili ſummitteres affectui. Imò, inquit Alexander, majorem ſe ipſo, minoremque fieri, æquivoce de uno eodemque dicitur. ego vero, ut me adverſus alios geſſerim, narro. Papæ, ait Silenus, quæ hæc dialectica eſt! ut tu docte noſtra ſophiſmata refellis! Cæterùm, cùm in India vulnerareris,

ris, & tibi Peuceſtes circumfuſus eſſet, tuque, animam ſingultans, urbe educereris, utrumne victus tunc ab illo abiiſti, qui hoc tibi vulnus inflixerat, an verò & illum quoq; viciſti? Sanè, inquit, non illum modo, ſed ipſam quoque devici urbem. Haud tu quidem, bone vir, inquit Silenus. Etenim jacebas, uti Homericus Hector, viribus atque anima prope defectus; cæteri pugnabant, vincebantque. Nempe, me duce, inquit Alexander. cui Silenus, Et quo modo, inquit, ſequi te potuere, quem pene mors occupaverat. Dein iſta Euripidis cecinit,

Na noſtra morem Gracia uſurpat malum,
Ex hoſte ponit cū trophea exercitus.

At Bacchus, deſine, inquit, mî pater, iſtiuſmodi ſermonum, ne ſic te ille, ut Clytum, excipiat. At Alexander erubuit, oculosq; ejus lachrymæ turbarunt, neq; quicquam dixit. Atque hic finis illius ſermonis fuit. Mercurius dein Cæſarem interrogavit, &, Tibi verò, inquit, Cæſar, quid in omni vita propoſitum fuit? Uti primus, inquit, inter cives meos forem, neq; cuiquam aut eſſem, aut haberer

ſecun-

ſecundus. Atqui verò, inquit Mercurius, nimis hoc obſcurum eſt. utrum enim ſapientiæ in ſtudiis, an dicendi in facultate, an in bellica arte, an denique in reip. adminiſtratione *hoc eſſe poſitum exiſtimaſti?* Maximè voluiſſem, ait Cæſar, omnibus rebus omnes antecellere. Verum quia hoc non poteram, illud operam dedi, uti inter meos cives plurimum potentiæ mihi eſſet. Quid? inquit Silenus. tune multum apud eos valuiſti? cui ille, omnino, ait; imperium enim in eos tenui. Es tu quidem illud aſſecutus, inquit Silenus; ſed aſſequi benevolentiam eorũ haud potuiſti, etiamſi, tanquam in fabula, aut in ſcena, ſummam ſimulares humanitatem, cunctisq; in ſervile obſequium te ſummitteres. Annon igitur populo, inquit, carus fuiſſe videor, qui *percuſſores meos* Brutum atq; Caſſium ſit perſecutus? Sanè, inquit Silenus, non hoc idcirco factum eſt, quia occiderant te illi (ob hanc enim cauſam conſulatus illis unanimi delatus eſt conſenſu) verùm quia pecuniæ facta ſpes erat. Etenim, ſimul ac de teſtamento tuo intellexiſſent, nõ mediocrem indignationi ſuæ ſcriptam videbant mercedem.

dem. Iam hic quoq; ſermo finem reperetat, cum Mercurius iterum Auguſtum pupugit,&, Tu vero,inquit, non dices nobis,quid eſſe pulcherrimum duxeris? cui ille, Pulchre, inquit,imperare. Ergo,inquit Silenus, quid ſit iſtud tuum pulchre, expone nobis, Auguſte. nā & peſſimus quiſque hoc dixerit. Itaque Dionyſius quoq; ſua opinione pulchre imperitabat,&,qui illo impurior fuit, Agathocles. Tum ille,Utiq; meminiſtis, inquit, cum nepotem meum à me dimitterem,oraviſſe me vos,uti Cæſaris fidentiam, Pompeii acrem animi vim,meam autem illi daretis fortunam. Inter hæc Silenus, Iſte vero, inquit,pupparum effictor,multa nobis deorum tutelariū ſimulacra congeſſit. Unde tu, ait Auguſtus, iſtud jocoſum nomen mihi das? Quid vero, inquit Silenus, annon, ſicuti illi nymphas, ita tu nobis, Auguſte, effinxiſti deos? quorum unus, ecce, etiam Cæſar iſte eſt. Igitur Octavius, velut oculos præ pudore attollere veritus,conticuit.Mox Mercurius in Trajanū intuens, Tibi vero,inquit, quid conſilii fuit, cùm ea gereres, quæ geſſiſti? Ego, inquit ille,eadem omnia,

omnia, quæ Alexander, ſed moderatius, appetii. Imo tu hercle, inquit Silenus, ab iis affectibus victus es, qui ſunt multo ignobiliores. illum enim ira plerumque, te vero fœda & pudenda voluptas ſuperavit. Quin tu, Silene, in malam rē abi, ait Bacchus. ita cunctos derides, neque permittis cuiquam, uti pro ſe dicat. Verum tu parce in illos probra jactare, & quî Marcum nunc culpes, etiam atque etiam vide. certe enim, ut cum Simonide loquar, hic mihi videtur totus quadratus, & omni major reprehenſione. Demum Mercurius Marcum intuens, Tu vero, inquit, cum ſuperbia tua, dic, quem eſſe vitæ finem optimum duxeris? Ille leniter, & modeſte, deos, inquit, imitari. Statim hoc reſponſum *dii* non ab degeneri mente profectum, ſed quovis eſſe precio dignum cenſuere. Quin ipſe quoque Mercurius nihil jam quicquam moliri voluit. quippe credebat Marcum, uti ſemel cœperat, ita porro reſponſurum. Et cæteris quidem diis ita viſum fuit. Solus autem Silenus, At ego, inquit (ita me Bachus amet) non feram hunc ſophiſtam. *Etenim ſi ita res eſt*, cur tu igitur,

tur, inquit, edebas, bibebaſque, non uti nos *cæteri dii*, ambroſiam & nectar, ſed panem & vinum? Ego vero, inquit Marcus, non ob hanc cauſam edi bibique, quod deos ea re imitari me conſiderem, ſed uti corpus alerem. credebam enim (fortaſſe falſo) etiam veſtra corpora debere è ſuffitibus nutriri. Haud igitur iſtis rebus vos ego, ſed animo imitandos duxi. Ibi ceſſans aliquantiſper Silenus (haud enim ignavi pugilis ictum ſenſerat) fortaſſe tu, inquit, non inepte iſtud dixiſti. cæterùm illud mihi ediſſere, qua in re eſſe poſitam duxeris deorum imitationem? Nempe in eo, inquit Marcus, ſi quam pauciſſimis indigerem, plurimis autem benefacerem. Nulla ne igitur re, inquit Silenus, indiguiſti? Ego quidem, inquit Marcus, nulla: at fortaſſe corpus hoc meum minutis quibuſdam. Cùm etiam hoc cordate dixiſſe Marcus videretur, hæſit tandem Silenus, & alia quædam inſectatus eſt, quæ ad uxorem ejus, & ad filium pertinebant. nam neque rectè hîc Marcum, neque pro bono feciſſe exiſtimabat, cum illam quidem heroinarum *dearumque* adſcripſiſſet numero, huic vero

vero imperium commiſiſſet.

At ego, inquit Marcus, *etiam hîc deos imitatus ſum. Homeri enim iſtud dictum, quod de uxore eſt, ſequebar,*

---Quiſquis ſapiensve, bonusve eſt,
Curat amatque ſuam, quantum pote.

Iam de filio, Iovis ſententiam in animo habebam. Etenim Martem ubi objurgat, Iam pridem, *inquit*, fulmine te percuſſiſſem, ni te, quod natus ex me es, diligerem. *Adde, quod nunquam putaveram ita fore perverſum filium meum. Quòd ſi juventus, cujus eſt mira in utramlibet partem propenſio, ad deteriora inclinavit, ſane non ego pravo jam tum homini imperium tradidi, ſed utique is rei eventus fuit, uti malus ſit factus poſtquam illud acceperat. Igitur, de uxore quod ais, id Achillis eſt exemplo à me factum. quod in filium miti fui animo, ad eam rem ſummus mihi praivit Iupiter. Quanquam profecto nihil hîc præter morem* etiam cæterorum *feci. nam & filiis leges jus dant ſucceſſionis, & hæc cunctis ſumma voti eſt*, uti hærede filio decedant. *Vxori autem non ego primus, ſed poſt alios multos*, divinos *honores tribui. Nam uti tute his rebus author ſis, fortaſſe ineptũ ſit.*

ſit. At, quæ vulgo aliis *præſtantur, ea conjunctiſſimis negare, prope iniquum eſt. Verum ego, Iupiter, vosque dii cæteri, neſciebam longius me,* quam decet, *provectum eſſe. non enim apud ignaros verba pro me facio. Quare vos ardori meo ignoſcite.*

Finita hac oratione, Conſtantinum ſic interrogavit Mercurius, Tu vero quidnam eſſe pulcrum exiſtimaſti? Ille, Multas, inquit, opes quærere, multaq; elargiri, ac ſuis pariter, & amicorum inſervire deſideriis. Igitur Silenus effuſiſſimum cachinnum ſuſtulit, &, an tu *olim*, inquit, cùm *avariſſimus* eſſe menſarius velles, non animadvertiſti te coqui cujuſdam, & fucatricis egiſſe vitam? indicabat quidem hoc dudum cæſaries tua, & facies; at nunc quoque illud arguit hæc, *quam protuliſti*, ſententia. Atque hunc quidem Silenus ſic ſatis acriter tetigit. Dein dii, facto ſilentio, clanculum inter ſeſe ſuffragia tulere; multaq; Marco data ſunt. Iupiter autem, poſtquam ſecreto cum patre aliquot verba commutaſſet, Mercurio imperat, uti *ſenatus ſententiam* palam prædicet. Is hoc pacto prædicavit:

Vos,

Vos, quotquot ad hoc certamen veniſtis, ſcitote *leges apud nos & decreta hujuſmodi eſſe, uti & victor gaudeat, &, qui victus eſt, non queratur. Igitur ite quo libitum animo eſt, ſub deorum* tutela atque *ductu in poſterum victuri. Vnuſquiſq; autem præſidem ſibi aliquem ducemque eligat.*

Poſt hoc edictum, Alexander quidem ad Herculem accurrit, Octavius vero ad Apollinem. Iovi autem atq; Saturno arcte Marcus adhæſit. Cæſarem errantem multum, & hac illac circumcurſantem, cum quadam miſeratione maximus Mars, atque Venus ad ſeſe vocaverunt. Traianus ad Alexandrum properavit, tanquam illi aſſeſſurus. Verum Conſtantinus, cum inter deos nullum reperiret vitæ ſuæ exemplar, forte in propinquo divam Molliciem conſpexit, & ad eam ſe contulit. Hæc eum ſinu leniter excepit, brachiiſque amplexa eſt, ac dein pictis peplis ornatum cultumque, ad *ſororem ſuam* Luxuriam deduxit. Quo in loco ille etiam filiũ ſuum reperit morantem, omnibusq; hæc denuntiantem, Quiſquis mulierum corruptor, quiſquis homicida eſt, quiſquis piaculo aut execrando ſce- *Verba abominandæ*

do ſcelere ſe obſtrinxit, fidenter huc adito. Etenim, ſimul atq; hac aqua ablutus fuerit, illico eum ego purum reddam. Quod ſi iiſdem rurſus ſe flagitiis contaminarit, efficiam uti tunſo pectore & capite percuſſo, expietur. *Conſtantinus* hanc à ſe repertam *divam* mire lætatus eſt, atque una *cum illa* eduxit è deorum cœtu liberos ſuos. Mox dii impietatis vindices male & illum, & filios multavere, cognatorumque ſanguinem, *quem per ſummum ſcelus fuderant, juſtis* pœnis ulti ſunt: donec tandem Iupiter, Claudii & Conſtantii cauſa, malorum illis aliquam requiem conceſſit. Poſtremo ad me *converſus* Mercurius, Tibi vero, inquit, hoc dedi, uti Solem agnoſceres patrem. cujus tu præcepta ſequere, atque ita te para, uti is perfugium tibi tutusq; portus in omni vita ſit. poſt autem, ubi emigrandum illinc erit, plenus bonæ ſpei, hunc tibi deum fac propitium viæ ducem.

FINIS.

AMICE LECTOR,

IN hujus libelli verſione liberrimo animo, ut decet, verſati ſumus, neque verbum verbo ſtuduimus reddere, ut ſolent quidam malè ſuperſtitioſi. Nobis ſatis fuit à mente authoris nuſquam recedere: quod ſatis, opinor, aſſecuti ſumus. Anapæſti, & præterea Homeri, atque Euripidis tria quatuorve loca, non ſunt ex interpretatione noſtrâ. Neſcio enim

quo

quo fato libentius ſemper quovis alio ſermone, quam Romano, verſus ſcripſimus. quod & fateri non pudet, &, uti invitus conarer, nunquam meâ intereſſe credidi.

TYPO-

TYPOGRAPHUS
CANDIDO
LECTORI.

ITA quidem, candide Lector, in ſua interpretatione liberrimo animo ſe fuiſſe verſatum hîc demum voluit pro ſuo candore cordatiſſimus Cunæus effari. Sed an non libuit eidem liberiore multo linguâ præfari? Certè eâ, mirum quàm graviter, offendiſſe viſus noviſſimum Iuliani operum editorem, apud quem in epiſtolâ dedicatoriâ, poſtquam commendatio librorum etiam ab impiis conſcriptorum, utramque paginam feciſſet, mox iſta, quæ tibi repræſentamus, leguntur verba:

Vt ad Iuliani noſtri editionem revertar, hujus ea vel excuſatio, vel commendatio valere ſola debet, quæ ab librorum eruditione, elegantiaque ſumitur; non illa tolerari quorundam, qui ejus, à quo profecti ſunt, laudandis virtutibus vendibiliorem operam ſuam facere ſtudent.

Quo in genere poſtremus editor Iuliani Cæſarum nimis temerè; ne quid aſperius

dicam, quod dici profecto poteſt; qui ſic ornare Iulianum laudibus eſt auſus, ut non ſolum ſupra meritum efferret; Sed eam laudationem cum ſanctorum Patrum vituperatione, ac Chriſtiani nominis injuria conjungeret. Nam in præfatione, quam initio libelli de Iuliano benè longam explicat, veteres illos ait ſtudio partium occœcatos, & perquam acerbos fuiſſe. *Accidiſſe enim aſſerit*, ut cum de iis, qui olim vixere, principibus judicium fertur, multum nos decipiat veterum quorundam, quos in Eccleſia Dei claros *atque illuſtres fuiſſe ſcimus, authoribus. Tum interjectis quibuſdam:* Itaque quibus infenſi erant, eos per ſe magnos ſanè, & penè in cœlo poſitos, *habebant ad inferos & aliis rurſus, quos ornandos cenſuerant, licet immerentibus, tantas laudes admenſi ſunt, uti poſteritas virtutes eorum, quæ vix mediocres ſunt, ſuſpiciat, & lapidem è ſepulcro veneretur pro Deo.* Pergit deinde & Conſtantino Iulianum opponit; è quibus illum ait, *multa feciſſe turpia:* Iulianum verò longè ſcilicet eo præſtantiorem, nequaquam pro dignitate ab illis ſanctiſſimis Patribus habitum fuiſſe. Verba præfationis: *Iulianum vero laudatiſſimum principem, quem natura omnibus ornatum rebus excellere voluerat, tam indignis modis traduxere, uti*

re, uti jam illius nomen toti mortalitati res ſit inviſa atque deteſtabilis. Rurſus; *Equidem ego quoties mecum agitabam, qualem quantumque eſſe oporteret, qui ſummum inter homines obtineret faſtigium, ſubiit animum meum Iuliani veneratio, majorque in eo, atque altior ſpiritus eſſe videbatur, quam uti cum cætera Imperatorum plebe cogi in ordinem poſſet.* Subjicit de animi magnitudine, ac rerum humanarum deſpicientia; quod à militibus oblatum imperium ægrè ſcilicet, & coactus acceperit. Mox iſta: *Quanquam nos herclè non vitæ, ſed gloriæ ſpatio metiri illum decet; quem & belli uſus jam tunc formidabilem hoſtibus; & pacis artes cunctis non dicam civibus, ſed mortalium ſæculis fecere venerandum.* Tanta, tamque invidioſa deteſtandi Apoſtatæ prædicatio digna Libanio aliquo eſt, vel Eunapio, vel Zoſimo: Chriſtiano vero homine nequaquam digna: neque his temporibus ferenda. *Subiiſſe* dicit *animum ſuum Iuliani venerationem* tùm, *eundem ſæculis omnibus eſſe venerandum.* De ſe animoque ſuo, ſanè viderit: Chriſtiani quidem omnibus ſæculis fuit, eritque ſemper execranda Iuliani memoria: quam nemo, niſi qui Chriſtum negaſſet, venerationi ſibi eſſe dixit.

Ad hunc ipſum, de quo agimus, Imperatorem ſupplices olim venere Donatiſtæ, cum libello, in quo erat poſitum; *ſolam juſtitiam apud eum habere locum.* Hoc illorum dictum nactus Auguſtinus, ut exagitat! ut illudit! ut exprobrat! ut Chriſtianos non decere ſignificat! Atqui eſt iſta ſanè mediocris unius juſtitiæ laus, quam Apoſtatæ Imperatori tribui Auguſtinus non patitur. Quid igitur de illa non juſtitiæ, ſed omnium virtutum prædicatione diceret, quarum ſolidam poſſeſſionem Iuliano præfationis author addixit? *Sequitur enim: Noſter, quod paucis fuit quodam Deorum munere conceſſum, virtutes diſpares prudentia vinxit.* Impura vox; *Deorum munere* vel ulli conceſſas virtutes, vel Iuliano conceſſas dicere. Quid deinde? *Hic cum in ſolidam*, ait, *virtutis poſſeſſionem primis adhuc annis & lubrico ætatis miſſus eſſet, animum ſemper ſupra fortunæ indulgentiam geſſit.* At unde, quæſo, de tot illi, tantisque Iuliani virtutibus conſtat? Non opinor aliunde, quam ex ipſius de ſe Iuliani teſtimonio; vel eorum, quos paulò ante retuli; Ethnicorum certè; qui pro amore in illum ſuo, in Chriſtianos odio, ac livore, de eo ſunt multa mentiti. At ſcriptor præfationis domeſticos iſtos, ſuſpectosque teſtes

Latinis,

Latinis; Græcisque Patribus anteponit omnibus: & hoc etiam imprudentiæ, imperitiæque condemnat. Nam ſic demum loquitur: *Fuit profecto, fuit Græcorum quorundam, qui ea tempeſtate Eccleſiam rexere, magna imprudentia. Etenim uti cauſſa ſua ſervirent, principem Chriſtianis infeſtum laceſſebant, quem tolerare ſatius fuiſſet. Sunt in hominum manibus orationes eorum, in quibus, tanquam in ſcena, palam eum omnibus ludibrium fecere, & faciem illius, formamque corporis atque geſtus; tum alia fortuita, quæ vulgus & imperitiſſimus quiſque notat, traxerunt in culpam. Qui viri, ſi meminiſſent temporum, quibus nati erant, ſanè neceſſitati, quæ pertinax regnum tenet, &, quod magna prudentia eſt, obſequio mitigaſſent imperia.* Hæc ille non ſolum imprudenter talibus de viris, ſed etiam imperite. Etenim Græci illi Patres, quos imprudentiæ arguit: quorumque contra Iulianum extare orationes aſſerit, ſunt omnino duo. Gregorius Nazianzenus; & Cyrillus, quorum alter haud paucis poſt Iuliani obitum annis vixit, ac ſcripſit, alter æqualis quidem fuit illius. Sed eo mortuo στηλιτευτικὰς illos duos conſcripſit. ex quibus, cæterisque fide dignioribus liquet; fuiſſe Imperatorem iſtum multis, veriſq;

vitiis præditum, virtutem verò ſolidam habuiſſe nullam: ſed nonnullarum imaginem adumbraſſe, fuco & colore verarum ad ſpeciem extrinſecus obductam. non ſolum, quod qualeſcunque illos ad honeſtatem impetus una turpiſſima perfidiæ & apoſtaſiæ labes inquinavit: ſed etiam quòd ad faſtum, & ambitionem omnia, nihil decori, & honeſti cauſſa faciebat. Quocirca, quæ de Iuliani laudibus in illa Præfatione dicuntur, in ornandum Antichriſtum non minori jure conferri poterunt, in quo multa perinde maximarum erunt ſimulacra virtutum.

Sed de Iuliani moribus hîc agere non eſt otii, ac propoſiti noſtri. Nam hæc pauca, quæ contra Præfationem iſtam diſſerui, Chriſtianæ à me religionis ſtudium, ac meus in ſanctiſſimos Patres amor & cultus expreſſit.

Hactenus ille hæc ſpecioſe in Cunæum encomiaſten Iuliani, non tamen unicum; non primum. Dudum antea principis illius virtutes ſuſceperat laudandas Ioannes Leunclavius apologiâ pro Zoſimo adverſus Evagrii, Nicephori Calliſtidis & aliorum acerbas criminationes præfixâ editioni hiſtoriarum Zoſimi curatæ operâ ejuſdem Leunclavii,

vii, cujus ecce quoque deprompta inde verba:

Vt autem ad Zoſimomaſtigas noſtros redeamus, dum probare nituntur, feliciorem ſub Chriſtianis principibus fuiſſe rempublicam, quàm ſub paganis; infauſtum expeditionis Iuliani contra Perſas eventum hiſtoria noſtra auctori objiciunt. De quo principe quoniam & varia ſunt judicia diverſorum; & imprimis theologorum veterum iniquiora: prius quàm pro Zoſimo reſpondeatur, qui vir fuerit Iulianus, religionis interim quaſtione quaſi ſequeſtrata, videamus. Erant in Iuliano multa maximarum non adumbrata, ſed expreſſa ſigna virtutum; quas ſi error in veri numinis cultu non obſcuraſſet, admirabilem profecto boni principis effigiem in eo, quamvis admodum juvene, ſpectare licuiſſet, magno præditus erat, & capaci diſciplinarum omnium ingenio; quòd ab ætate primâ ſtudiis optimarum artium non, procerum more, mediocriter fuit excultum; ſed eam perfectionem in quovis genere doctrinæ liberalis adtigit, ut omnium confeſſione magiſtros ipſos, viros præſtantiſſimos excelleret. Atque hanc eruditionis laudem ei non falſo tribui, quæ hodieque reliqua ſunt, elegantiſſima principis monumenta teſtantur. Iuris quoque Romani cognitionem in eo non vulgarem fuiſſe, declarant ea re-

ſcripta, quæ in libris de jure civili leguntur. Iam quod majores illas virtutes attinet, ſingularem ejus in re militari prudentiam & fortitudinem bellicoſiſſimæ Germanorum nationes tantis cum cladibus, & ſtrage ſuorum, expertæ fuerunt; ut internecionem Germani nominis veritæ, pacem à juvene ſupplices peterent, cujus leges & ante Iulianum, & poſt eum maximis imperatoribus ab ipſis datas conſtat. Atque hæc bella dum gereret, incredibile dictu eſt, quæ ipſius eſſet in victu potuque frugalitas & temperantia, quam ſomni parcus, laboris patiens, omnibus voluptatum illecebris ſpretis, philoſophicam inter lituos, & armorum perpetuos ſtrepitus, vitam ageret. Modeſtiæ documentum ab omni ambitione non parum alienæ magnum edidit; cum Conſtantius Auguſtus Helenam ei ſororem matrimonio jungeret, ac dignitate Cæſaris nihil tale exſpectantem ornaret. Quippe cum imperatoris juſſu chlamys ei purpurea injiceretur, quanti veſtem illam purpuream faceret indicare volens, Homericum verſum pronuntiavit,

Purpurei vis Lethi, & inexorabile fatũ
Occupat. ----

Lenitatem in condonandis hominum delictis quum alias ſæpe declaravit inſignem, tum eo potiſſimum tempore, quo populi Antiocheni dicteriis petitus, multo, quam par eſſet à ſub-

ditis

ditis tolerare principem, mordacioribus; ſat habuit intempeſtivos eorum ſales oratione facetiſſima, ſummo cum Antiocheni populi pudore, ac voluptate legentium ulciſci. Caſtitatis vero laudem, quæ rara ſemper habita fuit virtus in magnis principibus, tanto ſtudio ſemel partam in omni vita tuebatur, non ſolum ut Helena viva nullis ſe libidinibus illicitis pollueret, verum etiam illa rebus humanis exemta, nullius legitimas amplius in ipſo ætatis flore nuptias expeteret, & à furtivis amoribus abhorreret. Nec ipſo facto contentus oſtendere, quanti virtutem hanc faceret: etiam Bacchyliæ veteris poëtæ verſus in ore ſemper habebat, quorum hujuſmodi fuiſſe ſententiam accepimus:

Ut cum à ſtatua facies formoſa revulſa eſt,
Non decus in reliquo corpore truncus habet:
Sic reliqui mores ſpreti ſine honore jacebunt,
Ni ſint ornati laude pudicitiæ.

Tot tantiſque corporis & animi dotibus illuſtrem Iulianum, in quo divinum ingenii lumen ex dictis, doctrina à librorum monumentis, cognitio juris ex reſcriptis, rei militaris uſus ex factis, modeſtia placidiſſimis ex moribus, ex continentia perpetua caſtitas enituit; quis obſecro vel infeſtiſſimus hoſtis

non ingenue lubenterque prædicet? Nihilominus inventi ſunt jam alieni ab omni ſenſu humanitatis homines, ut eos ſolo diſceſſionis à religione Chriſtianorum prætextu, de veris ejus laudibus impudenter detrahere, parumque felicem, immò perniciosum reipublicæ principem dicere non ſit veritum. Quoniam, inquiunt, parum proſperis in Perſico bello ſucceſſibus uſus eſt, & in hoſtico caſus, ingens reipublicæ detrimentum adtulit. Immò duas ille fatales ac formidoloſas imperio Romano nationes, Germanicam atque Perſicam, ad eas redegit anguſtias; ut illa, graviſſimis fracta præliis, & cupide pacem peteret, & conceſſam, metu feliciſſimi juvenis, alias quietis & otii ſemper impatiens, eo ſuperſtite ſancte coleret: hæc, perpetuo victoriarum curſu territa, non jam amplius caſtra caſtris opponere, nec æquo Marte congredi, ſuorumve direptiones, expugnationes, incendia, clades extremas auſa prohibere, parum ab interitu res ſuas abeſſe vel invita fateretur. Quidquid denique vel terroris illatum, vel acceptum damni, Ioviano ſucceſſori debetur, noſtræ religionis homini: qui perpetua cum Romani nominis ignominia, prope ſupplex hoſti jam victo factus eſt, & quos ultro pacem poſcentes finium ſuorum parte multatos oportuit, ceſſione complurium provinciarum placavit.

Quæ-

Quanam igitur iſta, malum, libido eſt inceſſendi alios ob ea delicta, quæ noſtris accepta ferenda ſunt? Etc. quæ addit, nihil pertinentia ad Iulianum.

Poſt ejuſcemodi litem quomodo tandem ſit de Iuliano judicandum, judicent, qui hujus rei judicium ad ſe pertinere judicabunt. Ego, ne intercedere quidem meum putans, ſufficere credo indicaſſe, quid magni viri ſenſerint in utramque partem. Neque te fraudare volo judicio alterius cujuſdam eruditiſſimi viri minus obnoxii, ut apparebit legentibus hanc, quam ſubjicimus quoque, illius præfationem:

P. MAR-

P. MARTINII
MORENTINI NAVARRI
PRÆFATIO
IN IULIANI IMPERATORIS
Miſopogonem,

Vbi Authoris vita ex variis, præcipuè Marcellini, locis diſſeritur.

IULIANUM *Imperatorem ſingulari ingenio & eloquentia fuiſſe monumenta ejus declarant: cæterarum etiam virtutum principe dignarum laudes, & non mediocres in hiſtoria tribuuntur; ut, ſi vera ſunt, quæ de eo memorantur, non dubitem eum parte iſtâ cum ſummis principibus conferre: Verùm laudes iſtas omnes una impietatis, &* ἀποστασίας *macula in perpetuum delevit, atque extinxit. Magnum eſt hoc exemplum, & imprimis conſiderandum, ut & principes, & privati homines tanta, & tam miſera ruinæ periculum extimeſcant; Deum optimum maximumque ſincere colendum ſibi putent; veram pietatem vere & ſerio amplectantur; neque puerilem aliquem ludum, jocumque arbitrentur eſſe: omninoque certiſſimum Chriſti oraculum illud ſecum reputent,* πολλοὶ εἰσι

κλητοὶ,

κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοὶ, multi ſunt vocati, pauci verò electi: *Quare ut tota hac res facilius perſpiciatur, & propoſitæ orationis argumentum è ſuis cauſſis explicetur, Iuliani vita primum ex natura & educatione, deinde ex moribus ipſius cognoſcenda eſt.*

Ad naturam tum patria & parentes, tum naturalis animi & corporis habitus pertinet. Patria igitur ei fuit Byzantium, urbs Thraciæ nobilis, & copioſa, tunc imperii ſedes, ac domicilium, quæ Conſtantinopolis, & nova Roma dicta eſt. Parentes patria non minus nobiles & clari fuere. Pater quippe fuit Conſtantius, magni illius Conſtantini frater; mater Baſilina nomine, jam inde à majoribus nobilis, ait Marcellinus: quibus tamen non multum frui potuit. Pater ſiquidem poſt fratris Conſtantini obitum ab imperii ſucceſſoribus oppreſſus eſt: mater verò paucis menſibus poſt editum in lucem Iulianum exceſſit è vita. Itaque puer admodum cum fratre Gallo, quem unicum ex patre habebat, eumque incertæ, & penè afflictæ valetudinis, ab omni ſolatii, ac præſidii ſpe inops relictus eſt, eademque prorſus, quæ patrem antea, filium utrumque ruina oppreſſiſſet, niſi illum ætas, hunc valetudo periculo liberaſſet. Atque hæc naturæ ſemina fuere in patria ac parentum ſplendore. At in animo & corpore varia fuit naturæ affectio.

affectio. Animus quidem ei fuit leviſſimus: Itaque (*ait Marcellinus lib.*22.) præfectis proximiſque permittebat, ut fidenter impetus ſuos aliorſum tendentes, atque decebat, monitu opportuno frænarent: monſtrabatq; ſubinde ſe dolere delictis, & gaudere correctione. *Corporis verò mediocris habitus ſic ab eodem deſcribitur libro viceſimo quinto:* Figura (*inquit*) talis utique membrorum: mediocris erat ſtaturæ, capillis tanquam pexiſſet mollibus, hirſuta barba in acutum deſinente veſtitus, venuſtate oculorum micantium flagrans, qui mentis ejus anguſtias indicabant, ſuperciliis decoris, & naſo rectiſſimo, ore paulo majore, labro inferiore diviſo, opima & incurva cervice, humeris vaſtis & latis, ab ipſo capite uſque ad unguium ſummitates lineamentorum recta compage, unde viribus valebat & curſu. *Hic per mentis anguſtias eadem, quæ ſupra, levitas notatur: ſed firmitas additur corporis, unde magna bellicæ laudis pars ſit poſtea conſecuta. Sed de tota hac re copioſior eſt & liberior Gregorii Nazianzeni oratio: qui eum Athenis vidit adoleſcentem, & ex animi corporiſque habitu futuros ejus mores deprehendit: ſic autem loquitur libro ſecundo contra Iulianum:* Tum (*ait*) ſenſi me non malum hominis conjectorem fuiſſe,

fuiſſe, quamvis non ſim unus ex iis, qui ingenio ad iſtas artes bene nati ſunt. Sed me divinandi compotem efficiebat ingenii inconſtantia, & mirabilis commotio, ſiquidem vates eſt optimus, qui rectè novit conjicere. Nullius quippe boni ſignum mihi videbatur eſſe cervix prona, humeri vibrati, & ſubſilientes, oculus errans, & circunductus, & furioſe intuens, pedes inſtabiles, & claudicantes, irriſor, contumelias ſpirans, & contemptum, vultus conformationes ridiculæ, idem præ ſe ferentes riſus, immoderati & effuſi, nutus, & renutus ſine ratione, ſermo hæſitans, & conciſus ſpiritu, percontationes ineptæ, & ſtultæ, reſponſiones nihilo iſtis meliores, in ſeſe incurrentes, non conſtantes, nec doctrinæ ordine progredientes. Quid ſingula perſequar? talem ante opera vidi, qualem in operibus cognovi. *Hæc ille; undè intelligimus inſitam, atque ingenitam huic homini perpetuam levitatem, & inconſtantiam; ut erroris inde conſequuti prima jam cauſſa teneatur. Ergo natura talis fuit.*

Quid educatio, quibus magiſtris, quo ſtudiorum atque artium genere tractata & exculta eſt? Poſt annum ſeptimum ætatis præceptori traditus fuit Mardonio eunucho, qua de re ipſemet in Miſopogone hunc in modum

Antio-

Antiochenſes affatur: Vultis *(ait)* nomen pædagogi, & genus proferam? homo barbarus, & genere Scytha is fuit, eodemque nomine atque ille, qui Xerxem ad bellum in Græciam, nobileque Argos induxit. Hoc autem nomen, quod ante viceſimum annum honoris, nunc contumeliæ cauſſa appellatur, Eunuchus erat, ſub meo avo educatus, ut matri meæ Homeri, atque Heſiodi poëmata exponeret. Cum autem illa paucis pòſt menſibus mortua, me primum & ſolum filium reliquiſſet, tum ego tanquam virgo orba & deſerta, multis erepta calamitatibus, puella & tenera, poſt annum ſeptimum ipſi traditus fui. *Ab hoc igitur præceptore ad publicas ſcholas Conſtantinopoli deducebatur, ibique puerilem ætatem Grammaticis ac Rhetoricis ſtudiis exercuit. Nicoclem Lacedæmonium Grammaticæ artis magiſtrum habuit; Ecebolium ſophiſtam Rhetoricæ. Porro hic magiſter diſcipuli fortunam poſtea ſecutus à Chriſtianis ad ethnicos deſcivit, tandemque Iuliano extincto, ad Chriſtianos reverſus pro foribus templi proſtratus clamitabat*, Calcate me ſalem inſipidum. *Attamen Iuliano hæc ſchola non minus pietatis & religionis, quam ingenii ac literarum fuit. Itaque publicum in Eccleſia munus anagnoſtæ obivit; populo-*

que

que audiente ſacros libros recitavit, neque quicquam ſibi majus, & uberius ad gloriam poſſe contingere quàm pietatem arbitrabatur. Ergo his magiſtris, atque artibus deditus brevi tantam eſt apud omnes famam, & authoritatem conſecutus, ut imperio adminiſtrando idoneus eſſe dictitaretur. Itaque ne qua inde novarum rerum occaſio exiſteret, ab hac prima ſchola Nicomediam diſceditur.

Florebat tum in ea urbe Libanius Rhetor magnâ eloquentiæ laude, ſed ſuperſtitioni ethnicæ imprimis addictus. Quocirca ab ejus ſchola ſeſe primo continebat, & domi tantum libros ejus lectitabat, quod iis mirificè delectaretur. at poſtea Libanii paulatim conſuetudine depravatus, non tantum in ſcholam ventitare, ſed etiam Græcorum more in Chriſtianos declamare audebat, tanquam exercendi ingenii gratia vellet incredibilem aliquam theſin dicendo probabilem reddere. Hæc altera Iuliani ſchola fuit, ſchola, inquam, erroris & impietatis magiſtra. Recte ſiquidem ex Menandro ait Paulus,

Φθείρουσιν ἤθη χρήσθ' ὁμιλίαι κακαί.

Corrumpunt mores bonos congreſſus mali.

Sed tamen in hac ſchola tales ei meditationes eloquentiæ fuere. Philoſophiam ibidem

dem percepit. Erat eo tempore philoſophia non Platonica omnino, aut Ariſtotelica; ſed ex utraque miſta: cujus inſtituti & Porphyrius paulo ante, & tunc Iamblicus principes ferebantur. Iamblici ſumma erat auctoritas apud omnes. itaque hunc philoſophum imprimis coluit, & amavit, magniſque honoribus ac præmiis affecit. Philoſophiam igitur ejuſmodi habuit. hinc ſe τῶν Πλάτωνος, καὶ Ἀριστοτέλους ζηλωτὴν δογμάτων, Platonis & Ariſtotelis decretorum ſtudioſum *appellat in epiſtolis. quam ad rem multum quoque eunuchi illius, de quo ante dixi, præceptoris opera uſus eſt; ſicut ipſe in Miſopogone declarat Antiochenſibus, cùm vitæ ſuæ culpam ironia quadam in eum rejicit:* Sæpe (*ait*) nomina hæc, *ut opinor*, audita ſunt, tantopere videlicet exagitata & deriſa, Plato, Socrates, Ariſtoteles, Theophraſtus. Illis ſenex iſte cùm nimis ſtulte, ac ſimpliciter obſecutus eſſet, poſtea me puerum, & diſcendi cupiditate flagrantem nactus, perſuaſit, ſi illorum veſtigiis vellem inſiſtere, meliorem me, non quidem cæteris fortaſſe hominibus (neque enim cum illis mihi certamen eſſe) ſed meipſo omnino futurum. Ego vero (quid enim aliud feciſſem?) ſeni obſecutus non poſſum jam quippiam mutare, quamvis maxime cupiam, meque incuſo, quod

ſo, quod omnibus vitiis liberum aditum non patefaciam. Sed in mentem veniunt ea, quæ apud Platonem Athenienſis hoſpes diſſerit, Dignus eſt honore, qui nihil peccat: qui vero alios etiam ab injuria deterret, plus quam duplici honore dignus eſt. Ille enim uni, hic pluribus par eſt, qui ſcelus aliorum indicat magiſtratibus: at qui ſocium præterea ſe adhibet in punienda injuria, hic magnus vir in civitate, & perfectus eſt, hic victor in virtutis certamine pronuntietur. Hæc me docebat ſenex ille. *Atque hac fuit adhuc Iuliani philoſophia. Interea Nicomediam venit Maximus Epheſius philoſophus, qui ob magicas artes atque impoſturas poſtea eſt à Valentiniano Imperatore capitis ſupplicio multatus: hic Iuliani corruptor alter fuit, eumque docuit, ut ait Nazianzenus, impietatem* ὅση τις περὶ ἀστρονομίαν, καὶ τὰς γενέσεις, καὶ φαντασίαν προγνώσεως τερατεύεται, καὶ τὴν ἑπομένην τούτοις γοητείαν, quæ & in aſtronomia, & natalitiis, & ſpecie divinationis ludificatur, horumque comite magica. *Hunc autem philoſophum quanti ſemper fecerit, epiſtola ad eum honorificis verbis conſcripta declarant. Ex hac ſchola Athenas deinde commigravit,* καθ' ἱστορίαν τῆς Ἑλλάδος, καὶ τῶν ἐκεῖσε παιδευτηρίων, ad Græciam viſendam, ſcholaſque regionis illius cognoſcendas,

ſcendas, ait Gregorius; ubi eum ipſi cognitum fuiſſe ſupra docuimus. Ergo Iuliani doctrina talibus magiſtris atque artibus inſtituta eſt: ut hinc jam erroris altera cauſſa facilè appareat. Atque adhuc ſemina duntaxat videmus tum natura, tum doctrina: fructus deinceps in moribus videamus.

Marcellinus lib. 14. *generatim eos attingit, cùm Galli fratris mores comparat.* Tantùm(*inquit*)a temperatis moribus Iuliani differens fratris, quantum inter Veſpaſiani filios fuit Domitianum & Titum. *Hîc Gallus Domitiano, Iulianus Tito confertur. Ac ſane videtur ab animi moderatione, ac modeſtia non abhorruiſſe, cùm ex omnibus imperatoribus Marcum philoſophum imprimis amaverit, ſibique imitandum propoſuerit: qui certe fructus non tam naturæ fuit, quam doctrinæ: quæ, ut ait Ovidius,*

Emollitq; animos, nec ſinit eſſe feros.

Sed tamen hanc morum moderationem tranquillitatemque quidam æſtus ambitionis perturbavit: ut hæc tertia cauſſa ad duas illas ſuperiores, de quibus antea in natura & educatione diximus, adjuncta, facilè hominem à vero rectoque deductum in fraudem, ac ſcelus præcipitaverit. Veruntamen jam mores ipſius in ſingulis virtutum partibus videamus. Ac primùm fortitudo qualis

lis fuit. Adoleſcens nondum tertium & viceſimum annum egreſſus Cæſar creatus eſt octavo Idus Novembres, Arbetione & Lolliano Coſſ. cùm quidem barbari Gallias vaſtarent, & Imperator cum eis bellum gerere timore prohiberetur. Conſtantium (*ait Marcellinus lib.* 15.) exagitabant aſſidui nuntii, deploratas jam Gallias indicantes, nullo renitente ad internecionem barbaris vaſtantibus univerſa: æſtuansque diu qua vi propulſaret ærumnas ipſe in Italia reſidens, ut cupiebat (periculoſum enim exiſtimabat ſe in partem contrudere longe dimotam) reperit tandem conſilium rectum, & Iulianum patruelem fratrem haud ita dudum ab Achaia contractum accitu, etiam tum palliatum in ſocietatem imperii aſciſcere cogitabat. *Atque id poſtea perfecit, & Helenam ſororem præterea ei nuptum dedit. Iulianus interea non ignarus quantis periculis objiceretur, non tam ſe ad honorem, quam ad mortem vocatum arbitrabatur. itaque quo die purpura indutus regio more in aulam invectus eſt, hunc ex Homero verſiculum dicitur uſurpaſſe,*

Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή.

Cæpit purpurea mors, & parca violenta.

Murmurans etiam ſæpe audiebantur,

nihil

nihil ſe amplius aſſecutum, quàm ut occupatior interiret. Hinc illa tacita conqueſtio in Miſopogone, ſe ad Gallos, Germanos, Hercyniamque ſilvam, ut tanquam venator cum feris bellaret, eſſe relegatum. Et alio loco: Videbatur, *inquit*, neuter noſtrum velle: neque is qui hunc honorem, vel gratiam, vel quocunque alio nomine vultis appellare, libenter dabat: & qui accepit (dii ſunt teſtes) vere, & ex animo recuſabat. *Hac ille de ſeipſo loquitur.* Et certè, *ait Marcellinus*, illud rumore tenus ubique jactabatur, quod Iulianus non levaturus incommoda Galliarum electus eſſet, ſed ut poſſet per bella deleri ſæviſſima, rudis etiam tum, ut æſtimabatur, ac ne ſonitum quidem duraturus armorum. *Veruntamen rudis iste adoleſcens, & in Academia umbra, non in Sole, ac pulvere militari educatus, tantis periculorum fluctibus objectus, quid fecit? Si provinciam ſibi commiſſam tueri, atque injuriam tantum propulſare, non hoſtem laceſſere voluiſſet, tamen rem magnam præſtitiſſe meritò judicaretur. At laceſſivit, & qui aliis terrori eſſe conſueverat, ipſum ſibi timere coëgit. Nihil dico quanta celeritate barbaros Gallia expulerit; qua virtute nobiles, & antiquas urbes, Auguſtodunum, Autoſiodorum, Tricaſſas, Remos defenderit: nihil*

denique

denique cæteras res ab eo in Gallia, & Germania geſtas commemoro: hoc tantum dico, quod omnes uno ore ſcriptores illius ætatis prædicant, ſeptem totius Germaniæ potentiſſimos reges uno ingenti difficillimoque prælio ad Argentoratum ab eo devictos, principemque eorum Chodonomarium captum Romam ad Conſtantium miſſum eſſe, omninoque res Galliæ acciſas atque afflictas in integrum ſtatum ab eo reſtitutas fuiſſe. Sed hæc laus etiam miſerrima ambitionis labe contaminata eſt, cum ſe Auguſtum ſalutari voluit: unde bellum civile atrociſſimum eſſet conſecutum, niſi mors pene repentina Conſtantium ante ſuſtuliſſet. Quo accepto nuntio Iulianus, primo Conſtantinopolin ad imperium conſtituendum, deinde Antiochiam ad bellum Perſicum profectus eſt. Atque hic animadvertendum eſt, quod in hiſtoria narrat Socrates, Iulianum Pythagorea quadam μετεμψυχώσει perſuaſum, ſe Alexandrum eſſe, crediſſe. Itaque ſimilem fortaſſe gloriam è Perſis devictis ſperabat: ſed tamen res omnino aliter cecidit, ut poſt intelligetur. Quare videmus magnam prorſus in hoc imperatore virtutis hujus laudem enituiſſe? ne quis putet literarum, ſapientiæque ſtudia bellicis laudibus officere, aut corporis viribus magis, quam animi prudentia res magnas adminiſtrari.

Sed fuerit ejuſmodi fortitudo, quid temperantia? Prorſus admiranda, tum domeſtica, tum externa: ac domeſtica quidem in victu, ſomno, & venere. de victu & ſomno Marcellinus lib.16. Phaſianum, *ait*, & vulvam, & ſumen exigi vetuit & inferri, munificis militis vili & fortuito cibo contentus. Hinc contingebat, ut noctes ad officia divideret tripartita, quietis & publicæ rei, & muſarum: quod factitaſſe Alexandrum legimus Magnum, ſed multo hic fortius. Ille namque ænea concha ſuppoſita, brachio extra cubile protento, pilam tenebat argenteam: ut cum nervorum rigorem ſopor laxaſſet, infuſus geſtaminis lapſi tinnitus abrumperet ſomnum. Iulianus vero abſque inſtrumento quoties voluit, evigilavit: & nocte dimidiata ſemper exurgens, non è plumis, vel ſtragulis ſericis ambiguo fulgore nitentibus, ſed ex tapete & σισύρᾳ, quam vulgaris ſimplicitas ſiſurnam appellat. *Hoc idem de ſe prædicat Iulianus in Miſopogone, cum ſe propterea inviſum Antiochenſibus eſſe conqueritur.* Domeſtica autem, *inquit*, noctes inſomnes in ſtragulo, & victus omnis expers ſatietatis, mores acerbos efficiunt, & delicatæ urbi repugnantes. Nolite tamen putare veſtra cauſſa id à me fieri: gravis quidam & ſtultus

ſtultus error jam inde à puero me induxit, ut ventri bellum facerem. Neque enim eum permitto epulis expleri. Itaq; rariſſime omnium mihi contigit vomere, & memini id mihi accidiſſe, ex quo Cæſar ſum factus, ſemel tantum, neque id cibi copia, ſed caſu. *Ergo ad hunc modum ille de ſua in victu ſomnoque temperantia penè gloriatur. Hinc porrò ſecuta eſt temperantia in venere: qua de re Marcell lib. 25.* Primum, *inquit*, ita inviolata caſtitate enituit, ut poſt amiſſam conjugem, nihil unquam venereum attingeret. *Uxorem autem amiſit paulo poſt Auguſti honorem ſuſceptum, cum filiolum infantem ex eadem antea in Gallia amiſiſſet. Mox pergens idem auctor:* Quam labem, *ait*, in adulto robore juventutis ita caute vitavit, ut ne ſuſpicione quidem tenus libidinis ullius, vel ſecretioris vitæ miniſtris incuſaretur, ut ſæpe contingit. *Et lib. 24. cum prædam bello Perſico captam commemorat.* Ex virginibus, *ait*, quæ ſpecioſæ ſunt captæ, ut in Perſide, ubi fœminarum pulchritudo excellit, nec contrectare aliquam voluit, nec videre, Alexandrum imitatus, & Africanum, qui hæc declinabant, ne frangerentur cupiditate, qui ſe invictos à laboribus ubique præſtiterunt. *Quinetiam tonſores & coquos ejecit, tanquam delicia-*

rum atque intemperantiæ miniſtros. Marcellinus lib.22. Evenerat, *inquit*, ut ad demendum imperatoris capillum tonſor venire præceptus, introiret quidam ambitioſe veſtitus. Quo viſo Iulianus obſtupuit: *Ego*, inquit, non rationalem juſſi, ſed tonſorem acciri. Interrogatus tamen ille quid haberet ex arte compendii, vicenas diurnas reſpondit annonas, totidemque pabula jumentorum (quæ vulgo dictitant capita) & annuum ſtipendium grave abſq; fructuoſis petitionibus multis. Unde motus omnes hujuſmodi cum coquis ſimilibuſque aliis, eadem accipere penè conſuetos, ut parum ſibi neceſſarios, data quo velint eundi poteſtate, projecit. *Atque hæc temperantia fuit domeſtica: ſequitur externa in theatris & ludis: cujus item gloriatio quædam eſt vituperationis ſpecie in Miſopogone.* Arceo, *inquit*, meipſum à theatris per ſummam ſtultitiam, neque in aulam admitto ſcenam, niſi anni principio, præ animi ſtupore, tanquam pauper agricola tributum aliquod pendens iniquo domino: at tum quoque cum illuc introivi, ſimilior ſum deteſtanti eos ludos, quam ſpectanti. *Idem paulò pòſt*, Attendite, magis eſt novum & admirabile, quod dicam. Semper odi Circenſes, perinde ut forum, qui obſtricti

ſtricti ſunt ære alieno. Itaque raro ad eos venio, nempe in deorum feriis, neque ibi diem conſumo, quod meus patruelis, avunculus, & germanus ex patre faciebant: ſed ſpectato ſexto fere curſu, neque id magna cum voluptate, imò hercle cum moleſtia & faſtidio, libens diſcedo. *Atque hunc quidem ſolius doctrinæ fructum eſſe, idem ait.* Docuit me præceptor meus, cùm ad magiſtros irem, terram, non theatrum aſpicere, pluriſque mentum capitis mei æſtimare. Sæpenumero mihi puero dicebat præceptor ille; Ne ſinas te à tuorum æqualium multitudine in theatra induci, neque ulla ejus ſpectaculi cupiditate tenearis. Circenſes requiris? apud Homerum eos elegantiſſimè deſcriptos reperies, cape librum & lege. Hiſtriones audis ſaltatores? ſine eos valere: fortius ſaltant juvenes apud Phæacas. Habes illic citharœdum Phemium, & cantorem Demodocum. Sunt etiam apud eundem multæ ſtirpes, quæ majore cum voluptate audiuntur, quam noſtræ ſpectantur.

Sic quondam Deli ſacras ad Apollinis aras,
Proceram viridi conſpexi in gramine palmam.
Quid Calypſonis inſula opaca arbo-

 ribus?

ribus ? quid Circes antra ? quid hortus Alcinoi? crede mihi, nihil videbis jucundius. *Ergo temperantia hæc magna in principe fuit, & ad doctrinæ diligentiam referenda. Interea tamen inanis quædam loquacitas, & indecora actio in eo notata eſt.* Cùm die quodam, *ait Marcellinus*, ei cauſſas ſpectanti veniſſe nuntiatus eſſet ex Aſia philoſophus Maximus, exſilivit indecore: & qui eſſet, oblitus, effuſo curſu à veſtibulo longe progreſſus, exoſculatũ, ſuſceptumque reverenter ſecum induxit, per oſtentationem intempeſtivam nimius captator inanis gloriæ viſus. *Hæc levitas naturalis, & inſita ei fuit, ut antea patuit, neque doctrina ulla tolli potuit. Sed quoniam temperantiam perſpeximus, prudentiam in omni doctrinæ parte videamus.*

Ingenium diſcendi cupidiſſimum arguit epiſtola ad Ecdicium quendam præfectum Ægypti, qua Georgii Epiſcopi Alexandrini libros efflagitat: Quidam, *inquit*, equis, alii avibus, nonnulli feris delectantur. Ego verò inde uſque à pueritia librorum cupiditate arſi. *Iſocrates ait,* ἐὰν ᾖς φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθής. *Ergo hæc* φιλομάθεια *Iuliano* πολυμάθειαν *peperit. Quid igitur, humanitatis artes Grammatica, Rhetorica, Logica, quales in eo fuere? Grammaticæ & Rhetoricæ artis magiſtros antea vidimus, quibus*

artibus

artibus Logica etiam continebatur: verùm ex ejus ſcriptis clarius, certiuſque argumentum doctrinæ repetamus. Veriſimile eſt in illo otio ſcholarum, ac ſtudiorum, antequam Cæſaris honorem contingeret, multa ab eo ſcripta eſſe, quæ temporis injuria periere. ex quibus tantum nominantur orationes aliquot ad Iamblichū miſſa, ut conſtat ex quadam ad illum epiſtola. at poſtquam ad rempublicam acceſſit, diligentius etiam ſtudia hæc tractavit atque excoluit. Ex his vigiliis Suidas commemorat τοὺς καλουμένους Καίσαρας, librum qui inſcribitur Cæſares: περὶ τῶν τριῶν σχημάτων, de tribus figuris: κρόνια Saturnalia: περὶ τοῦ πόθεν τὰ κακὰ κατὰ τοὺς ἀπαιδεύτους, unde mala oriantur ſecundum indoctos: πρὸς τὸν κύνα Ἡράκλειτον, ad canem Heraclitū: πῶς κυνιστέον, quomodo ſit cynica vita inſtituenda. *quæ opera, quod ſciam, omnia periere. extant quædam orationes Venetiis, & ſympoſium alicubi in Italia, item hymnus in Solem: neque enim poëticam neglexit, ut declarant duo epigrammata non invenuſta, ea ſunt hujuſmodi.*

Ἰουλιανοῦ βασιλέως εἰς οἶνον ἀπὸ κριθῆς.

Τίς; πόθεν εἶς Διόνυσε; μὰ γὰρ τὸν ἀληθία Βάκχον,
Οὔ σ' ἐπιγιγνώσκω· τὸν Διὸς οἶδα μόνον.
Κεῖνος νέκταρ ὄδωδε· σὺ δὲ τράγον. ἦ ῥά σε Κελτοὶ
Τῇ πενίῃ βοτρύων τεῦξαν ἀπ' ἀσταχύων.
Τῷ, σε χρὴ καλέειν Δημήτριον, οὐ Διόνυσον,
Πυρογενῆ μᾶλλον, καὶ Βρόμον, οὐ Βρόμιον.

Ἰουλιανοῦ βασιλέως εἰς τὸ ὄργανον.

Ἀλλοίην ὁρόω δονάκων φύσιν. ἦπου ἀπ' ἄλλης
Χαλκείης τάχα μᾶλλον ἀνεβλάστησαν ἀρούρης·
Ἄγριοι, οὐδ' ἀνέμοισιν ὑφ' ἡμετέροις δονέονται.
Ἀλλ' ὑπὸ ταυρείης προθορὼν σπήλυγγος ἀήτης
Νέρθεν εὐτρήτων καλάμων ὑπὸ ῥίζαν ὁδεύει.
Καί τις ἀνὴρ ἀγέρωχος ἔχων θοὰ δάκτυλα χειρὸς
Ἵσταται ἀμφαφόων κανόνας συμφράδμονας αὐλῶν·
Οἱ δ' ἁπαλὸν σκιρτῶντες ἀποθλίβουσιν ἀοιδήν.

Iuliani Imp. in vinum hordeaceum.

Quis Dionyſe? aut unde es? Bacchũ namq́; per ipſũ,
Te ignoro: ſolum noſco Iovis puerum.
Bacchus nectar olet, tu hircum: te Gallia nempe
Vitis inops ſpicis extulit è gravidis:
Ergo te fas eſt Cerealem, non Dionyſon
Dicere, ſpicigenamque & Bromon, haud Bromium.

Iuliani Imperatoris in organum.

Quam cerno, alterius naturæ eſt ſiſtula: nempe
Altera produxit fortaſſe hanc ænea tellus:
Horrendum ſtridet, nec noſtris illa movetur
Flatibus, at miſſus taurino è carcere ventus
Subtus agit læves calamos, perque ima vagatur.
Mox aliquis velox digitis, inſignis & arte
Adſtat, concordes calamis pulſatque tabellas:
Aſt illæ ſubito exiliunt, & carmina miſcent.

Magni igitur doctrinæ teſtes hactenus fuêre, ad quos nunc duo accedunt, μισοπώγων, & epiſtolæ. ſed de illo dicetur poſtea, nam ad cæteras prudentiæ partes pergendum eſt. Quid ergo, in Mathematicis, Phyſicis, Theologicisque rebus quæ fuit ejus prudentia? Aſtrologiam ab eo perceptã antea cognovimus: unde ſequi-

ſequitur Arithmeticam & Geometriam, artes ſcilicet natura priores, ei non incognitas fuiſſe; ſed Aſtrologiam divinationum ſophiſmatis, ut Phyſicam magicis impoſturis corruptam perverſamque habuit. In quadam ad Oribaſium epiſtola ſomnium ſuum narrat de gemina arbore, qua ſe Conſtantiumque ſignificat. Tale quiddam, *inquit*, hodie vidi: Arborem proceram in magno quodam triclinio inſitam putabam, quæ in terram ſe inflecteret, eiq; aliam parvam, teneram & valde florentem ad radices agnatam. Angebat me autem vehementer metus de exigua illa arbore, ne una cum majore avelleretur, & cum propius acceſſiſſem, cerno magnam arborem humi proſtratam, parvam autem erectam quidē, ſed à terra ſuſpenſam. Quod cum viderem, æſtuans, Heu (*inquam*) quanta arbor, & tamen periculum eſt, ne ſurculus quoque ei agnatus intereat. Hic quidam mihi ignotus omnino, Contemplare (*ait*) diligenter, & bono ſis animo: radice enim humi manente, parva illa arbor manebit, firmiuſq, hærebit. *Hic plane ſe Conſtantio ſucceſſurum indicat. Eodem fere pertinent illa, quæ narrat Marcellinus lib. 21.* Cum apud Pariſios, *ait*, Cæſar Iulianus quatiens ſcutum variis motibus exerceretur in campo, axiculis, quîs or-

bis erat compaginatus, in vanum excuſ-ſis, anſa remanſerat ſola: quam retinens valida manu ſtringebat: territiſque ut omine diro præſentibus cunctis, Nemo *(inquit)* vereatur. habeo firmiter quod tenebam. *Item cum apud Viennam poſtea quieſceret ſobrius, hora media noctis imago quædam viſa ſplendidior, hos ei verſus heroos modò non vigilanti aperte dixit, eadem ſæpius replicando, quibus fretus nihil aſperum ſibi ſupereſſe exiſtimabat,*

Ζεὺς ὅταν ἐς πλατὺ τέρμα μόλῃ κλυτοῦ ὑδροχόοιο,
Παρθενικῆς δὲ Κρόνος μοίρῃ βαίνῃ ἐπὶ πέμπτῃ
Εἰκοστῇ, βασιλεὺς Κωνστάντιος Ἀσίδος αἴης
Τέρμα φίλου βιότου στυγερὸν, καὶ ἐπώδυνον ἕξει.

Iuppiter ubi tranſierit latum terminum inclyti aquarii,
Virginiſq; Saturnus partem venerit ad quintam &
Viceſimam, rex Conſtantius in Aſia terra
Terminum charæ vitæ triſtem & lamentabilem habebit.

Ex hac magica vanitate in falſam, impiam, & ſuperſtitioſam Theologiam prolapſus eſt. Occulte, *ait Marcellinus,* Mercurio ſupplicabat: utque omnes nullo impediente ad ſui favorem illiceret, adhærere cultui Chriſtiano fingebat, à quo jampridem occulte deſciverat, arcanorum participibus paucis, aruſpicinæ auguriiſque intentus, & cæteris, quæ deorum ſemper fecere cultores. *Atque hæc quidem ſimulatio tantiſper fuit, dum vixit Conſtantius.*

at eo mortuo planè religionem mutavit, & callide interim populi diſſenſionem fovebat, ut ſecuriùs regnaret. Ubi verò (*ait idem libro viceſimo ſecundo*) abolitis, quæ verebatur, adeſſe ſibi liberum tempus faciendi quæ vellet, advertit, pectoris patefecit arcana: & planè abſolutis decretis aperiri templa, ariſque hoſtias admoveri, & reparari deorum ſtatuit cultum. Utque diſpoſitorum roboraret effectum, diſſidentes Chriſtianorum antiſtites cum plebe diſciſſa in palatium intromiſſos monebat, ut civilibus diſcordiis conſopitis, quiſque nullo vetante ſuæ religioni ſerviret intrepidus. Quod agebat ideo obſtinate, ut diſſenſiones augente licentia, non timeret unanimantem poſtea plebem. *Hac igitur religio ſatis hominis Theologiam declarat. In ſacris verò faciendis inepte fuit ſuperſtitioſus, atq; ipſis etiam ethnicis ridiculus.* Superſtitioſus (*ait Marcellinus libro viceſimo quinto*) magis quàm ſacrorum legitimus obſervator, innumeras ſine parſimonia pecudes mactans, ut æſtimaretur, ſi revertiſſet de Parthis, boves jam defuturos: Marci illius ſimilis Cæſaris, in quem id accepimus dictum, οἱ λευκοὶ βόες Μάρκῳ τῷ Καίσαρι· ἂν σὺ νικήσῃς, ἡμεῖς ἀπωλόμεθα, *id eſt*, candidi boves Marco Cæſari: Si tu viceris, nos perimus. *Quanto verò*

to verò Chriſtianæ religionis odio flagraverit, libris adverſus eam conſcriptis & editis declaravit. Theologia igitur ejuſmodi fuit. Fertur tamen de animi præſtantia egregie ſenſiſſe. Hinc illa ſane nobilis ejus vox, Turpe eſſe ſapienti, cùm habeat animum, captare laudes ex corpore.

Atq; hæc de prudentia, quid juſtitia. qualis fuit? Conſtantio ſummum imperium eripuit: ſumma hæc fuit iniquitas. Chriſtianos verò licet non gladio, & aperta vi, ut cæteri ante eum tyranni, attamen iniquiſſimis & acerbiſſimis legibus miſerrime vexabat. Extant in epiſtolis duo in eos edicta: alterum, quo ſcholis interdicit: alterum quo bona fortunaſque eis eripit: improbiſſime etiam cavillatus, ſe id agere, ἵνα εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν εὐοδιώτερον πορευθῶσι, quo facilius in regnum cœlorum veniant. *Prioris edicti meminit Marcellinus libro viceſimo ſecundo.* Illud autem, *inquit*, inclemens obruendum perenni ſilentio, quod arcebat docere magiſtrôs Rhetoricos, & Grammaticos, ritus Chriſtiani cultores. *Quin etiam militiæ muneribus & magiſtratu gerendo eiſdem interdixit, quod diceret Euangelium eis gladii poteſtatem adimere, ut tradidit Socrates in hiſtoria Eccleſiaſtica. In quo perverſe & malitioſe Euangelii auctoritatem uſurpabat, quæ non publicam vin-*

dictam

dictam prohibet, ſed privatam. Chriſtianos etiam de injuriis conquerentes rejiciebat illudens, ὑμῖ περὶ τὸ κακοπαθεῖν, veſtrum eſt injurias perferre. *Iudæos odio Chriſtianorum beneficiis auxit, & ad templum reſtaurandum hortatus eſt: qua de re extat edictum in epiſtolis. At id Iudæi contra Dei decretum fruſtra magnoque ſuo incommodo tentarunt. Teſtis eſt Marcellinus libro viceſimo tertio.* Ambitioſum quondam, *inquit*, apud Hieroſolymam templum, quod poſt multa & interneciva obſidente Veſpaſiano, poſteaque Tito ægre eſt expugnatum, inſtaurare ſumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochenſi, qui olim Britanias curaverat pro præfectis. Cum itaque rei idem fortiter inſtaret Alypius, juvaretque provinciæ rector, mechendi globi flammarum prope fundamenta crebris aſſultibus erumpentes, facere locum exuſtis aliquoties operantibus inacceſſum: hocq; modo elemento deſtinatius repellere, ceſſavit inceptum. *Atque hoc tantum in Chriſtianos odium ne in cauſſis quidem diſceptandis deponebat: quid enim quiſque litigantium coleret, interrogabat. In hac tamen principis iniquitate ſtudium illud æquitatis tuendæ apparuit, quod quædam in jure civili reformaverit.*

Iura

Iura (*inquit Marcellinus libro viceſimo ſecundo*) correxit in melius, ambagibus circuncisis, indicantia liquide quid juberent fieri, vel vetarent. *Oderat etiam delatores. itaque cum locupletem municipem quidam apud Iulianum læſæ majeſtatis argueret, converſus ad comitem largitionum:* Iube, *inquit*, huic dari purpurea pedum tegmina ad adverſarium perferenda. *Delphidio etiam oratori vehementer quendam accuſanti, & præ argumentorum inopia tandem exclamanti*, Ecquis florentiſſime Cæſar, nocens eſſe poterit uſquam, ſi negare ſuffecerit? *reſpondit Iulianus*, Ecquis innocens eſſe poterit, ſi accuſaſſe ſufficiet? *Hanc animi æquitatem in principe laudo: quæ ſequuntur, ſpeciem habent clementiæ. Cum bellum pararet Conſtantio, militeſque omnes, uno excepto Nebridio, conſentirent, ob eamque cauſſam periculum Nebridio crearetur, paludamento eum texit Imperator: cumque ille abjectus & ſupplex dextram popoſciſſet:* Ecquid, *ait*, præcipuum amicis ſervabitur, ſi tu manum tetigeris meam? *Lucilliano verò præfecto in cauſſa pene conſimili cum purpuræ adorandæ facta eſſet poteſtas, iſque jam nonnihil ex metu recreatus diceret*, Incaute, ô Imperator, & temere cum paucis, alienis partibus te commiſiſti: *Iulianus ſubridens reſpondit*, Hæc

verba

verba prudentia ſerva Conſtantio: majeſtatis enim inſigne non ut conſiliario tibi, ſed ut deſinas pavere porrexi.

Ergo hac animi moderatio, æquitaſque hactenus laudetur. At quod ſequitur, nequaquam ſapiente & politico principe dignum videatur. Cum enim Conſtantinopoli decedens Antiochiam veniſſet ad bellum cum Perſis gerendum, & in ea urbe hyemare ſtatueret, nulla probabili ratione adductus, ſed inani tantum gloria cupiditate, quo popularis princeps videretur, legitimum annona precium diminuit: qua res famem & inopiam civitati, Iuliano vero ſummum odium peperit. Atque ut erat populus Antiochenſis nativa quadam ingenii libertate facetus & dicax, variè Iulianum cavillabatur. Marcellinus libro 22. Ridebatur (*inquit*) ut cercopos, homo brevis, humeros extentans anguſtos, & barbam præ ſe ferens hircinam, grandiaque incedens, tanquam Oti frater & Ephialtis, quorum proceritatem Homerus in immenſum tollit. Idemque Victimarius pro Sacricola dicebatur, ad crebritatem hoſtiarum alludentibus multis: & culpabatur hinc opportune, cum oſtentationis gratia vehens licenter pro ſacerdotibus ſacra, ſtipatuſque mulierculis lætabatur. *His Marcellini verbis duo præcipuè in Iuliano notantur,*

notantur, perſona & religio. tertium ex Miſopogene addatur, de numi charactere. Is erat taurus in ara ſupinus, quo ſignificabat Iulianus veterem morem ſacrificiorum à ſe revocatum. at Antiochenſes interpretabantur mundũ à Iuliano eſſe ſubverſum. Ergo ad ejuſmodi convitia ulciſcendum editus eſt Miſopogon, cujus ſumma breviter jam exponenda eſt. In eo tria fere crimina objiciuntur Antiochenſibus. primum eſt intemperantia, quod ludis & theatris dediti ſint: alterum impietas, quod neglecta patrum ſuorum religione, Chriſtum pro Iove & Apolline colant. tertium & poſtremum eſt iniquitas magiſtratuum, qui locupletum avaritiam, ex qua fames in urbe orta ſit, tolerent ac diſſimulent. Atque in hac oratione cum reipſa Antiochenſes vituperentur, tamen contrarium ſimulatur. perpetua ſiquidem ironia Σωκρατικῶς *adhibetur, qua Iulianus videtur non Antiochenſes, ſed ſeipſum accuſare, quod eorũ mores imitari nequeat. Inducitur enim tanquam dialogiſmo populus Antiochenſis differens in Iuliani barbam (unde* Μισοπώγων *appellatur) & omnino in totam ipſius perſonam ac vitam, quod aliena ſit ab omni voluptate, quod nimis religioſa, quod denique in judiciis nimis ſevera. qua omnia Iulianus ironice ſua eſſe crimina fatetur, eorumq; veniam deprecatur, culpam*

culpam in præceptorem conferens, à quo ſit jam inde à puero edoctus temperanter, religiosè, juſteque vivere. deinde ſe adoleſcentiam inter Gallos egiſſe, homines aſperos, & bellicoſos, & deliciarum ignaros. Hujus itaque vituperationis ſumma eſt in hoc ſyllogiſmo.

Qui aliorum moribus repugnat, meritò ab iis accuſatur:

Iulianus Antiochenſium moribus repugnat, quia voluptates contemnit, quia impietatem & injuſtitiam coërcet, quæ ille arctè tenent ac tuentur:

Quare meritò ab iis accuſatur.

Tandem hac ironica vituperatio concluditur ſeria vituperatione hujuſmodi:

Qui beneficia dat ingratis, ſtultus eſt:

Iulianus dedit beneficia ingratis, cùm Antiochenſes nondum cognitos, laudavit, auxit, aluit:

Stultus igitur eſt.

Hæc ſumma eſt univerſa orationis, in qua pleraque ſunt falſa & aliena. Nam quod impietas Antiochenſibus objecta eſt, ideo fit, quod illi ſpreta majorum ſuorum ſuperſtitione Chriſtianam religionem amplexati eſſent, quam ſceleratiſſimè Iulianus ἀθεότητα ſolebat appellare. Hæc igitur calumnia eſt. Quod de deliciis ait, etſi aliquid eſt, tamen multa

multa jam Chriſtiana religio correxerat. *De urbis autem fame & inopia fruſtra magiſtratus accuſantur, cùm Iulianus ipſe ejus auctor fuerit. Quod etiam Marcellinus, licet multus in Iuliani laudibus, confirmat lib.* 22. Nulla (*inquit*) probabili ratione, ſuſceptæ popularitatis amore, vilitati ſtudebat venalium rerum, quæ nonnunquam ſecus quam convenit ordinata, inopiam gignere ſolet & famem, & Antiochenſi ordine id tunc fieri, cùm ille juberet, non poſſe, aperte monſtrante, nuſquam à propoſito declinabat, Galli ſimilis fratris, licet incruentus. Quocirca in eos deinceps ſæviens, ut obtrectatores & contumaces, volumen compoſuit invectivum, quod Antiochenſem, vel Miſopogonem appellavit, probra civitatis infenſa mente dinumerans, addenſque veritati complura. *Hæc Marcellinus, unde intelligimus Rhetoricos colores in ea oratione ad veritatem obſcurandam adhibitos eſſe. Gregorius Nazianzenus in extremo libro ſecundo contra Iulianum orationis hujus meminit his verbis:* οὗτος ὁ λόγος σοι τῶν Πορφυρίου ψευσμάτων καὶ ληρημάτων, οἷς ὑμεῖς ὡς θείαις φωναῖς ἀγάλλεσθε, ἢ τοῦ σοῦ Μισοπώγωνος, εἴτ' οὖν Ἀντιοχικοῦ. ἀμφότερα γὰρ ἐπιγράφεις τῷ λόγῳ. οὗ τί Χριστιανοῖς ἀτιμότερον; ὃν τότε μὲν ἡ πορφυρὶς μέγαν ἐποίει, καὶ οἱ πάντα τὰ σὰ θαυμάζοντες κόλακες. νῦν δὲ πάρεστιν ἐπὶ περιφερόμενος, καὶ τοῖς συμπεπονηκό-

πεποιηκόσιν ὁμοῦ γελώμενος· ἐν ᾧ σὺ τὴν μὲν ἀφέλειαν τοῦ σώματος, καὶ τὸ μηδὲ πώποτε τυχεῖν ἀπεπλήσας ἐξ ἀπληστίας μέγα φυσᾷς, ὡς δή τι θαυμάσιον λέγων. ὅτι δὲ Χριστιανοὺς ἤλασας οὕτω πικρῶς, καὶ τοσοῦτον ἔθνος, καὶ οὕτως ἱερὸν παρανάλωσας, ἑκὼν παρατρέχεις. καίτοι γε ἑνὸς μὲν ἀνδρὸς ἀπεπλήσαντος, ἢ ἐρυγὰς φυσικὰς ἀφέντος, τί παρὰ τοῦτο τὸ κοινῷ βλάβες; τοσούτου δὲ διωγμοῦ κινηθέντος καὶ τοσαύτης καινοτομηθείσης συγχύσεως, πῶς οὐκ ἀνάγκη πᾶσα τὰ Ῥωμαίων ἔχειν κακῶς; *id eſt*, Hæc oratio tibi eſt à Porphyrii mendaciis ac nugis,in quibus vos tanquam divinis vocibus exultatis, vel à tuo Miſopogone, ſive Antiochenſi (utrunq; enim inſcribis ei orationi) quo quid Chriſtianis ignominioſius? quem tunc quidem purpura magnum faciebat, & omnia admirantes aſſentatores: at nunc barba eſt undique corrupta vulſaque, & ſuis auctoribus ſimul deriſa: in qua tu & frugalitate corporis, & ex eo, quod nunquam incideris in cruditatem ex ſaturitate, magnopere tumes, quaſi mirabile aliquid dicas. At quod Chriſtianos tam acerbe expuleris, & tantam tamque ſacram gentem pro nihilo habueris,lubens præteris. quanquam quod unus aliquis in cruditatem inciderit, aut ructus naturales emiſerit, quid inde capit reſpublica detrimenti? at tanta perſecutione excitata, tantaq; in rempublicam perturbatione inducta, nonne omnino neceſſe eſt res Romanas in miſero

ſtatu

ſtatu verſari? *Hactenus igitur de Miſopogone. At Iulianus exacta hyeme cœptam expeditionem perſequens Antiochia deceſſit, ubi cum ad Cteſiphontem urbem Perſarum præcipuam ventum eſſet, incerto vulnere ictus periit anno ætatis altero & triceſimo. Cæſar fuit ſexennium, Auguſtus verò ſeſquiannum & unum menſem. Porro de ejus obitu duo apud Suidam oracula leguntur, quæ tamen ego unum eſſe puto, ſed* ὕστερον πρότερον *collocatum. Sic igitur apud illum lego:* ἔστι δὲ καὶ ὁ χρησμὸς ὁ δοθεὶς αὐτῷ ὅτε περὶ Κτησιφῶντα διῆγε.

Περὶ τῆς τελευτῆς Ἰουλιανοῦ χρησμός.

Γηγενέων ποτὲ φῦλον ἐνήρατο μητίετα Ζεύς
Ἔχθιστον μακάρεσσιν Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσι.
Ῥωμαίων βασιλεὺς Ἰουλιανὸς θεοειδής,
Μαρνάμενος Περσῶν πόλιας, καὶ τείχεα μακρὰ
Ἀγχεμάχων διέπερσε πυρὶ, κρατερῷ τε σιδήρῳ,
Νωλεμέως δ' ἐδάμασσε πόλεις τε, καὶ ἔθνεα πολλά.

Ἀλλὰ

Αλλὰ καὶ ἑσπερίων ἀνδρῶν Αλαμα-
νικὸν οὖδας
Υσμίναις πυκιναῖσιν ἑλὼν ἀλάπα-
ξεν ἀρούρας.
Αλλ' ὁπόταν σκήπτροισι τεοῖς Περ-
σήϊον αἷμα
Αχρι Σιλευκείης κλονέων ξιφέεσσι
δαμάσσῃς,
Δὴ τότε σε πρὸς Ολυμπον ἄγει πυρι-
λαμπὲς ὄχημα
Αμφὶ θυέλλῃσι κυκώμενον ἐν στρο-
φάλιγξι,
Ρίψαντα βροτέων ἐθέων πολύτλητον
ἀνίην.
Ηξεις δ' αἰθερίου φάεος πατρώϊον
αὐλήν,
Ενθεν ἀποπλαγχθεὶς μεροπήϊον ἐς
δέμας ἦλθες.

Id eſt, Eſt verò etiam oraculum ipſi redditum, cùm ad Cteſiphontem eſſet:

De morte Iuliani Oraculum.

Terrigenum quondam genus delevit prudens Iuppiter
Inimiciſſimum beatis cœleſtes domos intolentibus.

Roma-

Romanorum rex Iulianus divinus
Pugnans, Perſarum urbes, & mœnia longa
Bellicoſorum vaſtavit igne, duroque ferro,
Fortiterque domuit urbes, & gentes multas.
Quin & occidentalium virorum Alamannicum ſolum
Pugnis crebris capiens, vaſtavit agros.
At poſtquam ſceptris tuis Perſicum ſanguinem
Vſque ad Seleuciam quatiens armis domueris,
Tunc te in cœlum aget lucidum vehiculum
Vndique procellis miſtum in turbinibus,
Abjecta mortalium morum laborioſâ curâ.
Venies autem ad ætheriæ lucis paternam manſionem,
Vnde demigrans humanum in corpus veniſti.

Quamobrem hactenus vitam Iuliani Imperatoris deſcriptam, & expoſitam habemus, Magnas omninò laudes ejus principis in omni genere virtutis perſpeximus. ſummum tamen illud ἀποστασίας *ſcelus è tribus cauſſis ortum, naturæ levitate; doctrinæ in*

magicis

magicis præcipue artibus perverſitate; denique imperii cupiditate; turpiſſimam ei labem, & miſerrimum vitæ exitum attulit. Quare ſi quis hoc exemplum diligenter, & accuratè animadverterit, omnes ille quidem virtutes amabit, & colet; ſed pietatem omnium virtutum κρηπῖδα, & fundamentum imprimis exquirit, & cognitam arctè tenebit; neque ſe unquam ab ea divelli patietur.

Quomodo alii ſentiant vidiſti, tute nunc ut commodius dijudicare poſſis, quid ſit ſentiendum, eccum ipſas ſatyras Iuliani damus, Græcè intelligentibus eodem, quo ſcriptæ ſunt, ſermone; additâque in gratiam rudiorum interpretatione Latina, quæ verbum verbo reddit.

ΙΟΥΛΙΑ-

ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ

Καίσαρες.

ΕΠΕΙΔΗ δίδωσιν ὁ θεὸς παίζειν (ἔστι γὰρ Κρόνια) γελοῖον δὲ οὐδὲν, οὐδὲ τερπνὸν οἶδ' ἐγὼ, τὸ μὴ καταγέλαστα φράσαι, φροντίδος εἶναι ἄξιον ἔοικεν, ὦ φιλότης. Εἶτα τίς οὕτω παχύς ἐστι καὶ ἀρχαῖος, ὦ Καῖσαρ, ὥστε καὶ παίζειν πεφροντισμένα; Ἐγὼ δὲ ᾤμην τὴν παιδιὰν, ἄνεσίν τε εἶναι τῆς ψυχῆς, καὶ ἀνάπαυσιν τῶν φροντίδων. Ὀρθῶς γε σὺ τοῦτο ὑπολαμβάνεις· ἀλλ' ἐμοὶ δὲ οὐ ταύτῃ ἔοικεν ἀπαντᾶν τὸ χρῆμα· πέφυκα γὰρ οὐδαμῶς ἐπιτήδειος οὔτε σκώπτειν, οὔτε παρῳδεῖν, οὔτε γελοιάζειν. Ἐπεὶ δὲ χρὴ τῷ νόμῳ πείθεσθαι τοῦ θεοῦ, βούλει σοι ἐν παιδιᾶς μέρει μῦθον διεξέλθω, πολλὰ ἴσως ἔχοντα ἀκοῆς ἄξια; Λέγοις ἂν καὶ μάλα ἀσμένως· ἐπεὶ καὶ αὐτὸς οὐκ ἀτιμάζω τοὺς μύθους, οὐδὲ

IULIANI IMP.
CÆSARES.
C. CANTOCLARO
Interprete.

Quandoquidem ludendi facultatem Deus tribuit (ſunt enim Saturnalia) neque ego quicquam jocoſum, aut facetum novi: curâ & cogitatione dignum videtur, ô amice, de rebus minimè ridiculis ſermonem inſtituere. AM. Anne aliquis, ô Cæſar, adeò rudi eſt ingenio & rerum imprudens, ut ſerio & accuratè jocari & ludere velit? Ego verò ſemper exiſtimavi ludum nihil aliud eſſe, quàm animi remiſſionem, & curatum ſedationem. IUL. Rectè tu quidem iſtud: ſed mea ratio ab hac ratione abhorret. Nec enim unquam ita natura comparatus fui, ut ad dicteria jacienda, & ad irridendum, & riſum commovendum aptus & idoneus eſſem. Sed quoniam lege Dei parendum eſt, vis ut tibi oblectamenti loco fabulam recenſeam, nonnihil fortaſſe auditu & cognitione dignum habituram? AM. Næ tu fidenter dixeris. Etenim fabulas non mi-

ὐδὲ παντάπασι ἐξελαύνω σοῦ ὀρθῶς ἔχοντας, ἀκόλουθα σοί γε, καὶ φίλα τῷ σῷ, μᾶλλον δὲ τῷ κοινῷ Πλάτωνι διανοούμενος, ἐπεὶ καὶ αὐτῷ πολλὰ ἐν μύθοις ἐσπούδασται. Λέγεις ναὶ μὰ Δία ταῦτα ἀληθῆ. Τίς δὲ καὶ ποδαπὸς ὁ μῦθος; οὐ τῶν παλαιῶν τις, ὁποίους Αἴσωπος ἐποίησεν, ἀλλ' εἴτε πλάσμα λέγεις Ἑρμοῦ; πεπυσμένος γὰρ ἐκεῖθεν σοὶ φράσω· ὅ εἴτε ἀληθὲς οὕτως ἔχει, εἴτε μίξις τίς ἐστιν ἀμφοῖν ἀληθοῦς καὶ ψεύδους, αὐτὸ ἐπιδείξει τὸ πρᾶγμα. Τουτὶ μὲν οὖν ἤδη μυθικῶς ἅμα καὶ ῥητορικῶς ἐξείργασταί σοι τὸ προοίμιον· ἀλλά μοι τὸν λόγον αὐτὸν ὁποῖός ποτέ ἐστιν, ἤδη διέξελθε. Μανθάνοις ἄν.

Θύων ὁ Ῥωμύλος τὰ Κρόνια, πάντας ἐκάλει τοὺς θεοὺς, καὶ δὴ καὶ αὐτοὺς τοὺς Καίσαρας. Κλῖναι δὲ ἐτύγχανον παρεσκευασμέναι, τοῖς μὲν θεοῖς ἄνω, κατ' αὐτὸ, φασὶν, οὐρανοῦ τὸ μετέωρον.

Οὔλυμπόνδ' ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί.

Λέγεται γὰρ μεθ' Ἡρακλέα παρελθεῖν ἐκεῖσε καὶ ὁ Κυρῖνος, ᾧ δὴ χρὴ καλεῖν αὐτὸν

nimi facio, neque prorſus rejiciendas puto, quæ ad rectam vivendi rationem ducunt. Atque ego hac in re conſentanea nimirùm tibi, atque eadem cum Platone tuo, vel potius noſtro ſentio, à quo multa ſeria & gravia fabulis ſunt pertractata. Iul. Vera ſanè dicis. Sed quænam tandem iſthæc erit fabula? An verò de Mercurii commento, ut verba faciam, admones? Hoc enim, ut ab eo accepi, tibi narrabo, quod an verum ſit, an falſa veris immixta contineat, res ipſa ſtatim indicabit. Am. Verùm tu ſatis ſuperque præfationi, quantum fabulam narraturo, imo & orationem habituro, ſufficiat, operæ impendiſti, age jam ſermonem ipſum, qualis fuerit, expone. Iul. Accipe igitur.

Romulus cùm pro Saturnalibus faceret, omnes Deos & Cæſares ad convivium invitavit. Præparari verò erant ad diſcumbendum thori, Diis quidem in ſuprema cœli regione, Olympum vocant.

--- *Sedes ubi firma Deorum Creditur.* ---

Illuc enim fertur conceſſiſſe poſt Herculem Quirinus: ſi quidem ipſum hoc

αὐτοῦ ὀνόματι τῇ θείᾳ πειθομένους φήμῃ.
Τοῖς μὲν οὖν θεοῖς, ἐκεῖσε παρεσκεύαστο τὸ
συμπόσιον. Ὑπ' αὐτὴν δὲ τὴν Σελήνην, ἐπὶ
μετεώρου τοῦ ἀέρος, ἐδέδοκτο τοὺς Καίσα-
ρας δειπνεῖν. Ἀνεῖχε δὲ αὐτοὺς, ἥ τε τῶν σω-
μάτων κουφότης, ἅπερ ἐτύγχανον ἠμφιε-
σμένοι· καὶ ἡ περιφορὰ τῆς σελήνης. κλῖναι
μὲν οὖν ἔκειντο τέτταρες, εὐπρεπεῖς τοῖς
μεγίστοις θεοῖς. ἐβένου μὲν οὖν ἦν ἡ τοῦ Κρόνου
στιλβούσης, καὶ πολλὴν ἐν τῷ μέλανι καὶ
θείαν αὐγὴν κρυπτούσης, ὥστε οὐδεὶς οἷός
τε ἦν ἀντιβλέπειν. ἔπασχε δὲ τοῦτο πρὸς
τὴν ἔβενον ἐκείνην τὰ ὄμματα δι' ὑπερ-
βολὴν τῆς λαμπηδόνος, ὅπερ οἶμαι πρὸς
ἥλιον, ὅταν αὐτοῦ τῷ δίσκῳ τις ἀτενέστερον
προσβλέπῃ. Ἡ δὲ τοῦ Διὸς, ἦν ἀργύρου μὲν
στιλπνοτέρα, χρυσίου δὲ λευκοτέρα, τοῦτο,
εἴτε ἤλεκτρον χρὴ καλεῖν, εἴτε ἄλλο τι λέ-
γειν, οὐ σφόδρα ἐκ τῶν μεταλλευομένων εἶχέ
μοι γνωρίμως ὁ Ἑρμῆς φράσαι· Χρυσο-
θρόνω δὲ παρ' ἑκάτερον ἐκαθιζέτην, ἥτε
μήτηρ, καὶ ἡ θυγάτηρ, Ἥρα μὲν, παρὰ τὸν
Δία, Ῥέα δὲ, παρὰ τὸν Κρόνον. Τὸ δὲ τῶν θεῶν
κάλλος οὐδὲ ἐκεῖνος ἐπεξῄει τῷ λόγῳ,
μεῖζον

nominè, famæ quæ de ejus divinitate percrebuit, parentes, appellare fas eſt. Illic igitur præparatum erat Diis convivium. Sub ipſa vero Lunæ concavitate in ſuprema aëris parte, Cæſares prandio excipere viſum eſt. Eo autem illos & corporum levitas, ut erant amicti, & Lunæ ipſius circumvolutio ſuſtulit. Itaq; quatuor lecti ſtrati erant, ut Deos maximos decebat, magnificè exſtructi & decori. Et in Saturni quidem lecto ex ebeno nitente confecto, divinus & immenſus ſplendor ſub nigredine deliteſcens, ut nemo contra aſpicere poſſet, elucebat. Itaque oculis in eo intuendo, eadem propter magnitudinem fulgoris eveniebant, quæ Solis orbem intentiùs contemplantibus accidere ſolent. Iovis vero lectus erat quidem argento lucidior, & auro candidior, quod tamen an electrum, an alio quopiam metalli nomine appellari deberet, non ſatis certo & perſpicue poterat mihi Mercurius explicare. At in aureo throno aſſidebant utrinque mater & filia, Iuno quidem Iovi, Rhea vero Saturno. Deorum autem pulchritudinem neque ille oratione perſequutus eſt: Maius aliquid eſſe dicens, quodque mentis contemplatione per-

μεῖζον ἢ λέγων αὐτὸ, καὶ νῷ θεατὸν, ἀκοῇ δὲ καὶ ῥήμασιν οὔτε περιστῆναι ῥᾴδιον, οὔτε παραδειχθῆναι δυνατόν. Οὐκ οὕτω τις ἐστὶ (κἂν ἐπαινῇ τις) μεγαλόφωνος ὥστε τὸ μέγεθος ἐκεῖνο φράσαι τοῦ κάλλους, ὁπόσον ἐπιπρέπει τῇ τῶν θεῶν ὄψει. Παρεσκεύαστο δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς, ἑκάστῳ θρόνος ἢ κλίνη κατὰ πρεσβείαν. Ἤριζε δὲ οὐδεὶς, ἀλλ' ὥσπερ Ὅμηρος ὀρθῶς ποιῶν ἔφη, δοκεῖ μοι παρὰ τῶν Μουσῶν αὐτὸ ἀκηκοὼς, ἔχειν ἕκαστον τῶν θεῶν θρόνον, ἐφ' οὗ πάντως αὐτῷ θέμις καθῆσθαι στερεῶς καὶ ἀμετακινήτως. ἐπεὶ καὶ πρὸς τὴν παρουσίαν τοῦ πατρὸς ἐξανιστάμενοι, ταράττουσι οὐδαμῶς τὰς καθέδρας, οὐδὲ μεταβαίνουσιν, οὐδὲ ὑφαρπάζουσιν ἀπ' ἀλλήλων. γνωρίζει δὲ ἕκαστος τὸ προσῆκον αὐτῷ. Πάντων δὴ τῶν θεῶν κύκλῳ καθημένων, ὁ Σειληνὸς ἐρωτικῶς ἔχειν δοκῶν μοι τοῦ Διονυσίου καλοῦ καὶ νέου, καὶ τῷ πατρὶ τῷ Διῒ παραπλησίου πλησίον αὐτοῦ, τροφεύς τις οἷα καὶ παιδαγωγὸς, καθῆστο, τά τε ἄλλα φιλοπαίγμονα, καὶ φιλογέλωτα, καὶ χαριτοδότην ὄντα τὸν θεὸν εὐφραίνων, καὶ δὴ

καὶ

luſtrandum eſſet : & ad cujus cognitionem, auditu aut verbis pervenire non ſit facile, ut quod oratione comprehendi aut concipi minime poſſit. Nemo quantumvis copia aut orationis ubertate præditus, excellentem pulchritudinem aſpectus Deorum pro dignitate eloqui aut effari valeret. Reliquis quoque Diis omnibus præparata erant ſedilia, in quibus pro cujuſque antiquitate accumberent. Neque verò inter eos ullum fuit diſſidium. Etenim, quemadmodum rectè finxit Homerus, ab ipſis Muſis, opinor, edoctus, unicuique Deorum proprius, ubi ipſum conſiſtere fas eſt, attributus eſt locus, quo privari aut moveri nulla unquam ratione poteſt. Quamobrem cum venienti patri aſſurgunt, id citra tumultum & ſedium confuſionem faciunt, neque quiſquam aſſignatum locum tranſgreditur, aut alter alterius rapit & occupat. Siquidem quæ ſibi conveniunt, eorum nemo non novit. Sic igitur Diis in orbem ſedentibus, Silenus, Dionyſio juveni & venuſto Iovi patri proximo, proximus, ut educatorem & inſtitutorem par erat, aſſedit: cujus conſuetudine plurimum delectari, eique admodum cupide & propenſo animo

b 4 adhæ-

ἐπὶ τῷ σκώπτειν τὰ πολλὰ καὶ γελοιάζειν. Ὡς δὲ καὶ τὸ τῶν Καισάρων συνεκροτεῖτο συμπόσιον, εἰσήει πρῶτος Ἰούλιος Καῖσαρ, ὑπὸ φιλοτιμίας αὐτῷ βουλόμενος ἐρίσαι τῷ Διῒ περὶ τῆς μοναρχίας. εἰς ὃν ὁ Σειληνὸς βλέψας, ὅρα, εἶπεν, ὦ Ζεῦ, μή σε ὁ ἀνὴρ οὗτος ὑπὸ φιλαρχίας ἀφελέσθαι καὶ τὴν βασιλείαν διανοηθείη. καὶ γὰρ ὡς ὁρᾷς ἐστὶ μέγας καὶ καλός. ἐμοὶ γοῦν εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο, τὰ γοῦν περὶ τὴν κεφαλὴν ἐστὶ προσόμοιος. Παίζοντος ἔτι ταῦτα τοῦ Σειληνοῦ, καὶ τῶν θεῶν οὐ σφόδρα προσεχόντων αὐτῷ, Οκταβιανὸς ἐπεισέρχεται, πολλὰ ἀμείβων, ὥσπερ οἱ χαμαιλέοντες, χρώματα· καὶ νῦν μὲν ὠχριῶν, αὖθις δὲ ἐρυθρὸς γινόμενος, εἶτα μέλας, καὶ ζοφώδης, καὶ συννεφής, ἀνίετο δὲ αὖθις εἰς ἀφροδίτην, καὶ χάριτας. Εἶναι δὲ ἤθελε τὰς βολὰς τῶν ὀμμάτων, ὁποῖός ἐστιν ὁ μέγας ἥλιος. οὐδένα γάρ οἱ τῶν πάντων ἀντιβλέπειν ἠξίου. καὶ ὁ Σειληνὸς, Βαβαὶ, ἔφη, τοῦ παντοδαποῦ τούτου θηρίου! τί ποτ' ἄρα δεινὸν ἡμᾶς ἐργάσεται; Παῦσαι, εἶπεν, ληρῶν, ὁ Ἀπόλλων· ἐγὼ γὰρ αὐτὸν

adhærere videbatur, quo Deum alioquin ſua ſponte luſus jocique ſtudioſum, & gratiæ datorem, ſalſis & ridiculis dictis ſæpiùs utendo exhilararet. Inſtructo verò & indicto Cæſaribus convivio, primus ingreſſus eſt Iulius Cæſar, qui præ gloriæ cupiditate, & excellenti ſtudio, Iovi patri contentionem de regno movere velle videbatur. In hunc Silenus intuens, Vide, inquit, Iupiter, ne vir hic præ dominandi deſiderio, regni tibi eripiendi conſilia ineat. Eſt enim, ut vides, magnus & pulcher, mihique, ſi qua alia in re, ſane capite perſimilis. Hæc adhuc ludente Sileno, neque dum Diis admodum ad ea, quæ dicebantur, animum mentemq; advertentibus, Octavius prodiit in medium, modo hos, modo alios (ut Chamæleontibus moris eſt) colores aſſumens, nunc pallidus, mox rubens, deinde niger, nebulis & caligine obductus, poſtremo tamen ad Venerem, Gratiaſque ſe referebat. Hic & oculorum fulgore proximè ad Solem accedere videri volebat, nec quenquam ſe ex adverſo intueri ſuſtinebat. Eo conſpecto Silenus exclamavit: Papæ! quam varium hoc animal! nempe nobis aliquid mali inferet. Cui Apollo: deſine nugari,

τούτῳ Ζήνωνι παρ᾽ ἐμοῦ δοὺς, αὐτίκα ὑμῖν ἀποφανῶ χρυσὸν ἀκήρατον. ἀλλ᾽ ἴθι εἶπεν, ὁ Ζήνων, ἐπιμελήθητι τοῦ μοῦ θρέμματος. ὁ δὲ ἐπακούσας, εἶτα ἐπάσας αὐτῷ μικρὰ τῶν δογμάτων, ὥσπερ οἱ τὰς Ζαμόλξιδος ἐπῳδὰς θρυλλοῦντες, ἀπέφηνεν ἄνδρα ἔμφρονα καὶ σώφρονα. Τρίτος ἐπεισέδραμεν αὐτοῖς Τιβέριος, σεμνὸς τὰ πρόσωπα καὶ βλοσυρὸς, σῶφρόν τι ἅμα καὶ πολεμικὸν βλέπων. Ἐπιστραφέντος δὲ πρὸς τὴν καθέδραν, ὤφθησαν ὠτειλαὶ κατὰ τῶν νώτων μυρίαι, καυτῆρές τινες, καὶ ξέσματα, καὶ πληγαὶ χαλεπαὶ, καὶ μώλωπες, ὑπὸ τῆς ἀκολασίας καὶ ὠμότητος ψῶραί τινες, καὶ λιχῆνες οἷον ἐγκεκαυμέναι. Εἶτα ὁ Σειληνός·

Ἀλλοῖός μοι, ξεῖνε φάνης νέον, ἢ τὸ πάροιθεν,

εἰπὼν, ἔδοξεν αὐτοῦ φαίνεσθαι σπουδαιότερος. καὶ ὁ Διόνυσος, τί δῆτα, εἶπεν, ὦ παππίδιον, σπουδάζεις; καὶ ὃς, ἐξέπληξέ με ὁ γέρων οὑτοσὶ, ὁ Σάτυρος ἔφη, καὶ πεποίηκεν λαθόμενον ἐμαυτοῦ, τὰς Ὁμηρικὰς προβάλλεσθαι Μούσας. ἀλλά σε, εἶπεν, ἕλξει τῶν ὤτων· λέγεται γὰρ αὐτὸς καὶ γραμ-

inquit, hunc enim ego ubi huic Zenoni tradidero, mox ipſum vobis exhibebo tanquam aurum purum & incorruptum. Heus tu, inquit Zenon, alumni mei curam habeto. Ille vero dicto audiens, deinde paulùm admodum præceptorum Octavio obcantans, tanquam ſi quis Zamolxidis incantationes in aurem ſuſurraret, præſtitit eum virum probum & frugi. Tertius acceſſit ad ipſos Tiberius, gravis vultu, & truculentus aſpectu, neſcio quid prudentiæ & militaris virtutis præ ſe ferens: Quo ad cathedram converſo, ſeſe oculis obtulerunt cicatrices à tergo infinitæ, vitiligines, impreſſæ cuti labes & notæ quædam, plagæ graves, & vibices ex intemperantia & cruditate lepræ & impetiginis in modum inuſtæ. At Silenus:

Longè alius mihi nunc, ô Hoſpes, quàm antè videris,

Quæ cùm diceret, viſus eſt ſolito gravior. Itaque ad eum Dionyſius: Quid ita, ô patercule, ſeria loqueris? Perculit me ſanè ſenex iſte Satyrus, ait: fecitque ut mihi nec cogitanti exciderint Muſæ Homericæ. Quin tibi aures evellet inquit Dionyſius. Fertur enim

μαστιγίαν τινὰ τοῦτο ἐργάσασθαι. οἰμώζων μὲν οὖν, εἶπεν, ἐν μονῇ νησιδίου (τὰς Καπρέας αἰνιττόμενος) τὸ ἄθλιον ἁλιέα ψηχέτω· ταῦτα ἔτι παιζόντων αὐτῶν, μετεισέρχεται θηρίον πονηρόν· εἶτα οἱ θεοὶ πάντες ἀπέστρεψαν τὰ ὄμματα· κᾆτα αὐτὸν μὲν ἡ Δίκη δίδωσι ταῖς ποιναῖς. αἱ δὲ ἔρριψαν εἰς τάρταρον· ὅθεν οὖν ἔσχεν ὁ Σειληνὸς ὑπὲρ αὐτοῦ φθέγξασθαι. τοῦ Κλαυδίου δὲ ἐπεισελθόντος ὁ Σειληνὸς ἄρχεται τοῦ Ἀριστοφάνους Ἱππέας ᾄδειν ἀντὶ τοῦ δήμου· κολακεύων δῆθεν τὸν Κλαύδιον εἶτα πρὸς τὸν Κυρῖνον ἀπιδών, ἀδικεῖς, εἶπεν, ὦ Κυρῖνε, τὸν ἀπόγονον ἄγων εἰς τὸ συμπόσιον, δίχα τῶν ἀπελευθέρων Ναρκίσσου καὶ Πάλλαντος· ἀλλ' ἴθι, εἶπε, πέμψον ἐπ' ἐκείνους, εἰ βούλει δὲ καὶ τὴν γαμετὴν Μεσσαλίναν. ἔστι γὰρ ἐκείνων δίχα, τοῦτο τῆς τραγῳδίας τὸ δορυφόρημα, μικροῦ δέω φάναι, καὶ ἄψυχον. Ἐπεισέρχεται λέγοντι τῷ Σειληνῷ Νέρων μετὰ τῆς κιθάρας, καὶ τῆς δάφνης. εἶτα ἀποβλέψας ἐκεῖνος πρὸς τὸν Ἀπόλλωνα· οὗτος, εἶπεν, ἐπὶ σὲ παρασκευάζεται· καὶ ὁ βασιλεὺς Ἀπόλλων·

& hoc in grammaticum quendam admiſiſſe. Ille verò, reſpondit Silenus, in ſolitudine inſulæ plorans (Capreas ſcilicet innuebat) miſerum piſcatorem defricando conficiat licet. Hæc invicem jocantibus advenit fera atque immanis beſtea, quam Nemeſis, quæ juſtitiæ præſidet, ut ab ea Deos omnes vultum oculosque avertere vidit, pœnis & diris ultricibus torquendam tradidit. Illam verò hæ præcipitem traxerunt in tartarum. Sic igitur cùm prærepta Sileno in Cajum aliquid dicendi facultas eſſet, Claudio introeunte, Silenus principium Comœdiæ Ariſtophanis, quæ Equites inſcribitur, canere incœpit, nomine totius populi; ſcilicet ipſi Claudio gratificans. Deinde converſus ad Quirinum: Injurius es, inquit, ô Quirine, qui hunc tuum nepotem in hoc convivium inducas ſine libertis Narciſſo & Pallante. Imò & una cum illis, ait, ſi tibi videtur, uxorem quoque ejus Meſſalinam accerſi jube. Sine illis enim videtur hic, parum abeſt, quoddam tragicum ſatellitium mutum & inanimum. Hæc dicenti Sileno, ſupervenit Nero citharam geſtans, & lauro redimitus. At Silenus in Apollinem detorquens oculos: Hic ad tui imitationem, inquit, ſe comparat. Cui Rex Apol-

lo:

ἀλλ' ἔγωγε αὐτὸν, εἶπεν, ἀποστεφανώσω ταχέως, ὅτι μὲ μὴ πάντα μιμεῖται, μηδὲ ἐν οἷς μὲ μιμεῖται γίνεται μου μιμητής, δίκαιος· ἀποστεφανούμενον δὲ αὐτὸν ὁ Κωκύτος εὐθέως ἥρπασεν. Ἐπὶ τούτῳ δὲ πολλοὶ καὶ παντοδαποὶ συνέδραμον, Βίνδικες, Γάλβαι, Ὄθωνες, Βιτέλλιοι· καὶ ὁ Σειληνὸς, τούτων, εἶπε, τῶν μονάρχων τὸ δῆμον πόθεν ἐξεύρετε, ὦ θεοί; τυφούμεθα γοῦν ὑπὸ τοῦ καπνοῦ, φείδεται γὰρ οὐδὲ τῶν ἀναγκαιοτέρων ταυτὶ τὰ θηρία. καὶ ὁ Ζεὺς ἀπιδὼν πρὸς τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Σάραπιν, καὶ τὸν Οὐεσπασιανὸν δείξας, πέμπε, εἶπε, τὸν σμικρεῖνον ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου ταχέως, ἵνα τὴν φλόγα ταύτην κατασβέσῃ· τῶν παίδων δὲ, τὸν πρεσβύτερον μὲν, παίζειν κέλευε μετὰ τῆς Ἀφροδίτης τῆς πανδήμου· τὸν νεώτερον δὲ, τῷ Σικελικῷ θηρίῳ παραπλησίως κλοιῷ δῆσον· Παρῆλθεν ἐπὶ τούτοις γέρων ὀφθῆναι καλὸς (λάμπει γὰρ ἔστιν ὅτε καὶ ἐν τῷ γήρᾳ τὸ κάλλος) ἐντυχεῖν πρᾳότατος, χρηματίσαι δικαιότατος. ᾐδέσθη τοῦτον ὁ Σειληνὸς καὶ ἀπεσιώπησεν· εἶτα ὁ Ἑρμῆς, ὑπὲρ δὲ τούτου, εἶπεν,

οὐδὲν

lo: Ego quidem huic, inquit, quamprimum coronam eripiam. Nec enim me in omnibus eſt æmulatus: atque adeo in quibus me imitari voluit, valdè perverſus mei extitit imitator. Illum igitur Cocytus adempta corona repente in præceps rapuit. Poſt hunc multi & undique ſimul accurrerunt, Vindices, Galbæ, Othones, Vitellii. Quibus conſpectis Silenus, ait: Ubinam tantam Imperatorum turbam inveniſtis, ô Dii? ſuffocamur præ fumo. Hujuſmodi enim feræ ne quidem maximè neceſſariis & conjunctis parcunt & ignoſcunt. Deinde Iupiter de repente ad Serapim fratrem ſuum converſus, Veſpaſianum oſtendens, Mitte & hunc parcum & reſtrictum virum, quàm citiſſimè fieri poterit ex Ægypto, qui hanc flammam extinguat. Hujus verò ſeniorem filium jube ludere cum Venere publica: juniorem verò feræ Siculæ proximum, ferreis vinculis conſtringito. Ad hos quoque ſe contulit ſenex, aſpectu pulcher & decorus, (Lucet enim & aliquando in ſenectute decor vultus) aditu facilis & perhumanus, & in rerum adminiſtratione æquiſſimus & continentiſſimus. Hoc delectatus Silenus, conticuit. At illi Mercurius: Nihilne tu habes, quod nobis

οὐδὲν ἡμῖν λέγεις; ναὶ μὰ Δία, ἔφη, μέμφομαι γὰρ ὑμᾶς τῆς ἀνισότητος. τῷ γὰρ φονικῷ θηρίῳ τρεῖς πέντε νείμαντες ἐνιαυτοὺς, ἕνα μόλις ἐδώκατε τούτῳ βασιλεῦσαι. Ἀλλὰ μὴ μέμφου, εἶπεν ὁ Ζεύς· εἰσάξω γὰρ ἐπὶ τούτῳ πολλοὺς καὶ ἀγαθούς. Εὐθέως οὖν, ὁ Τραϊανὸς εἰσήρχετο, φέρων ἐπὶ τῶν ὤμων τὰ τρόπαια, τό, τε Γετικόν, καὶ Παρθικόν. Ἰδὼν δὲ αὐτὸν ὁ Σειληνὸς ἔφη, λανθάνειν τὲ ἅμα καὶ ἀκούεσθαι βουλόμενος, ὥρα νῦν τῷ δεσπότῃ Διῒ σκοπεῖν ὅπως ὁ Γανυμήδης αὐτῷ φρουρήσεται. μετὰ τοῦτον ἐπεισέρχεται, βαθεῖαν ἔχων ὑπήνην ἀνὴρ σοβαρὸς, τά, τε ἄλλα καὶ δὴ καὶ μουσικὴν ἐργαζόμενος, εἴς τε τὸν οὐρανὸν ἀφορῶν πολλάκις, καὶ πολυπραγμονῶν τὰ ἀπόρρητα. τοῦτον ἰδὼν ὁ Σειληνὸς ἔφη, τί δὲ ὑμῖν οὗτος ὁ σοφιστὴς δοκεῖ; μῶν Ἀντίνοον τῇδε περισκοπεῖ; φρασάτω τις αὐτῷ μὴ παρεῖναι τὸ μειράκιον ἐνθαδί, καὶ παυσάτω τοῦ λήρου, καὶ τῆς φλυαρίας αὐτόν. Ἐπὶ τούτοις ἀνὴρ εἰσέρχεται σώφρων, οὐ τὰ εἰς Ἀφροδίτην, ἀλλὰ τὰ εἰς τὴν πολιτείαν. Ἰδὼν αὐτὸν ὁ

Σει-

nobis de iſto dicas? Sanè per Iovem, inquit: Etenim ego vos inæquabilis varietatis accuſo. Priori enim immani, & cædibus dedito tyranno quindecim annos, huic ne annum quidem integrum imperium tenere indulſiſtis. Sed ne reprehende, Iupiter, inquit, Ego enim poſt hunc multorum proborum copiam immittam. Illico igitur ingreſſus eſt Traianus, humeris geſtans trophæa Getica & Parthica. Hunc Silenus conſpicatus, quamvis ſubmiſſa voce loqueretur, intelligi tamen volens, hæc verba protulit. Hoc tempore maximè ſumma cura & diligentia eſt adhibita domino Iovi, quo illi cuſtodiatur Ganimedes. Poſt hunc progreditur vir prolixa barba venerandus, reliquis quidem diſciplinis, ſed muſicis præcipue excultus & ornatus. Hunc cùm ſæpiùs in cœlum oculos attollentem, & ſollicite occulta, & non in vulgus enuncianda inquirentem conſpexiſſet Silenus, ait: Quid vobis videtur hic ſophiſta? Num Antinoum quærit? Illi vero veſtrum aliquis renuntiet non hic eſſe adoleſcentem, atque ita hominis nequitiam & laſciviam comprimat & coërceat. Deinde ad hos accedentem virum, non quidem rerum venerearum, ſed reipublicæ gubernandæ peritum cernens

Σειληνὸς ἔφη, Βαβαὶ τῆς μικρολογίας, εἷς εἶναί μοι δοκεῖ τῶν διαπριόντων τὸ κύμινον ὁ πρεσβύτης οὗτος. ἐπεισελθούσης δὲ αὐτῷ τῆς τῶν ἀδελφῶν ξυνωρίδος, Μάρκου καὶ Λουκίου, δεινῶς ὁ Σειληνὸς συνεστάλη. παίζειν γὰρ οὐκ εἶχεν, οὐδὲ ἐπισκώπτειν, μάλιστα δὲ τὸν Βῆρον, καί τοι καὶ τούτου τὰ περὶ τὸν υἱὸν, καὶ τὴν γυναῖκα πολυπραγμονῶν ἁμαρτήματα· τὴν μὲν, ὅτι πλέον ἢ προσῆκεν ἐπένθησεν, ἄλλως τε οὐδὲ κοσμίαν οὖσαν, τὸν δὲ, ὅτι τὴν ἀρχὴν συναπολλυμένην περιεῖδεν, ἔχων καὶ ταῦτα σπουδαῖον κηδεστὴν, ὃς τῶν τε κοινῶν ἂν προέστη κρεῖττον, καὶ δὴ καὶ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ βέλτιον ἂν ἐπιμελήθη, ἢ αὐτὸς αὐτοῦ. καίπερ οὖν ταῦτα πολυπραγμονῶν, ᾐδεῖτο τὸ μέγεθος αὐτοῦ τῆς ἀρετῆς· τόν γε μὴν υἱέα, οὐδὲ τοῦ σκωφθῆναι νομίσας ἄξιον, ἀφῆκεν. ἔπιπτε γὰρ καὶ αὐτὸς εἰς γῆν, οὐ δυνάμενος ἵστασθαι καὶ συνομαρτεῖν τοῖς ἥρωσιν. προσέρχεται Περτίναξ, ἐν τῷ συμποσίῳ τὴν σφαγὴν ὀδυρόμενος. Η Δίκη δὲ αὐτὸν κατελεήσασα· ἀλλ' οὐ χαιρήσουσιν εἶπεν οἱ τούτων

αἴτιοι,

nens Silenus, ait: Papæ! ut pauci ſermonis eſt! Hunc ego ſenem reor eſſe aliquem ex his, qui cuminum ſecant illuc. Poſt hunc verò ingrediente duorum fratrum pari Vero & Lucio, Silenus graviter frontem contraxit: Neque enim illudere, aut dicteriis impetere ullam in partem poterat, præcipue Verum, quamvis ſtudiosè agitaret & inquireret quæ circa filium & uxorẽ deliquerat: In hanc, quia immoderatiùs defunctam luxiſſet, alioquin non probam: quod ad illum attinet, quia ruentis imperii nullam rationem habuiſſet, cùm generum reipub. ſtudioſum & frugi haberet, quem ſummæ rei præponi longè utilius fuiſſet, quique filio ejus, meliùs quàm ipſe ſibi, conſuluiſſet. Quæ omnia cùm diligenter ſcrutaretur & excuteret, tamen vehementer ejus virtutis magnitudinem venerabatur & ſuſpiciebat. Hujus filium ne quidem dignum in quem aliquod facetum dictũ conjiceret, ſponte ſilentio præteriit. At ille, cùm inter Heroas conſiſtere & converſari nequiret, in terram decidit. Acceſſit & Pertinax, cædem ſibi illatam in medio convivio deflens: cujus Nemeſis, quæ juſtitiæ præeſt, miſeratione commota: Equidem hujus facti authores, inquit, haudquaquã ex eo magnam
ſunt

αἴτιοι, καὶ σὺ δὲ, ὦ Περτίναξ, ἠδίκεις κοινωνῶν τῆς ἐπιβουλῆς, ὅσον ἐπὶ τοῖς σκέμμασι, ἧς ὁ Μάρκου παῖς ἐπεβουλεύθη. Μετὰ τοῦτον ὁ Σέβηρος ἀνὴρ πικρίας γέμων κολαζόμενος· ὑπὲρ τούτου, εἶπεν ὁ Σειληνὸς, οὐδὲν λέγω· φοβοῦμαι γὰρ αὐτοῦ τὸ λίαν ἀπηνὲς καὶ ἀπαραίτητον. ὡς δὲ ἔμελλεν αὐτῷ τὰ παιδάρια συνιέναι, πόρρωθεν αὐτὰ διεκώλυσεν ὁ Μίνως. Ἐπιγνοὺς δὲ σαφῶς, τὸν νεώτερον ἀφῆκε, τὸν δὲ πρεσβύτερον, τιμωρίαν ἔπεμψε τίσοντα. Μακρῖνος ἐνταῦθα σοφὸς μιαιφόνος, εἶτα τὸ ἐκ τῆς Ἐμέσης παιδάριον, πόρρω που τῶν ἱερῶν ἀπηλαύνετο περιβόλων. Ὅγε μὴν Σύρος Ἀλέξανδρος ἐν ἐσχάτοις που καθῆστο, τὴν αὑτοῦ συμφορὰν ποτνιώμενος· καὶ ὁ Σειληνὸς ἐπισκώπτων αὐτῷ, ἐπεῖπεν, ὦ μωρὲ καὶ μέγα νήπιε, τηλικοῦτος ὢν, οὐκ αὐτὸς ἦρχες τῶν σεαυτοῦ, τὰ χρήματα διδοὺς τῇ μητρὶ, καὶ οὐκ ἐπείσθης, ὅσῳ κρεῖττον ἀναλίσκειν ἦν αὐτὰ τοῖς φίλοις, ἢ θησαυρίζειν. Ἀλλ' ἔγωγε, εἶπε ἡ Δίκη, πάντας αὐτοὺς, ὅσοι μεταίτιοι

γεγόνασι

ſunt lætitiam percepturi : quamvis tu quoque Pertinax & in hoc iniquè egeris quod conſiliis adhibitus, conjurationis, qua Marci filius occubuit, videaris fuiſſe particeps, & conſcius. Poſt hunc Severus in puniendo vehemens & acerbus. Ego vero hunc, inquit Silenus, irridere ſuperſedeo. Nec enim parvū mihi ipſius inexorabilis ſęvitia, & immanitas terrorē incutit. Ejus autem filios, cū ſe patri conjungere vellent, Minos ſatis longo ab eis diſſitus intervallo, vetuit. Verùm ſimul atq; alterū ab altero liquido dignoſcere potuit, juniorem quidem miſſum fecit, ſeniorē verò digna ſuis facinoribus ſupplicia ſubiturum amandavit. Nec multo poſt Macrinus cautus homicida, deinde adoleſcens ab Emeſa civitate oriundus, longe neſcio quò locorum à ſacris clauſtris repulſus eſt. Sed Alexander Syrus qualemcunq; locum inter poſtremos nactus, ſuam calamitatem querebatur & deplorabat. Quem Silenus irridens? O te hominem amentiſſimū, & nullius planè conſilii, qui ad tantum dignitatis faſtigium elatus, tuas res ex animi tui ſententia non adminiſtraſti, ſed tuas pecunias matri commiſiſti, neque tibi in mentem venit, longe ſatius & utilius eſſe eas amicis impartiri, quàm ſibi recondere. Sed ego

γεγόνασι τούτων, κολασθησομένους παραδώσω· καὶ οὕτως ἀνείθη τὸ μειράκιον. Ἐπὶ τούτῳ παρῆλθεν εἴσω Γαλλιῆνος μετὰ τοῦ πατρὸς, ὁ μὲν, τὰ δεσμὰ τῆς αἰχμαλωσίας ἔχων, ὁ δὲ στολῇ τε καὶ κινήσει χρώμενος μαλακωτέρᾳ, ὥσπερ αἱ γυναῖκες· καὶ ὁ Σειληνὸς πρὸς μὲν ἐκεῖνον,

Τίς οὗτος ὁ λευκολόφας
Πρόπαρ ὃς ἡγεῖται τοῦ στρατοῦ;

ἔφη. πρὸς δὲ τὸν Γαλλιῆνον,

Ὃς καὶ χρυσὸν ἔχων πάντη τρυφᾷ
ἠΰτε κούρη.

Τούτω δὲ ὁ Ζεὺς εἶπε τῆς ἐκεῖσε θοίνης ἐκβαλεῖν. τούτοις ἐπεισέρχεται Κλαύδιος, εἰς ὃν ἀπιδόντες οἱ θεοὶ πάντες, ἠγάσθησάν τε αὐτὸν τῆς μεγαλοψυχίας, καὶ ἐπένευσαν αὐτοῦ τῷ γένει τὴν ἀρχὴν, δίκαιον εἶναι νομίσαντες, οὕτω φιλοπάτριδος ἀνδρὸς, ἐπὶ πλεῖστον εἶναι τὸ γένος ἐν ἡγεμονίᾳ. τούτοις ἐπεισέδραμεν Αὐρηλιανὸς, ὥσπερ ἀποδιδράσκων, τοὺς εἴργοντας αὐτὸν παρὰ τῷ Μίνωι. πολλαὶ γὰρ αὐτῷ συνίσταντο δίκαι τῶν ἀδίκων φόνων, καὶ

ἔφευγε

ego, inquit, Nemeſis omnes eos quicunque ſceleris in hunc commiſſi conſcii & participes fuerunt, ſupplicio afficiendos tradam. Sic itaque miſſo facto adoleſcente, ecce Gallienus unà cum patre acceſſit intro. Hic quidem adhuc vinculis captivitatis ſuæ oneratus: ille verò ſtola & inceſſu utens molliori mulierum ritu. In priorem Silenus hæc luſit:

Quis candidus hic galea eſt,
Qui agit copias prior?

In Gallienum verò:

Hic aurum geſtat tener undique more
puellæ.

Hos duos autem Iupiter juſſit ab iis, quę iſthic celebrabantur epulis egredi. Ad hos etiam introducitur Claudius, in quem cùm omnes Dii vultus oculoſque defixiſſent, in magna admiratione, eum propter animi magnitudinem habuerunt, tum etiam annuerunt ipſius poſteris rerum potiri: juſtum eſſe exiſtimantes tam amantis patriæ viri poſteritatem, quàm diutiſſimè principem in republica locum obtinere. Ad hos etiam accurrit Aurelianus, tanquam feſtinato curſu ſe ab eorum conſpectu proripiens, qui illi negotium faceſſebant apud Minoa. Etenim multis exagitabatur criminationibus

ἔφθαγε τὰς γραφάς, κακῶς ἀπολογούμενος. Ἥλιος δὲ ὁ ἐμὸς δεσπότης, πρός τε τὰ ἄλλα βοηθῶν, οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ πρὸς τοῦτο αὐτοῦ συνήρατο, φράσας ἐν τοῖς θεοῖς, ἀλλ' ἀπέτισε τὴν δίκην, καὶ ἐλήλυθεν ἡ δοθεῖσα ἐν Δελφοῖς μαντεία,

Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο.

Τούτῳ συνέρχεται ὁ Πρόβος ἑβδομήκοντα πόλεις ἀνακτησάμενος ἐν οὐδὲ ὅλοις ἐνιαυτοῖς ἑπτά, καὶ πολλὰ πάνυ σωφρόνως οἰκονόμησεν, ἄδικα μὲν πεπονθώς, ὑπὸ τῶν θεῶν ἐτιμᾶτο, τά τε ἄλλα, καὶ τῷ τοὺς φονέας αὐτοῦ τὴν δίκην ἐκτίσαι. σκώπτειν δ' ὅμως αὐτὸν ὁ μὲν Σειληνὸς ἐπειρᾶτο, καίτοι πολλῶν αὐτῷ σιωπᾶν παρακελευομένων, ἀλλ' ἐᾶτε, ἔφη, νῦν γοῦν δι' αὐτοῦ τοὺς ἑξῆς φρενωθῆναι. οὐκ οἶσθα, ὦ Πρόβε, ὅτι τὰ πικρὰ φάρμακα καταμιγνύντες οἱ ἰατροὶ τῷ μελικράτῳ προσφέρουσι; σὺ δὲ αὐστηρὸς ἦσθα λίαν, καὶ τραχὺς ἀεί, εἴκων δὲ οὐδαμοῦ· πέπονθας. οὖν ἄδικα μέν,

εἰκότα

bus multarum cædium injuſtè perpetratarum nomine, quibus quaſdam improbas defenſiones prætexens, cauſæ dictionem effugit. Sol verò, dominus meus, & in reliquis opem ferre ſolitus, non minimo quoque illi adjumento hac in re fuit, palam inter Deos prædicans, ipſum pœnas dependiſſe, & oraculum apud Delphos redditum eveniſſe,

Iudicium, ſi quis, quæ fecit, perferat, æquum eſt.

Convenit & Probus, qui intra ſeptem annos nondum completos, ſeptuaginta inſtauraverit urbes, & multa quoque domi prudenter inſtituit. Huic licet iniqua paſſo, magnus à Diis in multis rebus habitus eſt honos, cùm ob id maximè, quòd ejus percuſſores tanti ſceleris ergò ipſi pœnas luerunt. Illum tamen Silenus nihilo ſecius irridere & cavillari conatus eſt. Et multis illum tacere jubentibus: Sinite, inquit, eos, qui ſequentur, ex iſto prudentiores evadere. An ignoraſti, ô Probe, medicos melicrato amaris medicamentis infuſo, jucundiora propinare? Tu verò, qui nihil unquam cuiquam condonaſti, cùm in tota tua ratione longe ſeverior & aſperior, quam par erat, fueris, iniquam, ſed tamen meritam calamita-

εἰκότα δὲ ὅμως. Οὐ γὰρ ἐστὶν, οὔτε ἵππων, οὔτε βοῶν ἄρχειν, οὔτε ἡμιόνων, ἥκιστα δὲ ἀνθρώπων, μήτι καὶ τῶν κεχαρισμένων αὐτοῖς συγχωροῦντα, ὥσπερ ἔσθ' ὅτε τοῖς ἀσθενοῦσι οἱ ἰατροὶ μικρὰ ἐνδιδόασιν, ἵν' ἐν τοῖς μείζοσιν ἔχωσιν αὐτοὺς πειθομένους. Τί τοῦτο, εἶπεν ὁ Διόνυσος, ὦ παππίδιον, φιλόσοφος ἡμῖν ἀνεφάνης; Οὐ γὰρ, ὦ παῖ, ἔφη, καὶ σὺ φιλόσοφος ὑπ' ἐμοῦ γέγονας; οὐκ οἶσθα, ὅτι καὶ ὁ Σωκράτης ἐοικὼς ἐμοὶ τὰ πρωτεῖα κατὰ τὴν φιλοσοφίαν ἀπηνέγκατο τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώπων, εἰ τῷ Δελφῷ πιστεύεις ὅτι ἐστὶν ἀψευδής; ἔα τοίνυν ἡμᾶς μὴ πάντα γελοῖα λέγειν, ἀλλὰ καὶ σπουδαῖα. Ἔτι διαλεγομένων αὐτῶν πρὸς ἀλλήλους, ὁ Κᾶρος ἅμα τοῖς παισὶν, εἰσφέρειν βουληθεὶς εἰς τὸ συμπόσιον, ἀπελήλατο παρὰ τῆς Δίκης. καὶ ὁ Διοκλητιανὸς ἄγων μεθ' ἑαυτοῦ Μαξιμιανώ τε τὼ δύω, καὶ τὸν ἐμὸν πάππον Κωνστάντιον, ἐν κόσμῳ προῄει. εἴχοντο δὲ ἀλλήλων τὼ χεῖρε, καὶ ἐβάδιζον, οὐκ ἐξ ἴσης, ἀλλ' οἷα χορός τις ἦν περὶ αὐτὸν, τῶν μὲν ὥσπερ δορυφο-

lamitatem pertuliſti. Nemo enim aut equis, aut bobus, aut mulis, nedum hominibus rectè præfuerit, niſi eorum gratiæ & voluntati aliquid dederit, ut fit, cùm medici ægrotorum cupiditatibus in levibus rebus indulgent, quo illos ſibi in majoribus obſequentes præſtent. Quid ita, ô patercule, inquit Dionyſius, te nobis philoſophum derepentè exhibuiſti? Non & tu, ô fili, inquit ille, in philoſophicis quoque diſciplinis à nobis es inſtitutus & eruditus? An neſcis & nobis perſimilem fuiſſe Socratem, qui primas inter ſuæ ætatis philoſophos tenuit? ſiquidem tu Delphicum oraculum minimè mendax eſſe perſuaſum habes. Liceat igitur nobis per te non omnia ridicula dicere, ſed ſeria & gravia levibus nonnunquam miſcere. Hæc illis inter ſe differentibus, Carus unà cum filiis ad convivium accedere voluit, ſed à Iuſtitia repulſam tulit. Deinde Diocletianus ſecum ducens Maximianos duos, & avum meum Conſtantium, cum ſplendido ornatu in medium progreſſus eſt. Hi quidem manibus ſe invicem tenebant, neque ex æquo gradiebantur, ſed Diocletianum chori in modum circunſtabant: quos ſibi ille apparitorum vice fungi, &

ὁρμώντων, καὶ προθέειν αὐτοῦ βουλομένων, τοὺς δὲ εἴργοντος. οὐδὲν γὰρ ἠξίου πλεονεκτεῖν· ὡς δὲ συνῄει, κάμνοντος ἑαυτοῦ, αὐτοῖς διδοὺς ἅπαντα ἃ ἔφερεν ἐπὶ τῶν ὤμων, αὐτὸς διαπόλυτος ἐβάδιζεν. Ηγάσθησαν οἱ θεοὶ τῶν ἀνδρῶν τὴν ὁμόνοιαν, καὶ ἐπέτρεψαν αὐτοῖς πρὸ πολλῶν πάνυ καθῆσθαι. Δεινῶς δὲ ὄντα τὸν Μαξιμιανὸν ἀκόλαστον, ὁ Σειληνὸς ἐπισκώπτειν μὲν οὐκ ἠξίου, τὸ δὲ τῶν βασιλέων οὐκ εἰσεδέχετο συσσίτιον. Οὐ γὰρ μόνον, τὰ εἰς Ἀφροδίτην ἦν παντοίως ἀσελγὴς, ἀλλὰ καὶ φιλοπράγμων, καὶ ἄπιστος, καὶ οὐ τὰ πάντα τῷ τετραχόρδῳ συνῳδῶν. ἐξήλασεν οὖν αὐτὸν ἡ Δίκη ταχέως, εἶτα ἀπῆλθεν οὐκ οἶδα ὅπη γῆς· ἐπελαθόμην γὰρ αὐτὸ παρὰ τοῦ Ερμοῦ πολυπραγμονῆσαι. τούτῳ δὴ τῷ παναρμονίῳ τετραχόρδῳ παραφύεται δεινὸν, καὶ τραχὺ, καὶ ταραχῶδες σύστημα. Τὼ μὲν οὖν δύω, οὐδὲ τῶν προθύρων ἅψασθαι τῆς τῶν Ηρώων ἀγορᾶς ἡ Δίκη συνεχώρησεν. Λικίννιον δὲ μέχρι τῶν προθύρων ἐλθόντα, πολλὰ καὶ ἀπο-

præire volentes, prohibebat. Nihil enim ſibi præcipuum arrogare ſtudebat. Ut verò pariter cum aliis incedere cœpit, cùm ſe oneris mole premi & urgeri ſentiret, omnia, quæcunque humeris geſtabat, inter eos partitus, ſolutus & expeditus iter faciebat. Horum concordiam Dei admirati, longe digniori præ multis aliis loco ſedere præceperunt. At Maximianum acerbe & intemperanter ſeſe gerentem, Silenus non dignum duxit, quem dicteriis inceſſeret: ſed in cœtum & convivium Imperatorum non admiſit. Non ſolùm enim erat in omnis generis libidines effuſus & intemperans, verùm etiam rerum novarum cupidus, & perfidiæ plenus, neq; in omnibus tetrachordo concors. Quamobrem ipſum Nemeſis continuò in fugam conjecit, fugitque neſcio quò locorum: nec enim mihi in mentem venit ea de re Mercurium percontari. Ab hoc & adnatus eſt huic in omnibus concordi tetrachordo alius gravis, durus, & turbulentus tonus. Hos igitur duos ne quidem cœtus Heroum limen attingere numen illud, quod juſtitiæ præeſt, permiſit. Licinium vero eo uſque loci progreſſum, propterea quod multa turpia & nefaria ſcelera

καὶ ἄτοπα πλημμελοῦντα, ταχέως ὁ Μίνως ἐξήλασεν. Ὁ Κωνσταντῖνος δὲ παρῆλθεν εἴσω, καὶ πολὺν ἐκαθέσθη χρόνον, εἶτα μετ' αὐτὸν τὰ παιδία. Μαγνεντίῳ γὰρ οὐκ ἦν εἴσοδος, ὅτι μηδὲν ὑγιὲς ἐπεπράγει, καίτοι πολλὰ ἐδόκει πεπρᾶχθαι τῷ ἀνδρὶ καλά. οἱ θεοὶ δὲ ὁρῶντες, ὅτι μὴ ταῦτα ἐκ καλῆς αὐτῷ πεποίηται διαθέσεως, εἴων αὐτὸν οἰμώζειν ἀποτρέχοντα. οὔσης δὲ τοιαύτης τῆς ἀμφὶ τὸ δεῖπνον παρασκευῆς, ἐπόθουν μὲν οὐδὲν οἱ θεοί, πάντα γὰρ ἔχουσιν, αὐτῶν δὲ τῶν Ἡρώων ἐδόκει τῷ Ἑρμῇ διαπειρᾶσθαι· καὶ τῷ Διῒ τοῦτο οὐκ ἀπὸ γνώμης ἦν. ἐδεῖτο δὲ καὶ ὁ Κυρῖνος, ἤδη τινὰ μετάγειν ἐκεῖθεν παρ' ἑαυτόν. Ἡρακλῆς δὲ, οὐκ ἀνέξομαι, εἶπεν, ὦ Κυρῖνε· διὰ τί γὰρ οὐχὶ καὶ τὸν ἐμὸν Ἀλέξανδρον ἐπὶ τὸ δεῖπνον παρεκάλεις; σὺ τοίνυν, εἶπεν, ὦ Ζεῦ, δέομαι, εἴ τινα τούτων ἔγνωκας ἄγειν πρὸς ἡμᾶς, ἥκειν τὸν Ἀλέξανδρον κέλευε. Τί γὰρ οὖν, κοινῇ τῶν ἀνδρῶν ἀποπειρωσόμενοι, τοῦ βελτίονος δεόμεθα; Δίκαια λέγειν ὁ τῆς Ἀλκμήνης ἐδόκει τῷ Διΐ· καὶ ἐπεισελ-

θόντος

commiſerat, quam citiſſime Minos profligavit. Conſtantinus autem acceſſit intro, & longo temporis ſpatio ſedit. Secundum ipſum & ejus filii. Nec enim Magnentio patuit aditus, quia nihil unquam ſani fecerat. Licet enim ab ipſo multa egregiè geſta videri poſſint, quia tamen Dii perſpexerunt hæc non à recto & confirmato animi judicio profecta eſſe, fugientem eum in luctu dimiſerunt. Hujuſcemodi igitur erat prandii apparatus: Et Deos nihil quidem deficiebat, ſunt enim omnia in eorum manu & poteſtate. Mercurius autem, Heroum convivium non omnibus ſuis numeris abſolutum, atque adeò aliquid ei deeſſe cenſebat: nec ab hoc Iovis ſententia abhorrebat. Poſtulabat verò & Quirinus jamdudum, ut aliquem alium ex ſuis illuc introduceret. Non feram, ô ô Quirine, inquit Hercules. Cur enim & non meum Alexandrum huic convivio adhibuiſti? Te igitur, ô Iupiter, inquit, oro atque obteſtor, ſi quem horum ad nos conſtituiſti intromittere, Alexandrum venire jube. Cùm enim palam de viris fortibus periculum facturi ſumus, cur præſtantiore caremus? Iuſta & rationi conſentanea dicere Iovi patri Alcmenæ filius viſus eſt. Et in cœtum

φθέντος αὐτοῦ τοῖς Ηρωσιν οὔτε ὁ Καῖσαρ, οὔτε ἄλλος τις, ἐπανίσατο· καταλαβὼν δὲ σχολάζουσαν καθέδραν, ἣν ὁ τοῦ Σεβήρου παῖς ἐπεποίητο ἑαυτῷ (ἐκεῖνος γὰρ ἀπελήλατο διὰ τὴν ἀδελφοκτονίαν) ἐνεκάθισε. καὶ ὁ Σειληνὸς ἐπισκώπτων τὸν Κυρῖνον, ὅρα, εἶπε, μήποτε οὗτοι, ἑνὸς ὦσιν οὐκ ἀντάξιοι τουτουῒ τοῦ Γερμανικοῦ. νὴ μὰ Δία, εἶπεν ὁ Κυρῖνος, οἶμαι πολλοὺς εἶναι μὴ χείρονας. οὕτω δὲ αὐτὸν οἱ ἐμοὶ τεθαυμάκασι ἔκγονοι, ὥστε μόνον αὐτὸν ἐκ πάντων, ὅσοι ξένοι γεγόνασιν ἡγεμόνες, ὀνομάζουσι καὶ νομίζουσι μέγαν. οὐ μὴν ὅτι καὶ τῶν παρ᾽ ἑαυτοῖς γεγονότων οἴονται μείζονα τοῦτον, ἴσως μὲν ὑπὸ φιλαυτίας παθόντες, ἴσως δὲ καὶ οὕτως ἔχοντες· εἰσόμεθα δὲ αὐτίκα μάλα τῶν ἀνδρῶν ἀποπειρώμενοι. ταῦτα μάλιστα λέγων ὁ Κυρῖνος ἠρυθρία, καὶ δῆλος ἦν ἀγωνιῶν ὑπὲρ τῶν ἀπογόνων τῶν ἑαυτοῦ, μήπου τὰ δευτερεῖα λαβόντες οἴχονται. μετὰ τοῦτο ὁ Ζεὺς ἤρετο τοὺς θεοὺς πότερον χρὴ πάντας ἐπὶ τὸν ἀγῶνα καλεῖν, ἢ καθάπερ ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν ἔθος, ὁ δὲ

τὰς

Heroum ingrediente Alexandro, neque Cæſar ipſe, neque quiſquam alius aſſurgere dignatus eſt. At ille cathedram accipiens, quam ipſi vacuam fecerat Severi filius (etenim propter fratricidium ab Heroum conſuetudine repulſus fuerat) ſedit. Quo facto in Quirinum Silenus jocans: Vide, inquit, ne hi omnes cum hoc uno Græco comparari digni ſint. Per Iovem, inquit Quirinus, inter eos opinor eſſe quamplures ipſi nullâ re inferiores. Tanta autem hunc mei poſteri ſunt admiratione proſecuti, ut ſolum eum inter duces exteros & vocent & cenſeant Magnum, non quo eum majorem reliquis apud ſe natis judicent, ſeu quod plus æquo ſibi favent, & ſuis ſtudent, ſeu fortè quia ita res habet. Illud vero cujuſmodi ſit, poſtea certo cognoſcemus, ubi de viris periculum fecerimus. Quæ cùm dixiſſet Quirinus, erubuit. Ex quo facile perſpectum eſt, ipſum ſuorum poſterorum cauſſa vehementer laborare, ne in ſecundis partibus hærerent. Poſt hæc Iupiter apud Deos propoſuit, an oporteret omnes decertare, an vero iſtud certamen ad gymnicorum morem inſtituendum foret. In quibus, qui illum

τὰς πολλὰς ἀνελομένου νίκας κρατήσας, ἑνὸς περιμενόμενος, οὐδὲν ἔλαττον δοκεῖ κἀκείνων γεγονέναι κρείσσων, οἱ προσεπάλαισαν μὲν οὐδαμῶς αὐτῷ, τοῦ κρατηθέντος δὲ ἥττους ἐγένοντο. καὶ ἐδόκει πᾶσιν ἡ τοιαύτη σφόδρα ἐμμελῶς ἔχειν ἐξέτασις, ἐκήρυττεν οὖν ὁ Ἑρμῆς, παρεῖναι Καίσαρα, καὶ τὸν Ὀκταβιανὸν ἐπὶ τούτῳ, Τραϊανὸν δὲ ἐκ τρίτου, ὡς πολεμικωτέρους. Εἶτα γενομένης σιωπῆς ὁ βασιλεὺς Κρόνος βλέψας εἰς τὸν Δία, θαυμάζειν, ἔφη, πολεμικοὺς μὲν αὐτοκράτορας ὁρῶν ἐπὶ τὸν ἀγῶνα τουτονὶ καλουμένους, οὐδένα μέντοι φιλόσοφον. ἐμοὶ δὲ, εἶπεν οὐκ ἧττον εἰσὶν οἱ τοιοῦτοι φίλοι, καλεῖτε οὖν εἴσω καὶ τὸν Μάρκον. Ἐπεὶ δὲ καὶ ὁ Μάρκος κληθεὶς παρῆλθε, σεμνὸς ἄγαν ὑπὸ τῶν πόνων ἔχων τά τε ὄμματα, καὶ τὸ πρόσωπον ὑπό τι συνεσταλμένον, κάλλος δὲ ἀμήχανον ἐν αὐτῷ τούτῳ δεικνύων, ἐν ᾧ παρεῖχεν ἑαυτὸν ἀκόμψον καὶ ἀκαλλώπιστον· ἥ τε γὰρ ὑπήνη βαθεῖα παντάπασιν ἦν αὐτῷ, καὶ τὰ ἱμάτια λιτὰ καὶ σώφρονα, καὶ ὑπὸ τῆς ἐνδείας τῶν τροφῶν ἦν αὐτῷ τὸ σῶμα διαυγέστερον

vicit qui plures aſſecutus eſt palmas, unius victor cæteris quoque præſtare cenſetur, qui ab eo, de quo victoriam retulit, ſuperati ſunt, licet cum ipſis in certamen non venerit. Et ea quidem judicii faciendi ratio tanquam valdè apta & explicata, ab omnibus Diis communi voce & ſententia eſt approbata. Edixit igitur Mercurius primum adeſſe Cæſarem, deinde Octavianum, tertium Trajanum tanquam bellicoſiores. Hinc facto ſilentio, rex Saturnus Iovem intuitus: Miror, inquit, bellica laude illuſtres Imperatores ad hoc certamen vocatos, Philoſophum vero neminem, quamvis hi quoque non minùs mihi chari ſint quam reliqui. Vocate igitur & intro Marcum. Et ille quidem accerſitus adfuit gravis & conſtans valde, tum oculis, tum vultu, præ animi contentione, aliquantulum ſevero & nonnihil contracto ſimili, pulchritudinem, quam nemo imitatione aſſequi poſſet, in eo demonſtrans, quod eſſet horridus, & incomptus. Erat enim barba prolixa, & amictu ex omni parte frugali & modeſto. Denique propter paucitatem alimentorum corpus illi erat ſplendidius & nitidius, ipſius luci-

καὶ διαφανέστατον, ὥσπερ αὐτὸ οἶμαι τὸ
καθαρώτατον καὶ εἰλικρινέστατον φῶς. Ἐπεὶ
δὲ οὗτος ἦν εἴσω τῶν ἱερῶν περιβόλων, ὁ
Διόνυσος εἶπεν, ὦ βασιλεῦ Κρόνε καὶ
Ζεῦ πάτερ, ἆρα ἄξιον ἐν θεοῖς ἀτελὲς
εἶναί τι; τῶν δὲ, οὐ φαμένων, εἰσαγάγωμεν
οὖν τινὰ καὶ ἀπολαύσεως ἐραστὴν ἐνθαδί. καὶ
ὁ Ζεὺς, ἀλλ' οὐ θεμιτὸν εἴσω φοιτᾶν, εἶ-
πεν, ἀνδρὶ μὴ τὰ ἡμέτερα ζηλοῦντι.
Γινέσθω τοίνυν ἐπὶ τῶν προθύρων, εἶπεν ὁ
Διόνυσος, αὐτῷ ἡ κρίσις. ἀλλ', εἰ τοῦτο
δοκεῖ, καλῶμεν ἄνδρα, οὐκ ἀπόλεμον-
μὲν, ἡδονῇ δὲ καὶ ἀπολαύσει χειροηθέστερον.
ἵκετο οὖν ἄχρι τῶν προθύρων ὁ Κωνσταν-
τῖνος. ἐπεὶ δὲ ἐδέδοκτο καὶ τοῦτο (τίνα γὰρ
ἐχρῆν τρόπον αὐτοὺς ἁμιλλᾶσθαι, γνώμη
προὐτέθη) καὶ ὁ μὲν Ἑρμῆς ἠξίου λέγειν
ἕκαστον ἐν μέρει περὶ τῶν ἑαυτοῦ, τίθεσθαι
δὲ τοὺς θεοὺς τὴν ψῆφον. Οὐ μὴν ἐδόκει ταῦ-
τα τῷ Ἀπόλλωνι καλῶς ἔχειν· Ἀληθείας
γὰρ εἶναι καὶ οὐ πιθανότητος οὐδὲ αἱμυλίας
ἐν θεοῖς ἔλεγχον καὶ ἐξέτασιν. Βουλόμενος
δὲ ὁ Ζεὺς ἀμφοτέροις χαρίζεσθαι, καὶ ἅμα
προάγειν ἐπὶ πλέον αὐτοῖς τὴν συνουσίαν,

οὐθὲν,

diſſimi, ut arbitror, & puriſſimi ignis inſtar. Illo verò intra ſacra ſepta intromiſſo, Dionyſius cœpit dicere: O Saturne rex, & Iupiter pater, utrum aliquid imperfectum & depravatum inter Deos verſari fas eſt? Quibus nihil reſpondentibus: Atqui accerſamus & huc, inquit, aliquem voluptatis ſectatorem. Sed huc, Iupiter ait, quemquam pedem inferre nefas eſt, qui noſtra non revereatur, & probet. Fiat itaque, reſpondit Dionyſius, de eo circa veſtibulum judicium: &, ſi ita videtur, tùm demùm adhibeamus hominem, non quidem omninò bellicæ virtutis inexpertem, ſed voluptatum fruitione & deliciis emollitum. Venit igitur ad limen uſque Conſtantinus. His ita decretis (jam enim quâ ratione ipſos certamen inire oporteret, ſententia dicta fuerat) Mercurius quidem cenſebat ſigillatim unumquemque oportere de ſeipſo dicere, deinde Deos de ſingulis ſuffragia ferre. Hæc Apollini non rectè ſtatui videbantur. Etenim veritatem, non perſuaſionis vim, aut dicendi ſuavitatem à Diis perpendi & examinari. Sed Iupiter, cùm utriſque gratificari cuperet, ſimul & eorum conſuetudinem in longius tempus producere:

Nihil

οὐθέν, εἶπε, κωλύει λέγειν τε αὐτοῖς ἐπιτρέψαι, μικρὸν τοῦ ὕδατος ἐπιμετρήσαντας ἡμᾶς, εἶτα ὕστερον ἀνερωτᾶν, καὶ ἀποπειρᾶσθαι τῆς ἑκάστου διανοίας. καὶ ὁ Σειληνὸς ἐπισκώπτων, ἀλλ᾽ ὅρα, ὦ Πόσειδον, μὴ νομίσαντες αὐτὸ νεκταρ εἶναι, Τραϊανός τε καὶ Ἀλέξανδρος ἅπαν ἐκροφήσωσιν τὸ ὕδωρ, εἶτα ἀφέλωνται τοὺς ἄλλους. καὶ ὁ Ποσειδῶν, οὐ τοὐμοῦ ὕδατος, εἶπεν, ἀλλὰ τοῦ ὑμετέρου πόματος, ἐρασταὶ τὼ ἄνδρε ἐγενέσθην. ὑπὲρ τῶν σεαυτοῦ τοιγαροῦν ἀμπέλων μᾶλλον, ἢ τῶν ἐμῶν πηγῶν, ἄξιον ἐστίν σοι δεδιέναι. Καὶ ὁ Σειληνὸς δηχθεὶς, ἐσιώπα, καὶ τοῖς ἀγωνιζομένοις ἐκ τούτου, τὸν νοῦν προσεῖχεν. Ἑρμῆς δὲ ἐκήρυττεν.

Αρχὴ μὲν ἀγώνων καλλίστων
Αθλων ταμίας.
Καιρὸς δὲ καλεῖ μηκέτι μέλλειν,
Αλλ᾽ ἀΐοντες, τὴν ἡμετέραν
Κήρυκα βοὰν, οἱ τοπρὶν βασιλεῖς
Εθνεα πολλὰ δουλωσάμενοι,
Καὶ πολέμοισιν δάϊον ἔγχος
Θήξαντες, ὁμοῦ γνώμης τε μέγαν

Πινυ-

Nihil prohiber, inquit, ad aquæ rationem, quam unicuique ad certum modum menſuramque largiemur, ipſos jubere dicere: deinde interrogare, & ſingulorum ſenſus intimos explorare. Ad hoc Silenus facetè admodum Neptune, ne Traianus & Alexander nectaris loco aquam omnem exſorbeant, ſicque dicendi facultatem reliquis præripiant. Cui Neptunus: Haud equidem meæ aquæ, ſed veſtræ potionis avidiores illi viri fuerunt. Tuis igitur te vineis, quàm me meis fontibus timere magis convenit. At Silenus morſus, conticuit, ſeque toto animo deinceps ad certantes convertit. Tum Mercurius hujuſmodi præconio eſt uſus:

Diviſurus adeſt egregia
Palmarum præmia nobilium,
Iam jamque moras
Tempus ſuadet ponere lentas,
Atque auribus excipere hac, mea qua
Praconis vox nuntia profert:
Multorum ô ſervitute priùs
Reges populum colla prementes
Infeſtam, quot hoſtibus haſtam
Acuiſſe juvat, ſimul & magnam,
Prudenti conſilio mentem,

Animum-

Πινυτόφρονα νοῦν, ἴτ' ἐς ἀντίπαλον
Ἰσόθεε κρίσιν, οἵ τε φρόνησιν
Τέλος ὀλβίστης θέμενοι βιοτῆς,
Οἵς τ' ἀντιβίους κακὰ πόλλ' ἔρξαι,
Χρηστὰ δὲ φίλους, τέρμα βιότου
Νενόμιστο, καὶ οἵθ' ἡδίστην
Ἀπόλαυσιν ἔχειν, τέρματα μόχθων,
Δαῖτας καὶ γάμους, ὄμμασι τερπνά,
Μαλακάς τε φέρειν ἐσθῆτας, ὁμοῦ
Λιθοκολλήτοις περὶ χεῖρας ἄκρας.
Ψελίοισι, φάνη μακαριστότατον.
Νίκης δὲ τέλος Ζηνὶ μελήσει.

Τοιαῦτα δὲ Ἑρμοῦ κηρύττοντος, ἐκληροῦντο. καί πως συνέδραμε τῇ δὲ Καίσαρος ὁ κλῆρος φιλοπρωτίᾳ· τοῦτο ἐκεῖνον μὲν ἐποίησε γαῦρον καὶ σοβαρώτερον. Ἐδέησε δὲ διὰ τοῦτο μικροῦ καὶ φεύγειν τὴν κρίσιν ὁ Ἀλέξανδρος, ἀλλὰ παραθαρρύνων αὐτὸν ὁ μέγας Ἡρακλῆς ἐπέσχε. Δεύτερος δὲ ἐπ' ἐκείνῳ λέγειν ἔλαχεν ὁ Ἀλέξανδρος. ἐπὶ δὲ τοῦ ἑξῆς, οἱ κλῆροι τοῖς ἑκάστου χρόνοις συμπαρῆλθον. ἤρξατο οὖν ὁ Καῖσαρ ὧδε.

Ἐμοὶ

Animumque, controverſum agite,
Ad hoc vos ſiſtite judicium:
Vitæ ſumma fuit, ſeu ſapere,
Damnis malè ſeu vexare quibus
Inimicos, & multa in amicos
Animo magno conferre bona,
Poſita eſt vitæ meta beatæ.
Sive voluptate frui, finem
Sibi qui conſtituere laborum.
Connubia epulaſque celebrare,
Rebuſque oculos paſcere lætis:
Tunicis quoque mollibus ornari,
Simul & manibus ſummis opere
Vario nitidas gemmas gerere,
Quis viſa beatiſſima res eſt:
Iovi erit dein victoria curæ.

Hujuſmodi igitur à Mercurio habito præconio, ſortes duxerunt: Et ſors quidem quodammodo Cæſaris in omnibus rebus principem locum obtinendi cupiditati concurrit. Quæ res eum hilariorem multo & alaciorem reddidit. Quamobrem parum abfuit, quin judicium Alexander ſubterfugeret, ſed ipſum Magnus Hercules bono animo eſſe jubens, continuit. A Cæſare ſecundum dicendi locum nactus eſt Alexander. Tùm reliquis aliis, poſtquam, ut cujuſque ferebant tempora, ſortes obtigerunt, ſic Cæſar orſus eſt.

Mihi

Ἐμοὶ μὲν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ, γενέσθαι ἐν τηλικαύτῃ συνέβη πόλει, μετὰ τοσούτους ἄνδρας, ὥστε τὴν μὲν ὅσον οὐ πώποτε ἄλλη πόλις ἐβασίλευσε, βασιλεύειν· τῶν δὲ ἀγαπητὸν, καὶ τὸ τὰ δευτερεῖα κομίσασθαι. Τίς γὰρ πόλις ἀπὸ τρισχιλίων ἀνδρῶν ἀρξαμένη, ἐν οὐδὲ ὅλοις ἔτεσιν ἑξακοσίοις, ἐπὶ γῆς ἦλθε πέρατα τοῖς ὅπλοις; ποῖα δὲ ἔθνη πολλὰ τοσούτους ἄνδρας ἀγαθούς τε καὶ πολεμικοὺς παρέσχετο, καὶ νομοθετικούς; θεοὺς δὲ ἐτίμησαν οὕτω τίνες; Ἐν τῇ τοσαύτῃ καὶ τηλικαύτῃ πόλει γενόμενος, οὐ τοὺς κατ᾽ ἐμαυτὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ τοὺς πώποτε, παρῆλθον τοῖς ἔργοις. Καὶ τῶν ἐμῶν μὲν πολιτῶν, εὖ οἶδα ὡς οὐθεὶς ἀντιποιήσεταί μοι τῶν πρωτείων. Εἰ δὲ Ἀλέξανδρος οὑτοσὶ τολμᾷ, τί τῶν ἔργων τῶν ἑαυτοῦ, τοῖς ἐμοῖς ἀξιοῖ παραβάλλειν; ἴσως τὰ Περσικὰ, ὥσπερ οὐχ ἑωρακὼς ἐγηγερμένα μοι τοσαῦτα κατὰ Πομπηΐου τρόπαια; καί τοι τίς δεινότερος στρατηγὸς γέγονε Δαρεῖος ἢ Πομπήϊος; ποτέρῳ δὲ ἀνδρειότερον ἠκολούθει στρατόπεδον; τὰ μὲν οὖν μαχιμώτατα τῶν Δαρείῳ πρότερον ὑπακουόντων

Mihi verò, ô Iupiter & Dii, in hujuſmodi naſci contigit civitate poſt tot claros viros, quæ quidem imperium ſuum eo, quo nulla unquam alia civitas dominata eſt, protulit, ut reliquæ omnes æqui bonique conſulere debeant, ſi ſecundas ab hac partes ferant. Quæ enim civitas è tribus hominum millibus initium ducens, ſexcentis annis nondum exactis, armis ad extremas uſque oras pervenit & penetravit? Quænam gens tam ſæpè, totque viros probos & illuſtres belli paciſque artibus præbuit? Et quinam tam piè Deos coluerunt? In tanta igitur tamque celebri civitate natus, non ſolum meos æquales, ſed etiam eos qui unquam fuerunt, rerum geſtarum gloria ſuperavi. Et meorum quidem civium ſcio neminẽ, quo minus mihi primæ deferantur partes, interceſſurum. Quod ſi hoc Alexander audeat, quodnam ſuorum facinorum cum meis comparari dignum cenſebit? Perſica forte, tanquam non viderit tot à me erecta & excitata de Pompeio trophæa. Nam cedo, quis acrior, & rei militaris peritior dux extitit, Darius an Pompeius? Quem firmior & robore militum inſtructior exercitus eſt ſecutus? Bellicoſiores gentes, quæ unquam Darii imperio paruc-

τῶν ἐθνῶν, ἐν τῇ Καρῶν μοίρᾳ Πομπήϊος εἶχεν ἑπόμενα. Τῶν δὲ ἐκ τῆς Εὐρώπης, οἳ τὴν Ἀσίαν πολλάκις πόλεμον ἐπάγουσαι ἐτρέψαντο, καὶ τούτων αὐτῶν τοὺς ἀνδρειοτάτους, Ἰταλούς, Ἰλλυριούς, Κελτούς. Ἀλλ᾽ ἐπειδὴ τῶν Κελτικῶν ἐπεμνήσθην, ἆρα τοῖς Γετικοῖς ἔργοις Ἀλεξάνδρου, τὴν τῆς Κελτικῆς ἀντιπάττομεν καθαίρεσιν; Οὗτος ἅπαξ ἐπεραιώθη τὸν Ἴστρον, ἐγὼ δὲ δεύτερον τὸν Ῥῆνον. Γερμανικὸν αὖ τοῦτο τὸ ἐμὸν ἔργον, τούτῳ δὲ ἀντέστη μὲν οὐδὲ εἷς. Ἐγὼ δὲ πρὸς Ἀριόβιστον ἠγωνισάμην· πρῶτος ἐτόλμησα Ῥωμαίων ἐπιβῆναι τῆς ἐκτὸς θαλάσσης. καὶ τοῦτο ἦν ἴσως τὸ ἔργον θαυμαστόν· καίτοι τὴν τόλμαν καὶ ταύτην ἄξιον θαυμάσαι· ἀλλὰ τὸ μεῖζόν μοι, τὸ ἀποβῆναι τῆς νεὼς πρῶτον. καὶ τοὺς Ἐλβετίους σιωπῶ, καὶ τὸ τῶν Ἰβήρων ἔθνος. Οὐδένος ἔτι τῶν Γαλατικῶν ἐπεμνήσθην, πλέον ἢ τριακοσίας ὑπαγαγόμενος πόλεις, ἀνδρῶν δὲ οὐκ ἐλάσσους ἢ διακοσίας μυριάδας. Ὄντων δὲ τούτων μοι τοιούτων τῶν ἔργων, ἐκεῖνο μεῖζον ἦν καὶ τολμηρότερον· ἔχρην γάρ με καὶ πρὸς αὐτοὺς διαγωνίζεσθαι τοὺς πολίτας, καὶ κρατεῖν τῶν

paruerunt, Carum loco Pompeius in exercitu habuit. An verò Europeæ, ſæpius Aſiæ bellum inferenti vaſtitatem intulerunt, & maximè earum fortiſſimi Itali, Illyrici, & Celtæ. Sed quando Celtarum memini, num Geticis Alexandri rebus Galliæ expugnationem conferemus: Hic ſemel tranſivit Iſtrum: ego iterum Rhenum: Hoc verò eſt eximium meum Germanicum facinus, quo nemo ſe mihi antetulerit. Ego contra Arioviſtum manus conſerui. Ego Romanorum primus exterius mare trajicere ſum auſus, quod meum factum fortaſſe plurimùm in ſe habet admirationis. Decet enim tantam meam animi magnitudinem & fortitudinem admirari, ſed illud multo præclariſſimum, me primum omnium è navi deſiliiſſe. Heluetios taceo, & Iberorum gentem: neque dum ullius rei à me in Gallia geſtæ mentionem feci, cum tamen illic plus quàm trecenta oppida, atque ducentas non minùs hominum miriadas ſubegerim. Quæ cùm tot tantaque ſint, tum illud maximum & fortiſſimum, quod re in eum locum adducta, ut mihi contra cives meos bello dimicare neceſſe eſſet, victo-

riam

ἀμάχων καὶ ἀνικήτων Ῥωμαίων. Εἴτε οὖν πλήθει τις κρίνει παρατάξεων, τρὶς τοσαυτάκις παρεταξάμην, ὁσάκις ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου κομπάζουσι, οἱ τὰ περὶ αὐτοῦ σεμνοποιοῦντες· εἴτε πλήθει πόλεων αἰχμαλώτων, οὐ τῆς Ἀσίας μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς Εὐρώπης τὰ πλεῖστα κατεστρεψάμην. Ἀλέξανδρος Αἴγυπτον παρῆλθεν θεωρῶν, ἐγὼ δὲ συμπόσια συγκροτῶν κατεπολέμησα. Τὴν δὲ μετὰ τὸ κρατῆσαι πρᾳότητα βούλεσθε ἐξετάσαι τὴν παρ' ἑκατέρῳ; ἐγὼ καὶ τοῖς πολεμίοις συνέγνων· ἔπαθον οὖν ὑπ' αὐτῶν ὅσα ἐμέλησε τῇ Δίκῃ· ὁ δὲ πρὸς τοῖς πολεμίοις, οὐδὲ τῶν φίλων ἀπείχετο. Ὅτι οὖν περὶ τῶν πρωτείων μοι ἀμφισβητεῖν οἷός τε ἔσῃ, καὶ οὐκ αὐτόθεν σὺ παραχωρήσεις μετὰ τῶν ἄλλων, ἀλλὰ ἀναγκάζεις με λέγειν, ὅπως μὲν ἐχρήσω πικρῶς Θηβαίοις, ἐγὼ δὲ τοῖς Ἐλβετίοις φιλανθρώπως. Σὺ μὲν καὶ ἐκείνων κατέκαυσας τὰς πόλεις, ἐγὼ δὲ τὰς ὑπὸ τῶν οἰκείων πολιτῶν κεκαυμένας πόλεις, ἀνέστησα. Καί τοι ἢ τοσοῦτον τὴν μυρίων Γερμανῶν κρατῆσαι, ἢ πεντεκαίδεκα μυριάδας

riam ex ipſis Romanis, qui adhoc uſque tempus inexpugnabiles & invicti permanſerant, reportavi. Quod ſi quis multitudine præliorum nos judicet, ego ter plus acie conflixi, quàm Alexandrum decertaſſe prædicant, qui ejus res magnificè efferunt & extollunt. Si multitudine urbium captarum: non in Aſia ſolum, ſed & in Europa quam plurimas urbes everti. Hic quidem Ægyptum ſpectans pertranſivit: ego convivia celebrans domui. Vultis quoque utriuſque clementiam & moderationem poſt adeptam victoriam ſciſcitari & expendere? Ego inimicis meis veniam conceſſi, qui deinde ea in me admiſerunt, quæ Numini, juſtitiæ præſidi, curæ fuerunt. Hic præterquam quod in hoſtes crudelis fuit, ne quidem ab amicis temperavit. Quia vero mecum de primis partibus contendere paratus es, neque mihi ſtatim una cum aliis cedis, tu quidem me cogis dicere te perquam acerbum & crudelem in Thebanos extitiſſe. Ego vero multa manſuetudine & humanitate complexus ſum Helvetios. Illorum quidem tu urbes incendiſti: horum ego à propriis civibus everſos & combuſtos penates reparavi & reſtitui. Ecquid denique tanti fuit decem millia Græcorum ſuperaſſe, & quindecim my-

riadas

δας ἐπιφερομένας ὑποστῆναι; Πολλὰ εἰπεῖν ἔχων ἔτι περὶ ἐμαυτοῦ καὶ τοῦδε, τῷ μὴ σχολὴν ἄγειν, ἥκιστα τὸ λέγειν ἐξεμελέτησα· διόπερ χρὴ συγγνώμην ὑμᾶς ἔχειν, ἐκ δὲ τῶν ἐρημένων, καὶ περὶ τῶν μὴ ῥηθέντων, τὴν ἴσην καὶ δικαίαν ἐξέτασιν ποιουμένους, ἀποδιδόναι μοι τὸ πρωτεῖον. Τοιαῦτα εἰπόντος τοῦ Καίσαρος, καὶ λέγειν ἔτι βουλομένου, μόγις καὶ πρότερον ὁ Ἀλέξανδρος καρτερῶν, οὐκ ἔτι κατέσχεν, ἀλλὰ μετά τινος ταραχῆς καὶ ἀγωνίας.

Ἐγὼ δὲ, εἶπεν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ, μέχρι τίνος ἀνέξομαι σιωπῇ τῆς θρασύτητος τῆς τούτου; Πέρας γὰρ οὐθέν ἐστιν, ὡς ὁρᾶτε, οὔτε τῶν εἰς αὐτὸν ἐπαίνων, οὔτε τῶν εἰς ἐμὲ βλασφημιῶν. ἐχρῆν δὲ ἴσως, μάλιστα μὲν ἀμφοῖν φείδεσθαι. καὶ γὰρ εἶναί πως ἀμφότερα δοκεῖ παραπλησίως ἐπαχθῆ, πλέον δὲ τὸ τὰ ἐμὰ διασύρειν, ἄλλως τε καὶ μιμητὴν αὐτῶν γενόμενον. Ὁ δὲ εἰς τοῦτο ἦλθεν ἀναισχυντίας, ὥστε τολμῆσαι τὰ ἀρχέτυπα κωμῳδεῖν τῶν ἑαυτοῦ ἔργων. Ἐχρῆν δὲ, ὦ

Καῖσαρ

riadas hominum invadentium pugnando ſuſtinuiſſe? Multa quidem alia de utroque noſtrum dicere poſſem, ſed quoniam minime mihi per otium licuit, arti dicendi incumbere, vos mihi veniam dare par eſt, ſimul & quæ dici ſunt omiſſa, æque ac ea, quæ dicta ſunt, pro merito reputantes, priorem honoris gradum tribuere. Hæc cùm diceret Cæſar, & adhuc loqui vellet, vix ſibi jam tum antea temperans Alexander, ſeſe ampliùs continere non potuit, ſed cum tumultu & vehementi animi commotione,

Quouſque tandem, inquit, Iupiter & Dii, tacitus feram hujus hominis inſolentiam & audaciam? Nullum enim modum, ut videtis, adhibet in prædicatione ſuarum laudum, neque in vituperatione mei. Meliùs fortaſſe fuiſſet ab utriſque abſtinerer. Etenim utrumque quodammodo æque grave videtur: ſed illud multo gravius & intolerabilius, quod rerum à me geſtarum gloriam imminuere conatus eſt, quas ſibi imitandas propoſuit. Atque adeo eo devenit impudentiæ, ut ſuarum rerum exemplar ludibrio habere & inſectari non dubitarit. Oportuerat autem,

Καῖσαρ, ὑπομνῆσαί σε τῶν δακρύων ἐκείνων, ἃ τότε ἀφῆκας, ἀκροώμενος τῶν ὑπομνημάτων, ὅσα πεποίηται περὶ τῶν ἐμῶν πράξεων. Ἀλλ' ὁ Πομπήϊος ἐπῆρέ σε μετὰ τοῦτο, κολακευθεὶς μὲν παρὰ τῶν πολιτῶν τῶν ἑαυτοῦ, γενόμενος δὲ οὐδεὶς οὐδαμοῦ. Τὸ μὲν γὰρ ἀπὸ Λιβύης θριαμβεῦσαι, οὐ μέγα ἔργον, ὀνομαστότατον ἐποίησεν ἡ τῶν τότε ὑπάτων μαλακία. τὸν δουλικὸν δὲ ἐκεῖνον πόλεμον, οὐδὲ πρὸς ἄνδρας γενόμενον, ἀλλὰ πρὸς τοὺς χειρίστους τῶν οἰκετῶν, ἄλλοι μὲν κατειργάσαντο, Κράσσος καὶ Λούκιος, τὸ ὄνομα δὲ, καὶ τὴν ἐπιγραφὴν εἶχε Πομπήϊος. Ἀρμενίαν δὲ καὶ τὰ πρόσοικα ταύτης, κατεπολέμησε Λεύκολλος, ἐθριάμβευσε δὲ ἀπὸ τούτων Πομπήϊος. εἶτα ἐκολάκευσαν αὐτὸν οἱ πολῖται, καὶ μέγαν ὠνόμασαν, ὄντα τίνος τῶν πρὸ ἑαυτοῦ μείζονα; Τί γὰρ τοσοῦτον ἐκείνῳ ἐπράχθη, ἡλίκον Μαρίῳ, ἢ Σκιπίωσι τοῖς δύω, ἢ τῷ παρὰ τὸν Κυρῖνον τουτονὶ Φουρίῳ; ὃς μικροῦ συμπεσοῦσαν τὴν τούτου πόλιν ἀνέστησεν. Οὗτοι γὰρ οὐκ ἀλλοτρίοις ἔργοις, ὥσπερ ἐν πολιτικαῖς οἰκοδο-

Cæſar, te lacrymarum illarum recordari, quas fudiſti, cum audires monumenta in rerum à me geſtarum memoriam excitata. Sed eò te, credo, Pompeius extulit, cui plurimùm cives ſui ſunt aſſentati, qui tamen in omni ratione vir nihili fuit. Quod enim triumphum egerit de Lybia, non admodùm egregium facinus, clariſſimum eum fecit Conſulum, qui tunc erant deſidia & vecordia. Illud vero ſervile bellum non contra viros geſtum, ſed contra mancipia deterrima, Craſſus & Lucius confecerunt, gloriam vero & titulum confecti belli Pompeius reportavit. Armeniam autem & proximas regiones devicit Lucullus: de his vero triumphavit Pompeius. Deinde ipſi adulati cives ejus, Magnum cognominaverunt, quolibet eorum, qui ante eum fuerunt, longe inferiorem. Quid enim comparandum fecit rebus Marii, aut duorum Scipionum, aut Furii, qui proximè ad hunc Romulum accedit, quippe cujus civitatem, pene funditus everſam, & dirutam extulit & erexit? Non enim ſicut in ædificationibus, quæ publicis impenſis fiunt, accedit, quibus, aliorum opera &

d 2 ſumptu

οἰκοδομίαις καὶ δαπανήμασιν, ὑπ' ἄλλων
καταβληθείσαις καὶ ἐπιτελεσθείσαις, ἕτε-
ρος ἄρχων ἐπεγράφη μικρᾷ κονιάσας
τὸν τοῖχον, οὕτω ταῖς ἀλλοτρίαις ἐπεγρά-
φησαν πράξεσιν· ἀρχιτέκτονες δὲ αὐτοὶ,
καὶ δημιουργοὶ γενόμενοι, τῶν καλλίστων
ἠξιώθησαν ὀνομάτων. Οὐδὲν οὖν θαυμα-
στὸν, εἰ κεκράτηκας Πομπηΐου, δακτύλῳ
κινουμένου, καὶ τὰ ἄλλα ἀλώπεκος μᾶλλον,
ἢ λέοντος. Επειδὴ γὰρ αὐτὸν ἡ τύχη προὔ-
δωκεν, ἡ τὸν ἔμπροσθεν αὐτῷ χρόνον παρε-
στήκει, ταχέως ἐκράτησας μόνου. καὶ ὅτι
δεινότητι μὲν οὐδὲ μικρᾷ κρείττων ἐγένου, φα-
νερόν· καὶ γὰρ ἐν ἐνδείᾳ γεγονὼς τῶν ἐπι-
τηδείων, (ἔστι δὲ οὐ μικρὸν, ὡς οἶσθα, τοῦτο
ἁμάρτημα στρατηγοῦ) καὶ μάχῃ συμβα-
λὼν ἡττήθης. Εἰ δὲ Πομπήϊος, ὑπ' ἀφρο-
σύνης τε καὶ ἀνοίας, ἢ τοῦ μὴ δύνασθαι τῶν
πολιτῶν ἄρχειν, οὐδὲ ἡνίκα ἔδει τρίβειν τὸν
πόλεμον, ὑπερετίθετο τὴν μάχην, οὔτε νι-
κῶν ἐπεξῄει, ὑπὸ τοῖς οἰκείοις ἁμαρτή-
μασι, καὶ οὐχ ὑπὸ τοῖς σοῖς ἐσφάλη στρα-
τηγήμασι. Πέρσαι δὲ καλῶς καὶ φρονίμως
πανταχοῦ παρεσκευασμένοι, πρὸς τὴν

ἡμε-

ſumptu ad exitum perductis, opus alterius, qui ei præeſt, nomine inſcribitur, licet in ejus confectione minimum laboris impenderit, ita iſti aliena egregia facta ſibi adſcripſerunt. Sed cùm illi ipſi architecti & publici operarii extitiſſent, pulcherrima meritò ſunt conſecuti nomina. Nihil igitur mirum, ſi Pompeium ſuperaſti digito ſcalpentem caput, & propius vulpis mores referentem, quàm leonis. Nam poſtquam illum Fortuna prodidit, quæ prius illi faverat, quamprimum & facillime eum Fortunæ ope & præſidio deſtitutum viciſti. Te vero nulla tua præcipua virtute aut fortitudine victoria potitum, manifeſtum eſt. Cum enim rerum neceſſariarum inopia premereris, in quo eſt, ſcis, non leve ducis peccatum, pugnam conferens, victus es. Quod ſi Pompeius dementia ſua, aut imprudentia, ſeu quod ſuos ſibi dicto audientes præſtare non potuit, ſive quando oportebat prælium inire, diſtulit, ſive vincere non perſtitit, ſua quidem ille culpa, non tua prudenti belli adminiſtratione, & imperatoriis conſiliis concidit. Perſæ vero ab omni re parati, & prudenter inſtructi, ſub poteſta-

ἡμετέραν ἀλκὴν ἐνέδοσαν. ἐπεὶ δὲ, οὐ τὸ
πράττειν ἁπλῶς, ἀλλὰ καὶ τοῦ τὰ δίκαια
πράττειν, ἄνδρα ἄριστον, καὶ βασιλέα
προσήκει μεταποιεῖσθαι, ἐγὼ μὲν ὑπὲρ τῶν
Ἑλλήνων τοὺς Πέρσας ἀπῄτησα δίκην, καὶ
τοὺς Ἑλληνικοὺς πολέμους ἐπανειλόμην,
οὐχὶ τὴν Ἑλλάδα λυπεῖν βουλόμενος, ἀλ-
λὰ τοὺς κωλύοντάς με διαβαίνειν, καὶ δί-
κας ἀπαιτεῖν τὸν Πέρσην ἐπικόπτων. σὺ δὲ
τοὺς Γερμανοὺς, καὶ Γαλάτας καταπολεμή-
σας, ἐπὶ τὴν πατρίδα τὴν σεαυτοῦ παρα-
σκευαζόμενος, οὗ τί γένοιτ᾽ ἂν χεῖρον ἢ
μιαρώτερον; Ἐπειδὴ δὲ ὥσπερ διασύρων
τῶν μυρίων ἐμνημόνευσας Γραικῶν, ὅτι
μὲν καὶ ὑμεῖς ἐντεῦθεν γεγόνατε, καὶ τὰ
πλεῖστα τῆς Ἰταλίας ᾤκησαν οἱ Γραικοὶ,
καίπερ εἰδὼς, ὅμως οὐ παραδέχομαι.
Τούτων δὲ αὐτῶν ὀλίγον ἔθνος, Αἰτωλοὺς
λέγω, τοὺς παροικοῦντας ὑμῖν, οὓς φίλους
ἔχειν καὶ συμμάχους ἐποιήσασθε περὶ πολ-
λοῦ, πολεμωθέντας δὲ ὑμῖν, ὕστερον δι᾽ ἃς
δή ποτε αἰτίας οὐκ ἀκινδύνως ὑπα-
κούειν ὑμῖν ἠναγκάσατε; Εἰ δὲ πρὸς τὸ
γῆρας, ὡς ἂν εἴποι τις, τῆς Ἑλλάδος, καὶ οὐδὲ

πάσης,

eſtatem noſtram venerunt. Quoniam verò non ſolum res gerere, ſed etiam in rebus agendis virum probum & regem, æqui juſtique rationem ducere oportet, ego Græcorum nomine pœnas à Perſis repetii, & omnia bella civilia è Græcia profligavi. Neque vero Græciam unquam damno afficere in animo habui, ſed eos qui me ulteriùs progredi, & pœnas à Perſis repoſcere prohibebant, ſtegi, & comminui. Tu verò Germanos & Gallos bello domuiſti, inde te adverſus patriam accingens, quo quid deteſtabilius & magis impium eſt? Quando verò, tanquam per riſum, in mentionem decem millium Græcorum incurrens meminiſti, vos inde originem ducere, & quamplurimas Italiæ regiones Græcos habitaſſe, quamvis ſciens non moror. Horum vero parvam gentem, Ætolos dico, qui veſtram Italiam contingunt, magni duxiſtis amicos habere, & ſocios adjungere. Poſtquam vero vobis in bello ſtrenuam navaverunt operam, quibus tandem de cauſis imperio veſtro parere non ſine magno veſtro malo & periculo coëgiſtis? Quod ſi Græcia jam tum, ut vere dixerit aliquis, ad

πάσης, ἀλλ' ἔθνους μικροῦ, ἡνίκα ἤκμαζε
τὸ ἑλληνικὸν οὐδ' ὅτι ἐστὶ γιγνωσκόμενον, μι-
κροῦ δέω φάναι, μόγις ἠρκέσατε, τίνες ἂν
ἐγένεσθε εἰ πρὸς ἀκμάζοντας καὶ ὁμονοοῦν-
τας τοὺς Ἕλληνας, πολεμεῖν ὑμᾶς ἐδέησεν;
ἐπεὶ καὶ Πύρρου διαβάντος ἐφ' ὑμᾶς, ἴστε
ὅπως ἐπτήξατε. Εἰ δὲ τὸ Περσῶν κρατῆσαι
μικρὸν νομίζεις, καὶ τὸ τηλικοῦτον ἔργον δια-
σύρεις ὀλίγης πάνυ τῆς ὑπὲρ Τίγρητα πο-
ταμὸν, ὑπὸ Παρθυαίων βασιλευομένης
χώρας, ἔτη πλέον ἢ τριακόσια πολεμοῦν-
τες, λέγε μοι δι' ἣν αἰτίαν οὐ κατεκρατή-
σατε; βούλει σοι φράσω; τὰ Περσῶν ὑμᾶς
εἶρξε βέλη. Φρασάτω δέ σοι περὶ αὐτῶν
Ἀντώνιος, ὁ παιδοτριβηθεὶς ἐπὶ στρατη-
γίᾳ παρὰ σοῦ. Ἐγὼ δὲ οὐδὲ ἐν ὅλοις ἐνιαυ-
τοῖς δέκα πρὸς τούτους καὶ Ἰνδῶν γέγονα
κύριος. Εἶτά μοι τολμᾷς ἀμφισβητεῖν,
ὃς ἐκ παιδαρίου στρατηγῶν ἔργα ἔπραξα
τηλικαῦτα, ὥστε τὴν μνήμην, καίπερ οὐκ
ἀξίως ὑπὸ τῶν συγγραφέων ὑμνηθέντων,
συμπαραμένειν τῷ βίῳ, καθάπερ τὰ τοῦ
Καλλινίκου τοῦ ἐμοῦ βασιλέως, οὗ θεράπων
ἐγὼ καὶ ζηλωτὴς ἐγενόμην. Ἀχιλλεῖ δὲ μὲν
ἀμιλ-

ſenectutem vergente (non univerſæ) ſed ejus parvæ, & ne ſtantibus quidem Græcorum opibus quænam eſſet cognitæ, nationi, parum abeſt quin viſi ſitis, vix ſufficere, quales fuiſſetis, ſi cum Græcis concordibus & florentibus eorum rebus, vos dimicare oportuiſſet? cum præterea etiam Pyrrho in Italiam trajiciente, quanto terrore perculſi fueritis, recordari poteſtis. Quoniam verò Perſas ſuperaſſe tam parvi facis, & hoc tantum opus verbis extenuas, parva admodum ad Tigrim fluvium in Parthorum ditione poſita provincia, trecentis jam amplius dimicantes annis, quæſo, cur ad hoc uſque tempus potiti non eſtis? Vis tibi dicam? Perſarum tela vobis obſtiterunt. Dicat tibi Antonius, qui tyrocinium militiæ ſub te fecit, quantum Perſæ viribus pollent. Ego vero Indos, una cum illis, non totis decem annis, ditioni meæ ſubjeci. Deinde mecum contendere audes, qui ab ineunte ætate ducis munere fungens, tot tantaque geſſi, ut eorum memoria, quamvis non ſatis ea pro merito ſcriptores ornent, & laudibus efferant, mihi ſuperſtes permaneat, inſtar rerum ab Hercule, rege meo, geſtarum, quem colui, & imitatus ſum. Poſtremo Achilli gene-

ἁμιλλώμενος τῷ προγόνῳ, Ηρακλέα δὲ θαυμάζων, καὶ ἑπόμενος, ἅτε δὴ καὶ ἴχνος θεοῦ ἄνθρωπος. Οσα μὲν οὖν ἐχρῆν, ὦ θεοὶ, πρὸς τοῦτον ἀπολογήσασθαι, καί τοι κρεῖττον ἦν ὑπερϊδεῖν αὐτοῦ, εἴρηται. Εἰ δέ τι πικρὸν ὑφ' ἡμῶν ἐπράχθη, οὔτι παντάπασιν εἰς ἀναιτίους ἀνθρώπους, ἀλλὰ ἢ πολλάκις καὶ ἐπὶ πολλοῖς προσκρούσαντας, ἢ τῷ καιρῷ μὴ καλῶς μηδὲ πρεπόντως χρησαμένους. Ηκολούθησε γοῦν, ἐπὶ μὲν τοῖς διὰ τὸν καιρὸν ἐξαμαρτηθεῖσιν, ἡ μεταμέλεια, σώφρων πάνυ, καὶ τῶν ἐξημαρτηκότων σώτειρα δαίμων· τοῦ δὲ ὥσπερ φιλοτιμουμένους, ἐπὶ τῷ πολλάκις ἀπεχθάνεσθαι καὶ προσκρούειν, οὐθὲν ᾤμην ἄδικον ποιεῖν κολάζων.

Επεὶ δὲ εἴρητο καὶ τούτῳ στρατιωτικώτερος ὁ λόγος, ἐπὶ τὸν Οκταβιανὸν τὴν ὑδρίαν ἔφερεν ὁ Ποσειδῶνος θεράπων, ἐπιμετρῶν αὐτῷ τοῦ ὕδατος ἔλασσον, διὰ τὸν καιρὸν, ἄλλως τε καὶ μνησικακῶν αὐτῷ τῆς εἰς τὸν θεὸν ὑπερηφανίας· καὶ ὃς ἐπειδὴ συνῆκεν ὑπὸ ἀγχινοίας ἀφεὶς τὸ λέγειν τι περὶ τῶν ἀλλοτρίων·

Εγὼ,

generis mei authori, nulla in re cedo: & Herculis, quem ego ſemper ſum vehementer admiratus, quoad hominem Dei licet, veſtigia proximè ſubſequor. Hæc igitur habui, ô Dii, quæ pro mei adverſus hunc defenſione dicerem, quamvis conſultius feciſſem, ſi eum contemptum & deſpectum dimiſiſſem. Quod ſi aliquid acerbi à nobis perpetratum eſt, id non contra omnino culpæ inexpertes, ſed partim contra eos, qui ſæpius & in multis me offenderant, partim qui tempore non aptè & convenienter uſi fuerant. In hos igitur commiſſa, qui non habita temporis ratione deliquerant, ſecuta eſt pœnitentia, prudens valde, & eorum qui erraverunt & lapſi ſunt, ſervatrix Dea: alios autem tanquam æmulos, poſtquam ſæpiùs inimico animo egerant, & me appetierant, cùm ulciſcebar, nihil me iniquum facere exiſtimabam.

Hâc oratione planè militari habita, ad Octavianum Neptuni miniſter clepſydram detulit, eique quam minimum potuit aquæ diſtribuit, oblata occaſione alioquin ad memoriam revocans ejus in Deum ſuperbiam. Quæ cum ille pro animi ſolertia & ſagacitate animadverteret, de aliis verba facere prætermittens:

Ἐγὼ, εἶπεν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ, τὸ διασύρειν μὲν τὰ τῶν ἄλλων ἔργα καὶ μικρὰ ποιεῖν ἀφέξομαι, περὶ δὲ τῶν ἐμαυτοῦ, τὸν πάντα ποιήσομαι λόγον. Νέος προέστην τῆς ἐμαυτοῦ πόλεως, ὥσπερ ὁ γενναῖος οὗτος Ἀλέξανδρος· κατώρθωσα δὲ Γερμανικοὺς πολέμους, ὥσπερ ὁ ἐμὸς πατὴρ οὑτοσὶ Καῖσαρ, συμπλακεὶς δὲ τοῖς ἐμφυλίοις ἀγῶσιν, Αἴγυπτον μὲν περὶ τὸ Ἄκτιον καταναυμαχήσας· Βροῦτον δὲ καὶ Κάσσιον περὶ τοὺς Φιλίππους καταπολεμήσας, καὶ τὸν Πομπηΐου παῖδα Σέξτον, πάρεργον ἐθέμην τῆς ἐμαυτοῦ στρατηγίας. Οὕτω δὲ παρέσχον ἐμαυτὸν τῇ φιλοσοφίᾳ χειροήθη, ὥστε καὶ τῆς Ἀθηνοδώρου παρρησίας ἠνεσχόμην οὐκ ἀγανακτῶν, ἀλλ' εὐφραινόμενος ἐπ' αὐτῇ, καὶ τὸν ἄνδρα καθάπερ παιδαγωγὸν, ἢ πατέρα μᾶλλον αἰδούμενος. Ἄρειον δὲ καὶ φίλον καὶ συμβιωτὴν ἐπιγράφομαι, καὶ ὅλως οὐδέν ἐστιν ὑφ' ἡμῶν εἰς τὴν φιλοσοφίαν ἁμαρτηθέν. ὑπὸ δὲ τῶν ἐμφυλίων στάσεων τὴν Ῥώμην ὁρῶν εἰς ἔσχατον ἐλαύνουσαν πολλάκις κίνδυνον, οὕτω διεθέμην τὰ περὶ αὐτὴν, ὥστε εἶναι δι' ὑμᾶς, ὦ θεοὶ,

Ego quidem, Iupiter (inquit) & Dii, de aliorum rebus geſtis detrahere, aut ea dicendo verbis extenuare abſtinebo, & in rerum à me geſtarum commemoratione tota mea verſabitur oratio. Adoleſcens civitati meæ præfui, ſicut hic generoſus Alexander. Bella verò Germanica & Gallica, ad Cæſaris hujuſcemodi patris mei exemplum, feliciter confeci. Implicatus autem bellis civilibus, Ægyptum apud Actium pugna navali ſuperavi. Brutum & Caſſium prælio apud Philippos devici: atque hujuſce meæ expeditionis Sextum, Pompeii filium, acceſſionem quandam operis mihi conſtitui Ita verò me Philoſophiæ obſequentem præbui, ut Athenodori loquendi libertatem, tantum abeſt, ut graviter moleſteque tulerim, ut ex ea modeſtior evaſerim, & hominem haud ſecus quam pædagogum, imo quam patrem ſim reveritus. Quin Arium in amicorum & familiarium meorum numerum aſcribo. Et in ſumma nihil à me in Philoſophiam eſt peccatum. Bellis verò civilibus ſæpenumero in extremum diſcrimen adductam rem Romanam ſic compoſui, firmavique, ut in poſterum, ô Dii,

ὦ θεοὶ, τὸ λοιπὸν ἀδαμαντίνην. Οὐ γὰρ ταῖς ἀμέτροις ἐπιθυμίαις εἴκων, ἐπικτᾶσθαι πάντως αὐτῇ διενοήθην, ὅρια δὲ διττὰ, ὥσπερ ὑπὸ τῆς φύσεως ἀποδεδομένα, Ἴστρον καὶ Εὐφράτην ποταμοὺς ἐθέμην. εἶτα ὑποτάξας τὸ Σκυθῶν καὶ Θρακῶν ἔθνος, ἐπιμετροῦντων ὑμῶν τῆς βασιλείας μοι τὸν χρόνον, οὐ πόλεμον ἄλλον ἐξ ἄλλου περισκόπουν, ἀλλὰ εἰς νομοθεσίαν, καὶ τὴν ἐκ τοῦ πολέμου συμφορῶν ἐπανόρθωσιν, τὴν σχολὴν διεπεθέμην, οὐδένος νομίζων τῶν πρὸ ἐμαυτοῦ χεῖρον βεβουλεῦσθαι, μᾶλλον δὲ, εἰ χρὴ θαῤῥήσαντα φάναι, κρεῖσσον τῶν πώποτε τηλικαύτας ἡγεμονίας ἐπιτετολμησάντων. Οἱ μὲν γὰρ ταῖς στρατηγίαις ἐναπέθανον, ἐξὸν λοιπὸν καὶ μὴ στρατεύεσθαι, πολέμους ἐκ πολέμων ἑαυτοῖς, ὥσπερ οἱ φιλοπράγμονες δίκας μελετῶσι, κατασκευάζοντες. Οἱ δὲ, καὶ πολεμούμενοι τῇ τρυφῇ προσεῖχον, οὐ μόνον τῆς μετὰ ταῦτα εὐκλείας, τὴν αἰσχρὰν τρυφὴν προτιμῶντες, ἀλλὰ καὶ τῆς σωτηρίας

ô Dii, noſtra opera adamantina fuerit. Nec enim immoderatis cupiditatibus morem gerens, omnia undique parare, & dominio ejus adjungere ſuſcepi: ſed duos imperio noſtro limites, tanquam à Natura fixos & datos, Iſtrum & Euphratem ſtatui. Deinde repreſſis & domitis Thracum & Scytharum gentibus, vobis mihi largientibus imperii tempus ſatis diuturnum, non bellum aliud ex alio ſum commentatus: ſed in juris deſcriptione, & eorum, quæ bellis civilibus depravata erant, correctione, otium traduxi. Qua in re ita me geſſi, ut non deterius me publicæ utilitati conſuluiſſe exiſtimem, quàm quiſquam alius eorum, qui ante me fuerunt: imo melius, ſi verum audacter dicere oportet, quam omnes, qui unquam hujuſmodi imperia geſſerunt & gubernarunt. Alii enim in exercituum adminiſtrationibus obierunt, & cum liceret in poſterum à militia quietem agere, bella tamen ex bellis, non ſecus quam litigioſi homines lites meditantur & excogitant, ſibi præpararunt. Alii vero ad bellum incitati, ſe totos ad voluptatem & vitæ luxum contulerunt, turpesq; illecebras & mollitiem, non ſolum gloriâ, quæ ex bello quæritur, ſed etiam propria ſalute potiorem

ρίας αὐτῆς. Ἐγὼ μὲν οὖν ταῦτα διανοούμενος, οὐκ ἀξιῶ τοῦ χείρονος ἐμαυτὸν μερίδος. ὅ,τι δ' ἂν ὑμῖν, ὦ θεοὶ, φαίνηται, τοῦτο εἰκός ἐστιν ἐμὲ δήπουθεν στέργειν.

Δίδοται τοίνυν μετὰ τοῦτο τῷ Τραϊανῷ τοῦ λέγειν ἐξουσία. ὁ δὲ, καίπερ δυνάμενος λέγειν (ὑπὸ ῥαθυμίας ἐπιτρέπειν γὰρ εἰώθει τὰ πολλὰ τῷ Σούρᾳ γράφειν ὑπὲρ αὐτοῦ) φθεγγόμενος μᾶλλον ἢ λέγων, ἐπεδείκνυεν αὐτοῖς, τό, τε Γετικὸν, καὶ τὸ Παρθικὸν τρόπαιον. ᾐτιᾶτο δὲ τὸ γῆρας, ὡς οὐκ ἐπιτρέψαν αὐτῷ τοῖς Παρθικοῖς πράγμασιν ἐπεξελθεῖν. καὶ ὁ Σειληνὸς, ἀλλ', ὦ μάταιε, ἔφη, εἴκοσι βεβασίλευκας ἔτη, Ἀλέξανδρος δὲ οὑτοσὶ δώδεκα. τί οὖν ἀφεὶς αἰτιᾷ τῆς σαυτοῦ τρυφῆς, τὴν τοῦ χρόνου μέμφῃ στενότητα; παροξυνθεὶς οὖν ὑπὸ τοῦ σκώμματος (οὐδὲ γὰρ ἦν ἔξω τοῦ δύνασθαι ῥητορεύειν, ὑπὸ δὲ τῆς φιλοποσίας, ἀμβλύτερος ἑαυτοῦ πολλάκις ἦν,) Ἐγὼ δὲ, εἶπεν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ, τὴν ἀρχὴν παραλαβὼν ναρκῶσαν ὥσπερ, καὶ διαλελυμένην, ὑπό τε τῆς οἴκοι πολὺν χρόνον ἐπικρατησάσης

τυραν-

tiorem duxerunt. Quæ cum ego animo perluſtro & conſidero, non infimo me loco dignum reputo. Quicquid tamen, ô Dii, vobis æquum viſum fuerit, illud me amplecti par eſt.

Poſt hunc data eſt Trajano dicendi poteſtas. Hic quamvis dicendo valeret (ſolebat enim propter ignaviam, in mandatis dare Suræ, ut quam plurima ſuo nomine oratione ornaret:) tamen reſonans potius, quam loquens, Diis ſua de Parthis & Getis parta trophæa demonſtrabat. Tum etiam ſenectutem ſuam incuſabat, tanquam ſe bellum Parthicum ad extremum uſque exequi non conceſſiſſet. Cui Silenus: Stulte, tu quidem viginti annis imperio præfuiſti, & hic Alexander ſolum duodecim. Cur igitur omittens tuam ignaviam increpare, in temporis anguſtias culpam rejicis? Quo ſcommate ira accenſus, nec enim omnino dicendi facultate carebat, ſed propter vinolentiam ſæpenumero hebetior erat. Ego ſanè, ô Iupiter, inquit, & Dii, quaſi torpentem rempublicam, & diſſipatam, tum domeſtica tyrannide, qua multo tempore oppreſſa fuerat,

tum

τυραννίδος, καὶ τῆς τῶν Γετῶν ὕβρεως, μόνος ὑπὲρ τὸν Ἴστρον ἐτόλμησα προσβάλλειν ἔθνη· καὶ τὸ Γετῶν ἔθνος ἐξεῖλον, οἳ τῶν πώποτε μαχιμώτατοι γεγόνασιν, οὐχ ὑπὸ ἀνδρείας μόνον τοῦ σώματος, ἀλλὰ καὶ ἐξ ὧν ἔπεισεν αὐτοὺς ὁ τιμώμενος παρ' αὐτοῖς Ζάμολξις. οὐ γὰρ ἀποθνήσκειν, ἀλλὰ μετοικίζεσθαι νομίζοντες, ἑτοιμοτέρους αὐτοὺς ποιοῦσιν, οἱ τὰς ἀποδημίας ἀπομένουσιν. Ἐπράχθη δέ μοι τὸ ἔργον τοῦτο, ἐν ἐνιαυτοῖς εἴσω που πέντε. πάντων δὲ ὅτι τῶν πρὸ ἐμοῦ γεγονότων αὐτοκρατόρων ὤφθην τοῖς ὑπηκόοις πρᾳότατος, καὶ οὔτε Καῖσαρ οὑτοσὶ περὶ πάντων ἀμφισβητήσειεν ἄν μοι, οὔτε ἄλλος οὐδὲ εἷς, δῆλον ἐστὶ που. πρὸς Παρθυαίους δὲ, πρὶν μὲν ἀδικεῖσθαι παρ' αὐτῶν, οὐκ ᾠόμην δεῖν χρῆσθαι τοῖς ὅπλοις, ἀδικοῦσι δὲ ἐπεξῆλθον, οὐδὲν ὑπὸ τῆς ἡλικίας κωλυθεὶς, καίτοι διδόντων μοι τῶν νόμων τὸ μὴ στρατεύεσθαι. τούτων δὴ τοιούτων ὄντων, ἆρ' οὐχὶ τιμᾶσθαι καὶ πρὸ τῶν ἄλλων εἰμὶ δίκαιος; πρᾶος μὲν πρὸς τοὺς ὑπηκόους, φοβερὸς δὲ πρὸς τοὺς πολεμίους διαφερόντως

tum Getarum contumelia ſuſcipiens, ſolùs Iſtri accolas aggredi ſum auſus. Et Getarum quidem gentem penitus everti & delevi. Sunt autem illi omnium, qui uſquam ſunt, bellicoſiſſimi, cùm quod corporis robore plurimum valent, tum etiam maximè propter eam, quam eorum animis defixit, opinionem, qui apud ipſos colitur Zamolxis. Etenim cum planè confirmatum habeant, ſe non omnino interire, ſed alio ad habitandum traduci, multo ſunt paratiores ad ſubeunda pericula, quippe qui migrationem prſtolentur, & exſpectent. Et hoc quidem tantum opus annis fere quinq; confeci. Me vero omnium ante me Imperatorum manſuetiſſimum & leniſſimum populis mihi parentibus viſum fuiſſe, manifeſtū eſt: neque hujuſce laudis mihi, Cæſar hic, qui in eo genere reliquis omnibus excellit, nec quiſquam alius controverſiam moverit. Parthos autem, priuſquam ab his injuriâ affectus eſſem, armis violandos non exiſtimavi: ut vero injuriam intulerunt, non me ætas ingraveſcens, etiam tum legibus mihi militiæ vacuationem concedentibus, ab iis invadendis revocavit. Quæ cum ita ſint, nunquid ante alios honore affici dignus ſum, qui ſubjectis manſuetus, & hoſtibus formidoloſus præ cæteris
extiti,

ρόντως γινόμενος, αἰδεσθεὶς δὲ καὶ τὴν ὑμετέραν ἔγγονον φιλοσοφίαν;

Τοιαῦτα ὁ Τραϊανὸς εἰπὼν, ἐδόκει τῇ πρᾳότητι πάντων κρατεῖν, καὶ δῆλοί πως ἦσαν οἱ θεοὶ μάλιστα ἡσθέντες ἐπὶ τούτῳ. Τοῦ Μάρκου δὲ ἀρχομένου λέγειν, ὁ Σειληνὸς ἠρέμα πρὸς τὸν Διόνυσον, Ἀκούσωμεν, ἔφη, τοῦ Στωϊκοῦ τούτου, τί ποτε ἄρα τῶν παραδόξων ἐκείνων ἐρεῖ καὶ τερασίων δογμάτων. ὁ δὲ ἀποβλέψας πρὸς τὸν Δία, καὶ τοὺς θεοὺς,

Ἀλλ' ἔμοιγε, εἶπεν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ, λόγων οὐδὲν δεῖ καὶ ἀγῶνος. Εἰ μὲν γὰρ ἠγνοεῖτε τἀμὰ, προσῆκον ἦν ἐμὲ διδάσκειν ὑμᾶς. ἐπεὶ δὲ ἴστε καὶ λέληθεν ὑμᾶς τῶν ἁπάντων οὐδὲν, αὐτοί μοι τιμᾶτε τῆς ἀξίας. Ἔδοξε δὴ οὖν ὁ Μάρκος, τάτε ἄλλα θαυμάσιός τις εἶναι, καὶ σοφὸς διαφερόντως, ἅτε οἶμαι διαγινώσκων, λέγειν τε ὅπου χρὴ, καὶ σιγᾶν ὅπη καλόν. Τῷ Κωνσταντίνῳ μετὰ τοῦτον λέγειν ἐπέτρεπον. Ὁ δὲ πρότερον μὲν ἐθάῤῥει τὴν ἀγωνίαν. ὡς δὲ ἀποβλέπων εἰς τὰ τῶν ἄλλων ἔργα, μικρὰ παντάπασιν εἶδε τὰ ἑαυτοῦ· δύο γὰρ τυράννους, (εἴγε χρὴ τ' ἀληθῆ φάναι) καθηρήκει·

extiti, & philoſophiam veſtram progeniem colui & obſervavi?

Hæc ubi Traianus dixit, reliquos omnes clementia ſuperare exiſtimatus eſt, qua re præcipue Dii delectari videbantur. Marco vero incipiente dicere, Silenus ſubmiſſa voce ad Dionyſium: Audiamus, inquit, hunc Stoicum, quid tandem ex illis paradoxis & mirabilibus opinionibus proferet. At ille in Iovem Deoſque intuitus:

Nihil mihi, ô Iupiter & Dii, opus eſt ſermone, aut contentione. Etenim ſi mea facta ignoraretis, ea me vos docere decorum eſſet: ſed quoniam vobis nota ſunt, neque quicquam omnium vos latet, ipſi mihi honorem tribuite, quem mereor. Tum Marcus viſus eſt, cætera plane admirandus vir, ſed præcipue prudentia excellere, tanquam, credo, qui probe noſſet, ubi tacere, vel loqui deceret. Poſt hunc, Conſtantinum, ut diceret, admonuerunt. Atque ille primum quidem fidenti animo in certamen prodibat. Veruntamen in aliorum opera intuenti, ſua ſibi parva prorſus, & nullius pretii viſa ſunt. Duos enim tyrannos, ſi verum dicere oportet, de medio ſuſtulerat;

εἰρήκει· τὸν μὲν ἀπόλεμόν τε καὶ μαλακόν, τὸν δε, ἀθλιόντε καὶ διὰ τὸ γῆρας, ἀμφοτέρω δὲ θεοῖς τε καὶ ἀνθρώποις ἐχθίστω. Τά γε μὴν εἰς τοὺς Βαρβάρους ἦν αὐτοῦ γελοῖα· φόρους γὰρ ὥσπερ ἐτετελέκει, καὶ πρὸς τὴν τρυφὴν ἀφεώρα. πόῤῥω δὲ εἱστήκει τῶν θεῶν, περὶ τὰ αὐτοῦ πρόθυρα τῆς σελήνης· ἐρωτικῶς τε οὖν εἶχεν αὐτῆς καὶ ὅλως πρὸς ἐκείνην βλέπων, οὐδὲν ἔμελε αὐτοῦ περὶ τῆς νίκης.

Ἐπεὶ δὲ ἐχρῆν καὶ αὐτὸν εἰπεῖν τι, Ταύτῃ τούτων κρείττων, ἔφη, εἰμί· οὗ Μακεδόνος μὲν, ὅτι πρὸς Ῥωμαίους καὶ τὰ Γερμανικὰ καὶ Σκυθικὰ γένη, καὶ οὐχὶ πρὸς τοὺς Ἀσιανοὺς Βαρβάρους ἠγωνισάμην· Καίσαρος δὲ καὶ Ὀκταβιανοῦ, τῷ μὴ, καθάπερ οὗτοι, πρὸς καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς πολίτας στασιάσαι, τοῖς μιαροτάτοις δὲ καὶ πονηροτάτοις τυράννων ἐπεξελθεῖν· Τραϊανοῦ δὲ, τοῖς μὲν κατὰ τῶν τυράννων ἀνδραγαθήμασι εἰκότως ἂν προτιμηθείην· τῷ δὲ ἣν οὗτος προεκτήσατο χώραν ἀναλαβεῖν, ἴσος οὐκ ἂν ἀπεικότως νομιζοίμην, εἰ μὴ καὶ μεῖζόν ἐστι τὸ ἀνακλήσασθαι τοῦ

κτήσα-

ſtulerat ? unum quidem imbellem & ignavum, alterum, præterquam quod afflicta fortuna, etiam ſenectute confectum: utrumque vero Diis hominibusque maxime inviſum. Præterea ejus in Barbaros geſta, erant ipſi parum decora, & ridicula. Tributa enim quodammodo pependerat, & delitias, vitæque luxum ſpectarat. Itaque longo à Diis diſſitus intervallo, hærebat in limine Lunæ, cujus amore tenebatur, totusque in eam intuens, de victoria nihil laborabat.

Ubi vero ipſum dicere oportuit: His ego rebus, inquit, ſum iſtis longe ſuperior: Macedone, quod adverſus Romanos, Germanicas & Scythicas gentes, non cum Aſianis barbaris bello conflixi: Cæſare, & Octaviano, quod mihi res non fuit, ſicut illis, contra probos & virtute præſtantes viros: ſed in crudeliſſimos, & ſceleratiſſimos tyrannos impetum feci. Et Traiano quidem rebus à me in debellandis tyrannis fortiter & proſpere geſtis merito præponi debeo: in quo vero eam quam acquiſierat regionem recuperavi, haud abs re par judicaret, niſi quoque perdita recipere, quàm parare, excellentius

eſt.

κτήσασθαι. Μάρκος δὲ οὕτως σιωπῶν ὑπὲρ αὐτοῦ, πᾶσιν ἡμῖν τῶν πρωτείων ἐξίστατο.

Καὶ ὁ Σειλίωός, ἀλλ' ἢ τοῦ Ἀδώνιδος κήπους ὡς ἔργα ἡμῖν, ὦ Κωνσταντῖνε, ἑαυτοῦ προσφέρεις; τί δέ, εἶπεν, εἰσὶν οὓς λέγεις Ἀδώνιδος κήπους; αἱ γυναῖκες, ἔφη, τῷ τῆς Ἀφροδίτης ἀνδρὶ φυτεύουσι ὀστρακίοις ἐπαμησάμεναι γῆν λαχανίαν. χλωρήσαντα δὲ ταῦτα πρὸς ὀλίγον, αὐτίκα ἀπομαραίνεται· καὶ ὁ Κωνσταντῖνος ἠρυθρίασεν, ἄντικρυς ἐπιγνοὺς τοιοῦτον τὸ ἑαυτοῦ ἔργον. Ἡσυχίας δὲ γενομένης, οἱ μὲν ἐῴκεσαν περιμένειν ὅτῳ θήσονται τὴν ὑπὲρ τῶν πρωτείων οἱ θεοὶ ψῆφον. οἱ δ' ᾤοντο δεῖν τὰς προαιρέσεις εἰς τοὐμφανὲς τῶν ἀνδρῶν προάγειν, καὶ οὐκ ἐκ τῶν πεπραγμένων αὐτοῖς, ὧν ἡ τύχη μετεποιεῖτο τὸ πλεῖστον· καὶ πάντων αὐτῶν καταφορῶσα παρειστήκει, πλὴν Ὀκταβιανοῦ μόνου· τοῦτον δὲ εὐγνώμονα πρὸς αὐτὴν εἶναι ἔλεγεν. ἔδοξεν οὖν τοῖς θεοῖς ἐπιτρέψαι καὶ τοῦτο τῷ Ἑρμῇ. καὶ ἔδοσαν αὐτῷ πρῶτον Ἀλεξάνδρου πυθέσθαι τί νομίσειε κάλλιστον, καὶ πρὸς τί βλέπων ἐργάσαιτο

καὶ

eſt. Marcus vero de ſeipſo tacens, nobis omnibus primũ honoris gradum cedit.

Sed nunquid nobis Adonidis hortos, inquit Silenus, tanquam egregia facinora, ô Conſtantine, jactas & profers? Quinam ſunt, quæſo, inquit, iſti, quos vocas Adonidis hortos? In quibus, ait ille, mulieres Veneris viro, fictilibus injecta terra olerum feraci, ſerunt ea quidem, quæ ubi brevi temporis ſpatio effloruerunt, ſtatim viriditatem amittunt. Hæc audiens Conſtantinus, erubuit: quippe qui hæc adverſus ſua facta, tanquam hujuſmodi eſſent, dici ſatis intelligeret. Facto demum ſilentio, illi quidem exſpectare viſi ſunt, cui Dii ſuo ſuffragio primas partes adjudicarent. Hi vero cenſebant virorum conſilia & animorum motus in apertum proferri oportere: neque ex eorum rebus geſtis de his judicium faciendum, quorum fortuna maximam partem ſibi vendicabat, quæ quidem adfuerat, illos omnes clamore inſectans & explodens, præterquam Octavianum, quem ſolum benevolo in ipſam animo eſſe dicebat. Itaque Diis viſum eſt de hac re Mercurium admonere, eique datum negotium, ut Alexandrum primum ſciſcitaretur, quid exiſtimaret pulcherrimum, & quo præcipue

καὶ πάθοι, πάντα ὅσα ἐδεδράκει τε καὶ ἐπεπόνθει· ὁ δὲ ἔφη, τὸ πάντα νικᾷν. εἶτα, εἶπεν ὁ Ἑρμῆς, Οἴει σοι τοῦτο πεποιῆσθαι; καὶ μάλα, ἔφη ὁ Ἀλέξανδρος· ὁ δὲ Σειληνὸς τωθαστικῶς μάλα γελάσας, Ἀλλὰ ἐκράτουν γέ σου πολλάκις αἱ ἡμέτεραι θυγατέρες, αἰνιττόμενος τὰς ἀμπέλους, τὸν Ἀλέξανδρον οἷα δή τινα μέθυσον καὶ φίλοινον σκώπτων. καὶ ὁ Ἀλέξανδρος ἅτε δὴ γέμων περιπατητικῶν παρακουσμάτων, οὐ τὰ ἄψυχα, ἔφη, νικᾷν, οὐδὲ γὰρ ἀγὼν ἡμῖν πρὸς ταῦτα, ἀλλὰ πᾶν μὲν ἀνθρώπων, πᾶν δὲ θηρίων γένος. καὶ ὁ Σειληνὸς, ὥσπερ οἱ θαυμάζοντες εἰρωνικῶς μάλα, ἰοὺ, ἰοὺ, ἔφη, τῶν διαλεκτικῶν κιγκλίδων· αὐτὸς δὲ ἡμῖν ἐν ποτέρῳ σαυτὸν θήσεις γένει τῶν ἀψύχων ἢ τῶν ἐμψύχων τε καὶ ζώντων. καὶ ὃς, ὥσπερ ἀγανακτήσας, εὐφήμει, ἔφη· ὑπὸ γὰρ μεγαλοψυχίας ὅτι δὴ καὶ θεὸς γενοίμην, μᾶλλον δ' εἴην ἐπεπείσμην. αὐτὸς οὖν, εἶπεν, ἡττήθης σεαυτοῦ πολλάκις ὀργῆς, ἢ λύπης, ἢ τινος τοιού-

ſpectans, eas res quas geſſerat, geſſiſſet, tantosque labores ſuſcepiſſet, quantos ſuſceperat. Ille vero reſpondit; Ut omnia vincerem. Deinde Mercurius: Tene vero putas hoc aſſecutum? Maximè, inquit Alexander. Hîc vero Silenus cum mordaci irriſione: Imo vero ſæpius, inquit, noſtræ filiæ te potentiores extiterunt (vineas obſcurè ſignificans) ſimul & Alexandrum, tanquam ebrietati deditum, & vini amatorem carpens. Cui Alexander, quippe qui præceptis Peripateticorum abundaret, inanimata non vincere, reſpondit. Nullum enim nobis certamen cum illis eſſe, ſed cum hominum, aut brutorum genere. Huic Silenus, vehementer admirantium more valde ſimulanter oh, oh, ô dialecticorum effugia. Te vero an inter inanimata, aut animata, & vitâ fruentia repones? Et ille tanquam indignatus: Bene ominare, inquit; Etenim propter animi magnitudinem me Deum fore, imo eſſe, perſuaſum habui. Tu igitur, inquit, à te ipſo ſæpenumero victus es, cum ira, aut ægritudine, aut alia hujuſmodi perturbatione mentem animumque tuum

 inſir-

τοῦ τὸν νοῦν καὶ τὰς φρένας ἥττω καὶ χείρω ποιήσας. ἀλλ' αὐτὸν ἑαυτοῦ, εἶπεν ὁ Ἀλέξανδρος, κρατεῖν καὶ ἡττᾶσθαι ὁμωνύμως· ἐμοὶ δὲ ἦν ὑπὲρ τῶν πρὸς ἄλλους ὁ λόγος. βαβαὶ τῆς διαλεκτικῆς, εἶπεν, ὅπως ἡμῶν τὰ σοφίσματα διελέγχεις. ἀλλ' ἡνίκα, εἶπεν, ἐν Ἰνδοῖς ἐτρώθης, καὶ ὁ πευκέστης ἔκειτο περὶ σὲ, σὺ δὲ ἐξήγου ψυχορραγῶν τῆς πόλεως, ἆρα ἥττων ἦσθα τοῦ τρώσαντος, ἢ καὶ ἐκεῖνον ἐνίκας; Οὐκ ἐκεῖνον, ἔφη, μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐτὴν ἐξεπόρθουν τὴν πόλιν. οὐ σύ γε, εἶπεν, ὦ μακάριε· σὺ μὲν γὰρ ἔκεισο κατὰ τὸν Ομηρικὸν Εκτορα, ὀλιγοδρανέων καὶ ψυχορραγῶν· οἱ δὲ ἠγωνίζοντο καὶ ἐνίκων. ἡγουμένων ἡμῶν, εἶπεν ὁ Ἀλέξανδρος. καὶ ὁ Σειληνὸς, πῶς σοί γε ἐφέπεσθαι μικροῦ νεκρῷ; εἶτα ᾖδε τὸ ἐξ Εὐριπίδου,

Οἴμοι καθ' Ἑλλάδ' ὡς κακῶς νομίζεται
Ὅταν τρόπαιον πολεμίων στήσῃ στρατός.

Καὶ

infirmiorem, aut imbecilliorem præſtitiſti. Sed aliquem, inquit Alexander, ſeipſum vincere, aut à ſeipſo vinci, æquivoce de uno eodemque dicitur. Mihi vero de victoria, quæ adverſus alios obtinetur, ſermo eſt. Papæ! inquit Silenus, ut noſtras argutias & cavillationes refellis! ſed apud Indos vulneratus, cum te Peuceſtes circunſtabat, tuque animam exhalans, urbe eductus es; utrum, inquam, inferior eo, qui tibi vulnus intulit, extitiſti; an eum etiam viciſti? Neque ſolum ipſum, reſpondit Alexander, ſed & ipſam civitatem quoque dirui. Minimè vero tu beate, inquit, Silenus, quippe jacebas quemaddum Hector ille Homericus, ſenſim deficiens, & animam agens; alii vero pugnabant, & vincebant. Nempe nobis ducibus hoc fiebat, inquit Alexander. Quî fieri poterat, inquit Silenus, ut te ſequerentur, cùm parum abeſſet, quin mortuus eſſes? Deinde ex Euripide hæc cecinit:

Malè quàm poſitum eſt in more apud Græcos,
Cùm exercitus trophæa de hoſtibus ponit.

Καὶ ὁ Διόνυσος, παῦσαι, εἶπεν, ὦ παππίδιον, τοιαῦτα λέγων, μή σε οὗτος, ὁποῖα τὸν Κλεῖτον ἔδρασεν, ἐργάσηται. καὶ ὁ Ἀλέξανδρος ἐρυθριάσας τε ἅμα, καὶ ὥσπερ συγχυθεὶς ὑπὸ τῶν δακρύων τὰ ὄμματα, ἐσιώπα. καὶ οὗτος μὲν ὧδε ἔληξεν ὁ λόγος. ὁ δὲ Ἑρμῆς ἤρετο πάλιν τὸν Καίσαρα, σοὶ δὲ, εἶπεν, ὦ Καῖσαρ, τίς ἐγένετο σκοπὸς τοῦ βίου; τὸ πρωτεύειν, ἔφη, τῶν ἐμαυτοῦ, καὶ μηδένα εἶναι μή τε νομίζεσθαι δεύτερον. τοῦτο, εἶπεν ὁ Ἑρμῆς, ἀσαφές ἐστι, πότερον κατὰ σοφίαν, ἢ τὴν ἐν τοῖς λόγοις δεινότητα, ἢ πολεμικὴν ἐμπειρίαν, ἢ πολιτικὴν δύναμιν; ἦν μὲν, ἔφη ὁ Καῖσαρ, ἡδύ μοι τῶν πάντων ἐν πᾶσιν εἶναι πρώτῳ, τούτου δὲ οὐ δυνάμενος ἐπιτυχεῖν, τὸ δύνασθαι μέγιστον παρὰ τοῖς ἐμαυτοῦ πολίταις ἐζήλωσα. σὺ δὲ, εἶπεν, ἠδυνήθης τὸ μέγα πρὸς αὐτοὺς; ὁ Σειληνός; καὶ ὅς, πάνυ γε, ἔφη· κύριος γοῦν αὐτῶν ἐγενόμην. ἀλλὰ τοῦτο μὲν, εἶπεν, ἐδυνάσθης, ἀγαπηθῆναι δὲ ὑπ' αὐτῶν οὐχ οἷός τε ἐγένου, καὶ ταῦτα πολλὴν ὑποκρινάμενος, ὥσπερ ἐν δράματι καὶ σκηνῇ, φιλανθρωπίαν, αἴσχρως δὲ αὐτοὺς

Ad hæc Dionyſius : Deſine , inquit, ô patercule, iſta loqui , ne te eodem iſte , quo Clitum , malo afficiat. Itaque Alexander erubeſcens ſimul & quodammodo oculis lacrymis ſuffuſis, obmutuit : atque is huic ſermoni finis eſt impoſitus. At Mercurius Cæſarem deinde interrogavit : Tibi verò, inquit , ô Cæſar , quiſnam fuit vitæ propoſitus ſcopus ? Et ille : Primas inter mei temporis homines ferre, neque cuiquam eſſe , aut cenſeri ſecundum. Hoc eſt paulo obſcurius , inquit Mercurius, Utrum enim prudentia, an dicendi facultate , an reipublicæ gubernandæ peritia , an virtute militari præſtare voluiſti ? Cui Cæſar : Ego verò omnes in omni re excellere jucundum ducebam , cujus rei cum compos eſſe non poſſem , quod proximum erat, apud meos cives plurimum poſſe contendi. Plurimumne igitur apud eos valuiſti ? quæſivit Silenus : Maxime, reſpondit Cæſar , quippe queis dominatus ſim. Atque illud quidem aſſecutus es , inquit Silenus : ſed ut ab eis ex animo diligereris , obtinere non potuiſti, licet ad multam humanitatem , ut in fabula & in ſcena, omnibus turpiter adulans, te effinxe-

αὐτοὺς πάντας κολακεύων. εἶτα οὐκ ἀγαπηθῆναι δοκῶ, εἶπεν, ὑπὸ τοῦ δήμου τοῦ διώξαντος Βροῦτον καὶ Κάσσιον; Οὐκ, ἐπειδή σε ἀπέκτειναν, ἔφη· διὰ τοῦτο γὰρ αὐτοὺς ὁ δῆμος ἐψηφίσατο εἶναι ὑπάτους· ἀλλὰ διὰ τὸ ἀργύριον· ἐπειδὴ τῆς διαθηκῶν ἀκροασάμενοι, μισθὸν ἑώρων τῆς ἀγανακτήσεως αὐτοῖς οὐ τὴν τυχοῦσαν προσγεγραμμένον. λήξαντος δὲ καὶ τοῦδε τοῦ λόγου, τὸν Οκταβιανὸν αὖθις ὁ Ερμῆς ἐκίνει. σὺ δὲ, εἶπεν, οὐκ ἐρεῖς ἡμῖν τί κάλλιστον ἐνόμιζες εἶναι; καὶ ὃς, βασιλεύειν, εἶπεν, καλῶς. τί δέ ἐστιν τὸ καλῶς ὦ σεβαστὲ φράσον, ἐπεὶ τοῦτο γε ἐστὶ καὶ τοῖς πονηροτάτοις λέγειν. ᾤετο γοῦν καὶ ὁ Διονύσιος καλῶς βασιλεύειν, καὶ ὁ τούτου μιαρώτερος Αγαθοκλῆς. Αλλ' ἴστε, εἶπεν, ὦ θεοὶ, ὡς προπέμπων τὴν θυγατριδοῦν ηὐξάμην ὑμῖν τόλμαν μὲν αὐτῷ δοῦναι τὴν Καίσαρος, δεινότητα δὲ τὴν Πομπηΐου, τύχην δὲ τὴν ἐμήν. Πολλὰ, εἶπεν ὁ Σειληνὸς, καὶ θεῶν ὄντως σωτήρων ἔργα δέοντα συνεφόρησεν οὗτος ὁ κοροπλάθης. εἶτα ἔφη, διὰ τί τοῦτο τὸ ὄνομά μοι γελοῖον οὕτως ἔθου;

ris & ſimularis. Num, inquit, à populo dilectus videor, qui Brutum & Caſſium ſit perſecutus? Haud equidem propterea quod te occiderant, inquit Silenus: ob id enim populus eos ſuis ſuffragiis creavit Conſules, ſed nummorum gratiâ ſimul atque tuum teſtamentum audierunt, & adſcriptam non vulgarem mercedem ſingulis quibuſque, qui eos odio haberent, perſpexerunt. Poſtquam & hic ſermo quoque finitus eſt, Octavianum deinceps Mercurius interpellabat. Et tu nobis non dicis, quid pulcherrimum eſſe duxeris. Et ille: pulchre imperium adminiſtrare. Quid vero illud eſt, pulchre, explicato, ô Auguſte? inquit Silenus, quandoquidem & idem profiteri peſſimis quibuſque licet. Etenim ſe quoque pulchre regnare exiſtimabat Dionyſius; & illo ſceleratior Agathocles. Sed ſcitis, ait ille, ô Dii, quemadmodum nepotem meum à me dimittens, precibus à vobis contenderim, ut illi tribueretis fortitudinem Cæſaris, gravitatem Pompeii, & meam fortunam. Multa quidem, inquit Silenus, Deorum revera ſalutarium ſimulacra affabre facta congeſſit iſte pupparum effictor. Cur hoc nomen ridiculum, Octavianus ait, mihi impoſuiſti?

ἴθου; Ἢ γὰρ οὐκ ἔπλαττες ἡμῖν, εἶπεν, ὥσπερ ἐκεῖνοι τὰς νύμφας, ὦ σέβαστε, θεούς; ὧν ἕνα καὶ πρῶτον τουτονὶ Καίσαρα. Καὶ ὁ μὲν Ὀκταβιανὸς ὥσπερ δυσωπούμενος ἐσιώπησεν. ὁ δὲ Ἑρμῆς πρὸς τὸν Τραϊανὸν βλέψας, σὺ δὲ, εἶπε, τί διανοούμενος ἔπραττες ὅσαπερ ἔπραξας; τῶν αὐτῶν Ἀλεξάνδρῳ σωφρονέστερον, εἶπεν, ὠρέχθην. καὶ ὁ Σειληνὸς, ἡττήθης οὖν, εἶπε, σὺ τῶν ἀγεννεστέρων. ὁ μὲν γὰρ θυμοῦ τὸ πλεῖστον ἥττων ἦν, σὺ δὲ αἰσχρᾶς ἡδονῆς καὶ ἐπονειδίστου. βάλλ' εἰς μακαρίαν, εἶπεν ὁ Διόνυσος· ἐπισκώπτεις σὺ πάντας αὐτοὺς, καὶ ποιεῖς οὐδὲν ὑπὲρ ἑαυτῶν λέγειν, ἀλλ' ἀπ' ἐκείνων ἔχε σὺ κατὰ χώραν τὰ σκώμματα· πρόσεχε δὲ νοῦν ὅπως ἀντιλήψῃ τοῦ Μάρκου. δοκεῖ γὰρ εἶναί μοι πως ἀνὴρ, κατὰ τὸν Σιμωνίδην, τετράγωνος ἄνευ ψόγου τετυγμένος. Καὶ ὁ Ἑρμῆς βλέψας πρὸς τὸν Μάρκον, σοὶ δε, εἶπεν, ὦ σέβαστε, τί κάλλιστον ἐδόκει τοῦ βίου τέλος εἶναι; καὶ ὃς ἠρέμα καὶ σωφρόνως, τὸ μιμεῖσθαι, ἔφη, τοὺς θεούς. ἔδοξεν μὲν οὖν εὐθέως ἡ ἀπόκρισις οὐκ ἀγεννὴς, ἀλλὰ

καὶ

ſuiſti? Cui ille: Nunquid ô Auguſte, quemadmodum illi Nymphas, tu quoque nobis Deos effinxiſti, quorum unum & primum hunc Cæſarem. Tum Octavianus tanquam pudore ſuffuſus, conticuit. Et Mercurius ad Trajanum converſus: Tu vero fare, quid animo tuo reputans ea geſſeris, quæ geſſiſti? Eadem, inquit ille, quæ hic Alexander, ſed moderatius concupivi. Quare igitur, inquit Silenus, ignobiliſſimis perturbationibus ſuccubuiſtis? ille enim ab ira, tu à turpi & fœdiſſima voluptate victus es. Abi in malam rem, inquit Dionyſius. Tu enim dum eos dicteriis laceſſis, perficis, ut nihil quicquam de ſuis rebus diſſerere poſſint. Sed jam tu ab iſtis irridendis abſtineto, & adverte, qua ratione Marcum culpabis & reprehendes. Videtur enim mihi quodammodo eſſe vir, ſecundum Simonidem, quadratus, & ſine vituperio compoſitus. Et Mercurius in Marcum intuitus: Tibi, inquit, ô venerande, quis pulcherrimus vitæ finis eſſe viſus eſt? Cui ille graviter admodum, & moderate: Deos, inquit, imitari. Viſa eſt ſtatim hæc reſponſio non modo non ignobilis, ſed

καὶ τοῦ παντὸς ἀξία. Ἀλλὰ καὶ ὁ Ἑρμῆς οὐκ
ἐβούλετο πολυπραγμονεῖν, πεπεισμένος
ὅτι πάντα ὁ Μάρκος ἀκολούθως ἐρεῖ. τοῖς
μὲν οὖν ἄλλοις θεοῖς ἐδόκει ταύτῃ· μόνος
δὲ ὁ Σειληνὸς, Ἀλλ' οὐ μὰ τὸν Διόνυσον ἀνέ-
ξομαι τούτου τοῦ σοφιστοῦ· τί δή ποτε γὰρ ἤσθιες,
εἶπε, καὶ ἔπινες, οὐχ ὥσπερ ἡμεῖς ἀμβρο-
σίας τε καὶ νέκταρος, ἄρτου δὲ καὶ οἴνου; Ἀλλ'
ἔγωγε, εἶπεν, οὐχ ᾗπερ οὖν ᾤμην σοῦ θεοὺς
μιμεῖσθαι, ταύτῃ προσεφερόμην σιτία
καὶ ποτά. τὸ σῶμα δὲ ἔτρεφον, ἴσως μὲν,
ψευδῶς, πειθόμενος δὲ ὅτι καὶ τὰ ὑμέτερα
σώματα δεῖται τῆς ἐκ τῶν ἀναθυμιάσεων τρο-
φῆς πλὴν οὐ κατὰ ταῦτά γε ὑμᾶς εἶναι μι-
μητέους, ἀλλὰ κατὰ τὴν διάνοιαν, ὑπέλαβον.
ὀλίγον ὁ Σειληνὸς, ὥσπερ ὑπὸ πύκτου
δεξιοῦ πληγεὶς, Εἴρηται μέν σοι τοῦτο, εἶπε,
τυχὸν οὐκ ἀτόπως, ἐμοὶ δὲ, ἔφη, τοῦτο φρά-
σον, τί ποτε ἐνόμιζες εἶναι τὴν τῶν θεῶν μίμη-
σιν; καὶ ὃς, δεῖσθαι μὲν ἐλαχίστων, εὖ ποιεῖν δὲ
ὡς ὅτι μάλιστα πλείστους. Σὺ μὲν οὖν, εἶπεν,
οὐδενὸς ἐδέου; Καὶ ὁ Μάρκος, ἐγὼ μὲν
οὐδενὸς, ἴσως δὲ τὸ σωμάτιόν μου μικρῶν.
δόξαντος οὖν καὶ τοῦτο ὀρθῶς εἰρηκέναι τοῦ
Μάρκου,

etiam omnia complectens. Neque vero Mercurius quicquam amplius inquirere volebat, quod facile in animum induceret ſuum, omnia Marcum conſentanea reſponſurum. Idem quoque reliquis Diis videbatur. Solus Silenus: Per Dionyſium, inquit, ab hoc ſophiſta non temperabo. Quid enim olim comediſti & bibiſti, non quemadmodum nos ambroſiam & nectar, tu quoque panem & vinum? Sed non, inquit ille, quo Deos imitari me putarem, idcirco cibum & pocula attigi. Corpus quidem meum nutrivi, falſo fortaſſe, ſed tamen perſuaſus vèſtra quoque corpora alimento ab exhalationibus expreſſo indigere. Non tamen hac in re vos imitandos, ſed mente animoque exiſtimavi. Hic parum ſubſiſtens Silenus, tanquam à perito pugile ictus: Hoc fortaſſe, inquit, à te dictum eſt non omnino abſurde: ſed hoc mihi dicito: inquit; Quid quondam exiſtimaſti eſſe Deorum imitationem? At ille: Quam pauciſſimis indigere, & quam plurimis benefacere. Tu vero, inquit Silenus, nulláne re indiguiſti? Ego quidem inquit Marcus, nulla: Hoc vero meum corpus fortaſſe quam pauciſſimis. Quæ cùm

Marcus

Μάρκου, τὸ τέλος ἀπορούμενος ὁ Σειληνὸς ἐπιφύεται τοῖς περὶ τὸν παῖδα, καὶ τὴν γαμετὴν αὐτῷ δοκοῦσιν οὐκ ὀρθῶς οὐδὲ κατὰ λόγον πεποιῆσθαι· τὴν μὲν, ὅτι ταῖς Ἡρωΐναις ἐνέγραψεν, τῷ δὲ, ὅτι τὴν ἡγεμονίαν ἐπέτρεψεν. Ἐμιμησάμην, εἶπε, καὶ κατὰ τοῦτο τοὺς θεούς. Ὁμήρῳ μὲν γὰρ ἐπειθόμην λέγοντι περὶ τῆς γαμετῆς, ὅτι ἄρα ὅστις ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων, τὴν αὐτοῦ φιλέει καὶ κήδεται· περὶ δὲ τοῦ παιδὸς, αὐτοῦ τοῦ Διὸς ἀπόφασιν ἔχων· αἰτιώμενος γὰρ τὸν Ἄρεα, πάλαι ἂν, εἶπεν, ἐβεβλήμην σε τῷ κεραυνῷ, εἰ μὴ, διὰ τὸ παῖδά σε εἶναι, ἠγάπων· ἄλλως τε οὐδὲ ᾤμην τὸν παῖδα πονηρὸν οὕτως ἔσεσθαι. Εἰ δὲ ἡ νεότης ἐφ' ἑκάτερα μεγάλας ποιουμένη ῥοπὰς, ἐπὶ τὸ χεῖρον ἠνέχθη, οὐχὶ πονηρῷ τὴν ἡγεμονίαν ἐπέτρεψα, συνηνέχθη δὲ τὸν λαβόντα πονηρὸν γενέσθαι. τὰ οὖν περὶ τὴν γυναῖκα, πεποίηταί μοι κατὰ ζῆλον Ἀχιλλέως τοῦ θείου, καὶ τὰ περὶ τὸν παῖδα, κατὰ μίμησιν τοῦ μεγίστου Διὸς, ἄλλως τε καὶ οὐδὲν καινοτομήσαντι. Παισί τε γὰρ νόμιμον ἐπιτρέπειν τὰς διαδοχὰς, καὶ τοῦτο

ἅπαντες

Marcus quoque prudenter dixiſſe videretur, tandem animi dubius Silenus, accuſat & urget ea, quæ ſibi videbantur à Marco, quantum ad uxorem & filium, non recte, neque ex ratione geſta: hanc, quod Heroïnis adſcripſit: huic verò, quod imperium commiſit. Et hac quoque in re, inquit, Deos ſum imitatus. Etenim Homero de uxore dicenti obtemperavi: Unumquemque bonum & prudentem virum ſuam uxorem diligere, & magni facere. De filio quoque Iovis ſententiam habeo, qui Martem objurgans: Pridem, inquit, te fulmine præcipitem dediſſem, niſi, quia meus es filius, te amarem. Neque ego alioquin unquam filium meum tam improbum futurum ſuſpicatus ſum. Quod ſi adoleſcentia magnis in utramq; partem inclinationibus agitari ſolita, ad deteriora flexit, nondum ſanè corrupto & depravato imperium demandavi. Contigit autem ipſum poſt acceptum imperium, perverſum fieri. Quæcunq; igitur uxori preſtiti, ea ex Achillis divini ſententia & approbatione: & quæ filio, maximi Iovis imitatione, feci: quamvis alioquin nihil quicquã novi moris hac in re introduxi. In more enim poſitum eſt, ad filios omnia ſua per ſucceſſionẽ deferre, & hoc omnes in vo-

ἅπαντες εἶχον. τὴν δὲ γαμετήν, οὐκ ἐγὼ πρῶτος, ἀλλὰ μετὰ πολλοὺς ἄλλους, ἐτίμησα, ἴσως δὲ τὸ μὲν ἄρξασθαι τοῦ τοιούτου, ἐστὶν οὐκ εὔλογον· τὸ δὲ ἐπὶ πολλῶν γενόμενον, οὐ τοὺς οἰκειοτάτους ἀποστερεῖν, ἐγγὺς ἀδικίας. ἀλλ᾽ ἔλαθον ἐμαυτὸν ἔξω μακρότερα ἀπολογούμενος πρὸς εἰδότας ὑμᾶς, ὦ Ζεῦ καὶ θεοί· διόπερ μοι τῆς περιπετείας ταυτησὶ συγγνώμονες γένεσθε. Παυσαμένου δὲ καὶ τοῦδε τοῦ λόγου, τὸν Κωνσταντῖνον ὁ Ἑρμῆς ἤρετο, σὺ δὲ τί καλὸν ἐνόμισας; πολλὰ εἶπε, κτησάμενον, πολλὰ χαρίσασθαι, ταῖς τε ἐπιθυμίαις ταῖς ἑαυτοῦ. καὶ ταῖς τῶν φίλων ὑπουργοῦντα. Ἀνακαγχάσας οὖν μέγα ὁ Σειληνός, ἀλλ᾽ ἢ τραπεζίτης θέλων εἶναι, ἐλελήθεις σεαυτοῦ, ὀψοποιοῦ, καὶ κομμωτρίας βίον ἔχων; ᾐνίττετο δὲ αὐτά, πάλαι μέν, ἥ τε κόμη καὶ τὸ εἶδος, ἀτὰρ νῦν καὶ ἡ γνώμη σοῦ κατηγορεῖ. Τούτου μὲν οὖν ὁ Σειληνὸς πικρότερόν πως καθήψατο. σιωπῆς δὲ γενομένης, ἔφερον οἱ θεοὶ λάθρα τὰς ψήφους. εἶτα ἐγένοντο πολλαὶ τῷ Μάρκῳ. κοινολογησάμενος δὲ ὁ Ζεὺς ἰδίᾳ πρὸς τὸν πατέρα, προσέ-

ταξε

in votis habent. Neque vero ego primus uxorem meam, ſed poſt multos alios honore affeci. Fortaſſe hoc primum inſtituiſſe facere, eſt à ratione alienum. Verùm his, quæ à multis fieri ſolent, conjunctiſſimos privare proximè ad iniquitatem acceſſiſſet. Sed neſcio quomodo mei oblitus longiore apud vos, qui ea omnia noſtis, defenſione utor, ô Iupiter & Dii. Quapropter vos hujuſce temeritatis mihi veniam indulgete. Ubi finem hic loquendi fecit, Conſtantinum Mercurius interrogavit: Tu verò, quid pulchrum ſtatuiſti? Poſtquam multa paraveris, inquit, multa ſuis & amicorum cupiditatibus inſervientem, largiri. In riſum effuſiſſimè ſolutus Silenus: Tu qui jam nummularius eſſe vis, ait, num tibi venit in mentem te conviviorum inſtructoris, & exornandæ comæ artificis vitam egiſſe? Atque hæc omnia olim quidem tua coma & vultus ſatis indicabant, nunc quoque ea, quam protuliſti ſententia, arguit. Hoc igitur dicto, Silenus hunc acerbiùs quodammodo pupugit. Facto vero ſilentio Dii clanculum ſuffragia inibant; & multa quidem Marcus tulit, Iupiter vero ſecreto cum patre deliberatione habitâ, Mercurio edicere imperavit. Itaq; ille ad hunc

ταξε κηρῦξαι τῷ Ἑρμῇ. ὁ δὲ ἐκήρυττεν, Ἄνδρες οἱ παρελθόντες ἐπὶ τουτονὶ τὸν ἀγῶνα, νόμοι παρ' ἡμῖν εἰσὶ, καὶ κρίσεις τοιαῦται γίνονται, ὥστε καὶ τὸν νικῶντα χαίρειν, καὶ τὸν ἡττώμενον μὴ μέμφεσθαι. Προσδέεσθε οὖν, εἶπεν, ὅ τι φίλον ἑκάστῳ, ὑπὸ θεοῖς ἡγεμόσι, καὶ βιωσόμενοι τὸ ἐντεῦθεν. ἑλέσθω δὲ ἕκαστος ἑαυτῷ τὸν προστάτην τε, καὶ ἡγεμόνα. Μετὰ τὸ κήρυγμα τοῦτο, ὁ μὲν Ἀλέξανδρος ἔθει πρὸς τὸν Ἡρακλέα, Ὀκταβιανὸς δὲ πρὸς τὸν Ἀπόλλωνα, ἀμφοῖν δὲ ἀπρὶξ εἴχετο τοῦ Διὸς, καὶ Κρόνου Μάρκος. πλανώμενον δὲ πολλὰ καὶ περιτρέχοντα τὸν Καίσαρα, κατελεήσας ὁ μέγας Ἄρης, ἥ τε Ἀφροδίτη, παρ' ἑαυτοῖς ἐκαλεσάτην. Τραϊανὸς δὲ παρὰ τὸν Ἀλέξανδρον ἔθει, ὡς ἐκείνῳ συγκαθεδούμενος. ὁ δὲ Κωνσταντῖνος, οὐχ εὑρίσκων ἐν θεοῖς τοῦ βίου τὸ ἀρχέτυπον, ἐγγύθεν τὴν Τρυφὴν κατιδὼν, ἔδραμε πρὸς αὐτήν. ἡ δὲ ὑπολαβοῦσα μαλακῶς, καὶ περιβαλοῦσα τοῖς πήχεσι, πέπλοις τε αὐτὸν ποικιλίλοις ἀσκήσασα καὶ καλλωπίσασα, πρὸς τὴν Ἀσωτίαν ἀπήγαγεν.

ἵνα

hunc modum edixit: Viri, qui ad hoc certamen veniſtis, leges & judicia apud nos ſunt hujuſmodi, ut qui vicerit, lætetur; neque eo nomine victo inſultet, aut exprobrando moleſtus ſit. Abite igitur, inquit, Diis ducibus, quocunque libuerit, & dehinc hîc victuri, unuſquisque veſtrum ſibi præſidem & ducem adoptet. Poſt hoc præconium, Alexander properavit ad Herculem, Octavianus ad Apollinem, Marcus vero Saturno & Iovi utrique tenaciter adhærebat. At multum errantem, & huc & illuc curſitantem Iulium Cæſarem, Mars magnus miſericordia motus, & Venus ad ſe vocarunt. Traianus autem ad Alexandrum accurrit, tanquam eodem loco, quo ille ſeſſurus. Sed Conſtantinus, cum inter Deos vitæ ſuæ exemplar & archetypum non reperiret, proximam ſibi Deliciarum Deam cernens, ad eam ſe contulit, Quæ ipſum molliter ſuſcipiens, & ulnis fovens, muliebribus veſtibus multa varietate nitentibus adornatum & comptum ad Aſotiam deduxit.

ἵνα καὶ τὸν υἱὸν εὗρεν ἀναστρεφόμενον, καὶ προσαγορεύοντα πᾶσιν, ὅστις φθορεύς, ὅστις μιαιφόνος, ὅστις ἐναγὴς καὶ βδελυρὸς, ἴτω θαῤῥῶν· ἀποφανῶ γὰρ αὐτὸν τούτῳ τῷ ὕδατι λούσας αὐτίκα καθαρόν. κἂν πάλιν ἔνοχος τοῖς αὐτοῖς γένηται, δώσω τὸ στῆθος πλήξαντι, καὶ τὴν κεφαλὴν πατάξαντι, καθαρῷ γενέσθαι. ὁ δὲ σφόδρα ἄσμενος ἐνέτυχεν αὐτῇ, συνεξαγαγὼν τῆς τῶν θεῶν ἀγορᾶς τοὺς παῖδας. Ἐπέτριβον δὲ αὐτὸν, κἀκείνους οὐχ ἧττον, τῆς ἀθεότητος οἱ παλαμναῖοι δαίμονες, αἱμάτων συγγενῶν τιννύμενοι δίκας, ἕως ὁ Ζεὺς διὰ τὸν Κλαύδιον καὶ Κωνστάντιον, ἔδωκεν ἀναπνεῦσαι. Σοὶ δὲ, πρὸς ἐμὲ λέγων ὁ Ἑρμῆς, δέδωκα τὸν πατέρα Μίθραν ἐπιγνῶναι· σὺ δὲ αὐτοῦ τῶν ἐντολῶν ἔχου, πεῖσμα καὶ ὅρμον ἀσφαλῆ, ζῶντί τε σεαυτῷ παρασκευάζων, καὶ ἡνίκα ἂν ἐντεῦθεν ἀπιέναι δέῃ, μετὰ τῆς ἀγαθῆς ἐλπίδος, ἡγεμόνα θεὸν εὐμενῆ καθίστα σεαυτῷ.

Gul ille valde libenter adhæſit, ſecum una quoque filios à cœtu Deorum abducens. Dii vero impietatis vindices ipſum, ut & ejus filios cruciabant, ſanguinis cognatorum fuſi pœnas exigentes, donec Iupiter in Claudii & Conſtantii gratiam à malis reſpirare conceſſit. Tibi autem, Mercurius ad me ſermonem dirigens, inquit, feci ut Solem patrem cognoſceres. Tu verò ejus præceptis obtemperato, illum tibi tutum portum & perfugium, dum in vivis agis, comparans, & quando oportebit hinc excedere, cum bona ſpe tibi Deum propitium ducem conſtitue.

ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ
ΤΟΥ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ,
Μισοπώγων, ἢ Ἀντιοχικός

ΑΝΑΚΡΕΟΝΤΙ τῷ ποιητῇ πολλὰ ἐποιήθη μέλη σεμνὰ καὶ χαρίεντα. τρυφᾶν γὰρ ἔλαχεν ἐκ μοιρῶν. Ἀλκαίῳ δὲ οὐκέτι, οὐδὲ Ἀρχιλόχῳ τῷ Παρίῳ τὴν Μοῦσαν ἔδωκεν ὁ θεὸς εἰς εὐφροσύνας καὶ ἡδονὰς τρέψαι· μοχθεῖν γὰρ ἄλλοτε ἄλλως ἀναγκαζόμενοι, τῇ μουσικῇ πρὸς τοῦτο ἐχρῶντο, κουφότερα ποιοῦντες αὐτοῖς ὅσα ὁ δαίμων ἐδίδου, τῇ εἰς τοὺς ἀδικοῦντας λοιδορίᾳ. ἐμοὶ δὲ ἀπαγορεύει ὁ νόμος, ἐπ' ὀνόματος· ὥσπερ, οἶμαι, καὶ ἅπασι τοῖς ἄλλοις αἰτιᾶσθαι τοὺς ἀδικουμένους μὲν οὐδὲν, εἶναι δὲ ἐπιχειροῦντας δυσμενεῖς. ἀφαιρεῖται δὲ τὴν ἐν τοῖς ἐλευθέροις τῆς παιδείας τρόπος. αἰσχρὸν γὰρ εἶναι δοκεῖ νῦν μουσικὴν ἐπιτηδεύειν, ἣ πάλαι ποτὲ ἐδόκει τὸ πλουτεῖν ἀδίκως. οὐ μὴν ἀφέξομαι

διὰ

JULIANI IMP. MISOPOGON, VEL ANTIOCHENSIS.

Interprete

PETRO MARTINIO.

ANACREON Poëta multa fecit carmina gravia, & lepida, quoniam ei Fata ludendi facultatem obtulere. At Alcæo, & Archilocho Pario non dedit Deus Muſas ad amœnitatem voluptatemque convertere. Nam cùm varias injurias & moleſtias perpeti cogerentur, ad id Muſis ſuis utebantur: ita leviora reddebant, quæcunque Deus ipſis dederat, ſua erga adverſarios maledicentia. At mihi lex vetat (ſicut & cæteris, opinor, omnibus) nominatim eos accuſare, qui nulla injuria affecti, tamen inimici ſponte eſſe volunt. Carminum præterea muſicam mihi detrahit, quæ apud liberales animos hodie valet, diſciplinæ conſuetudo. Turpe ſiquidem videtur nunc muſicam inſtituere, quemadmodum olim malis artibus eſſe locupletem. Attamen non idcirco

Muſa-

διὰ τοῦτο τῆς ἐμοὶ δυνατῆς ἐκ μουσῶν ἐπικουρίας. ἐθεασάμην τοι καὶ τοὺς ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον βαρβάρους ἄγρια μέλη λέξει πεποιημένα παραπλήσια ταῖς κλαγγαῖς τῶν τραχὺ βοώντων ὀρνίθων ᾄδοντας, καὶ εὐφραινομένους ἐν τοῖς μέλεσιν. εἶναι γὰρ, οἶμαι, συμβαίνει τοῖς φαύλοις τὴν μουσικὴν, λυπηροῖς μὲν τοῖς θεάτροις, φύσεις δ᾽ αὐτοῖς ἡδίστην· ὃ δὴ καὶ αὐτὸς συννοήσας, εἴωθα πρὸς ἐμαυτὸν λέγειν ὅπερ ὁ Ἰσμηνίας οὐκ ἀπὸ τῆς ἴσης μὲν ἕξεως· ἀπὸ δὲ τῆς ὁμοίας, ὡς ἐμαυτὸν πείθω, μεγαλοφροσύνης· ὅτι δῆτα ταῖς μούσαις ᾄδω, καὶ ἐμαυτῷ. τὸ δ᾽ ᾆσμα πεζῇ μὲν λέξει πεποίηται, λοιδορίας δ᾽ ἔχει πολλὰς καὶ μεγάλας, οὐκ εἰς ἄλλους μὰ Δία· πῶς γὰρ, ἀπαγορεύοντος τοῦ νόμου; εἰς δὲ τὸν ποιητὴν αὐτὸν, καὶ τὸν συγγραφέα. τὸ γὰρ εἰς ἑαυτὸν γράφειν ἐπαίνους ἢ ψόγους, εἴργει νόμος οὐδείς. ἐπαινεῖν μὲν δὴ καὶ σφόδρα ἐθέλων ἐμαυτὸν, οὐκ ἔχω, ψέγειν δὲ μυρία. καὶ πρῶτον ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ προσώπου. τούτῳ γὰρ, οἶμαι, φύσει γεγονότι μὴ λίαν καλῷ, μηδ᾽ εὐπρεπεῖ, μηδ᾽ ὡραίῳ, ὑπὸ δυστροπίας,

καὶ

Muſarum præſidio, quoad potero, abſtinebo. Enimverò barbaros eos, qui trans Rhenum incolunt, vidi ruſtica carmina verbis facta ſimilibus clangorum, quos aſpere clamantes aves edunt, ſtudioſe amplecti, & carminibus delectari. Solent enim, opinor, mali muſici ingrati moleſtique eſſe iis, à quibus audiuntur, cùm ſibi ipſi natura ſint jucundiſſimi. Quare cum id ipſe conſiderarem, idem mecum tacitus, quod & Iſmenias olim, ut non pari ex artis facultate, at ſimili, ut quidem mihi perſuadeo, ex fiducia dicebam: Certè mihi canam, & Muſis. Carmen autem ſoluta oratione factum eſt, multaque & gravia maledicta continet, non in alios mehercule (quomodo enim, cum lex id prohibeat?) ſed in ipſum Poëtam atque authorem. Etenim ſcribere in ſeipſum laudationes, aut vituperationes, nulla lex prohibet: me verò ſi maximè vellem laudare, non poſſem, at vituperare infinitis modis potero. Et primum à vultu ordiar. Huic enim, cum (ut arbitror) natura non multum pulchritudinis ac venuſtatis dediſſet, ipſe moroſitate quadam,

καὶ δυσκολίας αὐτὸς προσέθηκα τὸν βαθὺν τουτονὶ πώγωνα, δίκας αὐτὸν πραττόμενος, ὡς ἔοικεν, οὐδενὸς μὲν ἄλλου, τοῦ δὲ μὴ φύσει γενέσθαι καλόν. ταῦτά τοι διαθεόντων ἀνέχομαι τῶν φθειρῶν, ὥσπερ ἐν λόχμῃ τῶν θηρίων. ἐσθίειν δὲ λάβρως, ἢ πίνειν χανδὸν οὐ συγχωροῦμαι· δεῖ γὰρ, οἶμαι, προσέχειν, μὴ λάθω συγκαταφαγὼν τοῖς ἄρτοις τὰς τρίχας. ὑπὲρ δὲ τοῦ φιλεῖσθαι, καὶ φιλεῖν ἥκιστα ἀλγῶ. καίτοι καὶ τοῦτο ἔχειν ἔοικεν ὁ πώγων, ὥσπερ τὰ ἄλλα, λυπηρὸν, οὐκ ἐπιτρέπων καθαροὺς λείοις, καὶ διὰ τοῦτο, οἶμαι, γλυκερωτέροις χείλεσι χείλη προσμάττειν· ὅπερ ἤδη τις ἔφη τῶν ἐργασαμένων σὺν τῷ Πανὶ, καὶ τῇ Καλλιόπῃ εἰς τὸν Δάφνιν ποιήματα. ὑμεῖς δὲ φατὲ καὶ σχοινία δεῖν πλέκειν ἐνθένδε, καὶ ἑτοίμως παρέχειν ἔχω, ἢν μόνον ἕλκειν δυνηθῆτε, καὶ μὴ τὰς ἀτρίπτους ὑμῶν, καὶ μαλακὰς χεῖρας ἡ τραχύτης αὐτῶν δεινὰ ἐργάσηται. νομίσῃ δὲ μηδεὶς δυσχεραίνειν ἐμὲ τῷ σκώμματι, δίδωμι γὰρ αὐτὸς τὴν αἰτίαν, ὥσπερ οἱ τράγοι τὸ γένειον ἔχων, ἐξὸν, οἶμαι, λεῖον αὐτὸ ποιεῖν καὶ ψιλὸν,

ὁποῖον

& acerbitate animi longam iſtam barbam addidi, quaſi pœnas ab illo exigens, nulla quidem alia de cauſſa, niſi quod natura elegantior non fuiſſet. Ideo diſcurrentes in ea pediculos perfero, tanquam feras aliquas in ſylva: neque large edendi aut bibendi mihi poteſtas eſt. cavendum enim eſſe arbitror, ne imprudens pilos una cum pane devorem. Nam de accipiendis dandiſve oſculis nihil laboro. Tametſi ad cætera hoc habere videtur incommodi barba, quod non ſinit pura puris, eoque ſuavioribus, ut opinor, labris labra adjungere: quod olim etiam quidam uſurpavit, qui Pane & Calliope propitiis in Daphnin fecit poëmata. At vos etiam funes ex ea necti oportere dicitis. Equidem id vobis perlibenti animo concedam, modo pilos poſſitis extrahere, neque eorum aſperitas veſtras molles & delicatas manus offendat. Neque vero quiſpiam exiſtimet me maledicto iſto graviùs commoveri. ipſe enim cauſſam præbeo, qui hircorum ſimile mentum gero, cùm poſſem hoc læve glabrumque efficere, quale habent formoſi pueri, mulie-

ὁποῖον οἱ καλοὶ τῶν παίδων ἔχουσιν, ἅπασαί τε αἱ γυναῖκες, αἷς φύσει πρόσεστι τὸ ἐράσμιον. ὑμεῖς δὲ καὶ ἐν τῷ γήρᾳ ζηλοῦντες τοὺς ὑμῶν αὐτῶν υἱέας, καὶ τὰς θυγατέρας ὑπὸ ἁβρότητος βίου, καὶ ἴσως ἁπλότητος τρόπου, λεῖον ἐπιμελῶς ἐργάζεσθε. τὸν ἄνδρα ὑποφαίνοντες, καὶ παραδεικνύντες διὰ τοῦ μετώπου, καὶ οὐχ ὥσπερ ἡμεῖς, ἐκ τῶν γνάθων· ἐμοὶ δὲ οὐκ ἀπέχρησε μόνον ἡ βαθύτης τοῦ γενείου, ἀλλὰ καὶ τῇ κεφαλῇ πρόσεστιν αὐχμός, καὶ ὀλιγάκις κείρομαι, καὶ ὀνυχίζομαι, καὶ τοὺς δακτύλους ὑπὸ τοῦ καλάμου τὰ πολλὰ ἔχω μέλανας. εἰ δὲ βούλεσθέ τι καὶ τῶν ἀπορρήτων μαθεῖν, ἔστι μοι τὸ στῆθος δασὺ καὶ λάσιον, ὥσπερ τῶν λεόντων, οἵπερ βασιλεύουσι τῶν θηρίων· οὐδὲ ἐποίησα λεῖον αὐτὸ πώποτε, διὰ δυσκολίαν καὶ μικροπρέπειαν. οὐδὲ γὰρ ἄλλο τι μέρος τοῦ σώματος εἰργασάμην λεῖον, οὐδὲ μαλακόν. εἶπον ἂν ὑμῖν, εἴ τις ἦν μοι καὶ ἀκροχορδών, ὥσπερ τῷ Κίμωνι· νυνὶ δ' οὐκ ἔστι. φράσω μὲν ἕτερον. ἐμοὶ γὰρ οὐκ ἀπόχρη τὸ σῶμα εἶναι τοιοῦτο, πρὸς δὲ καὶ δίαιτα παγχάλεπος ἐπιτηδεύεται. εἴργω τῶν θεάτρων ἐμαυτὸν ὑπ' ἀβελτηρίας· οὐδ' εἴσω τῆς

reſque omnes, in quibus naturâ ineſt amabilis decor, & venuſtas. Nam vos in ſenectute etiam veſtros liberos imitamini, & pro iſta veſtra delicatiſſima vita, & ſimpliciſſimis fortaſſe moribus, ſtudiosè illud glabrum facitis, & virum non ut ego ex genis, ſed ex fronte oſtenditis. Sed enim ego hâc prolixitate barbæ non contentus, caput habeo prætereà ſquallidum, raiò tondeor, raro ungues ſeco, ac digitos etiam ex calamo ferè nigros habeo. Quod ſi etiam arcana vultis noſſe, pectus mihi eſt horridum, atque hirſutum, ut leonibus ferarum regibus, neque unquam læve illud feci. tanta eſt animi mei aſperitas, atque abjectio. neque enim partem ullam corporis lævem mollemve effeci. Dicerem verò vobis, ſi qua mihi eſſet verruca, ut Cimoni: nunc nulla mihi eſt. Aliud verò dicam. Non enim ſatis mihi fuit corpus habere ejuſmodi; ſed vitam prætereà vivo perauſteram, ac perdifficilem. Arceo meipſum à theatris per ſummam ſtultitiam: neque in aulam

ἄγρυπνοι νύκτες ἐν στιβάδι, καὶ τροφὴ παντὸς ἥττων κόρου, πικρὸν ἦθος ποιεῖ, καὶ τρυφώσῃ πόλει πολέμιον. οὐ μὴν ὑμῶν γε ἕνεκα τούτου ἐπιτηδεύεται παρ' ἐμοῦ· δεινὴ δέ τις ἐκ παιδαρίου με καὶ ἀνόητος ἀπάτη περιλαβοῦσα, τῇ γαστρὶ πολεμεῖν ἔπεισεν. οὐ γὰρ ἐπιτρέπω πολλῶν ἐμπίμπλασθαι σιτίων αὐτῇ. ὀλιγάκις οὖν ἐμοὶ τῶν πάντων ἐμέσαι συνέβη. καὶ μέμνημαι αὐτὸ παθὼν ἐξ ὅτου Καῖσαρ ἐγενόμην ἅπαξ ἀπὸ συμπτώματος, οὐχὶ πλησμονῆς. ἄξιον δὲ ὑπομνησθῆναι διηγήματος, οὐδὲ αὐτοῦ πάνυ χαρίεντος, ἐμοὶ δὲ διὰ τοῦτο μάλιστα οἰκείου. ἐτύγχανον ἐγὼ χειμάζων περὶ τὴν φίλην Λουκετίαν. ὀνομάζουσι δὲ οὕτως οἱ Κελτοὶ τῶν Παρισίων τὴν πολίχνην· ἔστι δ' οὐ μεγάλη νῆσος, ἐγκειμένη τῷ ποταμῷ, καὶ αὐτὴν κύκλῳ πᾶσαν καταλαμβάνει. ξύλιναι δ' ἐπ' αὐτὴν ἀμφοτέρωθεν εἰσάγουσι γέφυραι, καὶ ὀλιγάκις ὁ ποταμὸς ἐλαττοῦται, καὶ μείζων γίνεται· τὰ πολλὰ δ' ἐστὶν ἴσος ὥρᾳ θέρους καὶ χειμῶνος· ὕδωρ ἥδιστον καὶ καθαρώτατον ὁρᾶν, καὶ πίνειν ἐθέλοντι παρέχων. ἅτε γὰρ νῆσον οἰκοῦντας ὑδρεύεσθαι μάλιστα ἔνθεν χρή. γίνεται δὲ ὁ χειμὼν ἐκεῖ πρᾳότερος ὑπὸ

noctes inſomnes in ſtragulo, & victus citra ſatietatem, mores acerbos efficiunt, & delicatæ urbi repugnantes. Nolite tamen exiſtimare veſtra cauſſa id à me fieri. Gravis quidam & ſtultus error jam inde à puero me induxit, ut ventri bellum facerem. Neque enim eum permitto epulis expleri. Itaque rariſſime omnium mihi contigit vomere: & memini id mihi accidiſſe, ex quo Cæſar ſum factus, ſemel tantum, neque id cibi copia, ſed caſu. Commodum autem fuerit hiſtoriam recenſere, non quod eam admodum fore jucundam exiſtimem, ſed quod mihi propterea mirifice conveniat. Ego olim eram in hybernis apud charam Lutetiam (ſic enim Galli Pariſiorum oppidum appellant) quæ inſula eſt non magna, in fluvio ſita, qui eam omni ex parte cingit. Pontes ſublicii utrinque ad eam ferunt, raroque fluvius minuitur ac creſcit: ſed qualis æſtate, talis ſolet eſſe hyeme. Aquam præbet jucundiſſimam, & aſpectu puriſſimam volenti bibere. Nam cum inſulam habitent, ibi maxime eos aquari neceſſe eſt. Hyems eſt illic placidiſſima pro-

τῆς θέρμης, ὥς φασι, τοῦ Ὠκεανοῦ. στάδια γὰρ
ἀπέχει τῶν ἐνακοσίων οὐ πλείω. καὶ διαδί-
δοται τυχὸν λεπτή τις αὔρα τοῦ ὕδατος. εἶναι
δὲ δοκεῖ θερμότερον τὸ θαλάττιον τοῦ γλυ-
κέος. εἴτε οὖν ἐκ ταύτης, εἴτε ἔκ τινος
ἄλλης αἰτίας ἀφανοῦς ἐμοί, τὸ πρᾶγμά
ἐστι τοιοῦτον. ἀλεεινότερον ἔχουσιν οἱ τὸ χω-
ρίον οἰκοῦντες τὸν χειμῶνα. καὶ φύεται παρ'
αὐτοῖς ἄμπελος ἀγαθή, καὶ συκᾶς ἤδη τινές
εἰσιν οἳ ἐμηχανήσαντο, σκεπάζοντες αὐ-
τὰς τοῦ χειμῶνος, ὥσπερ ἱματίοις τῇ κα-
λάμῃ τοῦ πυροῦ, καὶ τοιούτοις τισὶν, ὅσα εἴωθεν
εἴργειν τὴν ἐκ τοῦ ἀέρος ἐπιγιγνομένην τοῖς
δένδρεσι βλάβην. ἐγένετο δὴ οὖν ὁ χει-
μὼν τοῦ εἰωθότος σφοδρότερος, καὶ παρέφε-
ρεν ὁ ποταμὸς ὥσπερ μαρμάρου πλάκας.
ἴστε δήπου τὸν Φρύγιον λίθον, ᾧ ἐῴκει μάλιστα
[τοῦ λευκοῦ τούτου] τὰ κρύσταλλα μεγάλα, καὶ
ἐπάλληλα φερόμενα· καὶ δὴ καὶ συνεχῆ
ποιεῖν ἤδη τὸν πόρον ἔμελλε, καὶ τὸ ῥεῦμα γε-
φυροῦν. ὡς οὖν ἐν τούτοις ἀγριώτερος ἦν τοῦ
συνήθους, ἐθάλπετο δὲ τὸ δωμάτιον οὐδα-
μῶς, οὗπερ ἐκάθευδον· ὄνπερ εἰώθει τρόπον
ὑπὸ τῶν καμίνοις τὰ πολλὰ τῶν οἰκημάτων
ἐκεῖ θερμαίνεσθαι, καὶ ταῦτα ἔχον εὐπρεπῶς

pter calorem (ut aiunt) Oceani. Stadia enim abeſt non amplius nongenta, ac fortaſſe quædam tenuis aura illinc diffunditur: videtur autem maritima aqua dulci eſſe calidior. Sive igitur ob hanc cauſſam, ſive aliam mihi ignotam; ita ſe res habet: hyems ejus terræ incolis mitior eſt: propterea vites optimæ illic naſcuntur. quin etiam ficus multi jam arte quadam extulerunt, cum eas per hyemem calamis tritici tanquam veſtimentis contegerent, & aliis ejuſmodi rebus, quæ cœli injurias arboribus prohibere ſolent. Erat tum igitur hyems ſolito vehementior, & fluvius quaſi marmoreas cruſtas prætervehebat (noſtis lapidem Phrygium, cui perſimiles erant candidi iſtius lapidis cruſtæ concretæ, magnæ, & aliæ ex aliis labentes) quinetiam fluvium conjuncturæ, & tanquam pontem facturæ videbantur. Cum igitur in his rebus durior & agreſtior eſſem, quàm unquam antea, nequaquam cubiculum, in quo requieſcebam, calefieri patiebar, quo modo illic pleraque domicilia ſub caminis calefiunt, cum tamen ad ignis calo-

πρὸς τὸ παραδέξασθαι τὴν ἐκ πυρὸς ἀλέαν· συνέβη δὴ οἶμαι καὶ τότε διὰ σκαιότητα τὴν ἐμὴν, καὶ τὴν εἰς ἑαυτὸν πρῶτον, ὡς εἰκὸς, ἀπανθρωπίαν· ἐβουλόμην γὰρ ἐμαυτὸν ἐθίζειν ἀνέχεσθαι τὸν ἀέρα ταύτης ἐνδεῶς ἔχοντα τῆς βοηθείας. ὡς δὲ ὁ χειμὼν ἐπεκράτει, καὶ ἀεὶ μείζων ἐπεγίνετο, θερμῆναι μὲν οὐδ᾽ ὧς ἐπέτρεψα τοῖς ὑπηρέταις τὸ οἴκημα, δεδιὼς κινῆσαι τὴν ἐν τοῖς τοίχοις ὑγρότητα· κομίσαι δ᾽ ἔνδον ἐκέλευσα πῦρ κεκαυμένον, καὶ λαμπροὺς ἀποθέσθαι παντελῶς μετρίους· οἱ δὲ καίπερ ὄντες οὐ πολλοὶ, παμπληθεῖς ἀπὸ τῶν τοίχων ἀτμοὺς ἐκίνησαν, ὑφ᾽ ὧν καὶ κατέδαρθον ἐμπιπλαμένης μοι τῆς κεφαλῆς. ἔδεισα μὲν οὖν ἀποπνιγῆναι· κομισθεὶς δ᾽ ἔξω, τῶν ἰατρῶν παραινούντων ἀπορρίψαι τὴν ἐντεθεῖσαν ἄρτι τροφὴν, οὔ τι μὰ Δία πολλὴν οὖσαν ἐξέβαλον, καὶ ἐγενόμην αὐτίκα ῥάων, ὥστε μοι γενέσθαι κουφοτέραν τὴν νύκτα, καὶ τῆς ὑστεραίας πράττειν ὅ,τι περ ἐθέλοιμι. οὕτω μὲν οὖν ἐγὼ ἐν Κελτοῖς κατὰ τὸν τοῦ Μενάνδρου δύσκολον αὐτὸς ἐμαυτῷ πόνους προσετίθουν. ἀλλ᾽ ἡ Κελτῶν μὲν ταῦτα ῥᾷον ἔφερεν

ἀγροι-

rem excipiendum eſſet opportunum. Quod tum quoque accidit ob meam duritiem, atque in me ipſum præcipue, ut verè dicam, inhumanitatem, qui me ad illum aërem tolerandum aſſuefacere volebam, ejus præſidii maximè indigentem. Cumque hiems invaleſceret, atque in dies fieret vehementior, ne tum quidem famulis meis permiſi, ut domicilium calfacerent, veritus ne humorem, qui in parietibus erat, commoverem: itaque accenſum ignem, & candentes aliquot carbones inferri juſſi. Hi verò etſi non multi erant, attamen multum vaporem è parietibus excitarunt, à quo cum caput meum opletum eſſet, ſomnus me complexus eſt. Ac ſanè metui, ne ſuffocarer. Verùm raptus extra cubiculum, medicis ſuadentibus, ut cibum, quem antea ſumpſeram, ejicerem, non multum ejeci: neque ſanè multus erat: ita me levatum ſenſi, adeo ut & nocte leviore uſus fuerim, & poſtero die ad quidvis agendum paratus. Quare ad hunc modum ego apud Gallos, ſicut ille apud Menandrum Dyſcolus, labores novos mihi procurabam. Verùm hoc facile Gallorum ruſticitas

ferebat.

ἀγροικία. πόλις δ' εὐδαίμων ἢ μακαρία, ἢ πολυάνθρωπος. εἰκότως ἄχθεται. ἐν ἧ πολλοὶ μὲν ὀρχησταὶ, πολλοὶ δ' αὐληταὶ, μῖμοι δὲ πλείους τῶν πολιτῶν· αἰδὼς δ' οὐκ ἔστιν ἀρχόντων· ἐρυθριᾶν γὰρ πρέπει τοῖς ἀνάνδροις, ἐπεὶ τοῖς γε ἀνδρείοις, ὥσπερ ὑμεῖς, ἕωθεν κωμάζειν, νύκτωρ ἡδυπαθεῖν, ὅτι τῶν νόμων ὑπερορᾶτε, μὴ λόγῳ διδάσκειν, ἀλλὰ τοῖς ἔργοις ἐνδείκνυσθαι. ἢ γὰρ οἱ νόμοι φοβεροὶ διὰ τοὺς ἄρχοντας· ὥστε ὅστις ἄρχοντα ὕβρισεν, οὗτος ἐκ περιουσίας τοὺς νόμους καταπάτησεν· οἱ δὲ ἐπὶ τούτοις εὐφραινόμενοι δῆλον ποιεῖτε, πολλαχοῦ μὲν, οὐχ ἥκιστα δ' ἐν ταῖς ἀγοραῖς, ἢ ἐν τοῖς θεάτροις· ἀπὸ μὲν τῶν κρότων, ἢ ἀπὸ τῆς βοῆς, ὁ δῆμος· οἱ δ' ἐν τέλει, τῷ γνωριμώτεροι μᾶλλον εἶναι ἢ ὀνομάζεσθαι παρὰ πᾶσιν, ἀφ' ὧν εἰς τὰς τοιαύτας ἑορτὰς ἐδαπάνησαν, ἢ Σόλων ὁ Ἀθηναῖος ἀπὸ τῆς πρὸς Κροῖσον τὸν Λυδῶν βασιλέα συνουσίας· καλοὶ δὲ πάντες, ἢ μεγάλοι, ἢ λεῖοι, ἢ ἀγένειοι, νέοι τε ὁμοίως, ἢ πρεσβύτεροι ζηλωταὶ τῆς εὐδαιμονίας τῶν Φαιάκων,

Εἵματά τ' ἐξημοιβὰ, λοετρά τε θερμὰ, ἢ εὐνάς,

ferebat. At civitas opulenta, & florens, & hominum frequentia abundans jure ſuccenſet: in qua ſcilicet multi ſunt ſaltatores, multi tibicines, hiſtriones plures quam cives, nulla in principes verecundia. Erubeſcant ſanè ignavi: at viri fortes, quales vos eſtis, mane debent comeſſari, noctu voluptati operam dare: leges parum vobis curæ eſſe, non verbis docere, ſed re ac factis demonſtrare. Leges enim principum cauſſa timentur. Quare qui principem violare auſus eſt, is multo etiam magis leges violavit. Quæ vobis voluptati eſſe, cùm alibi ſæpe, tum maximè in foro & theatro oſtenditis: populus, plauſu & clamore: magiſtratus fama & nominis gloria, quam ſumptibus iſtis feriiſque celebrandis multo majorem pepererunt, quam Solon Athenienſis ex illa conſuetudine, quæ ei cum Crœſo rege Lydorum interceſſit: omnes verò ſunt formoſi, proceri, glabri, & imberbes, juvenes & ſenes felicitatem Phæacum imitantur,

Balneáque & veſtes varias, ſtratumque cubile,

recto

αὐλῆς παραδέχομαι τὴν θυμέλην, ἔξω τῆς νεομηνίας τοῦ ἔτους, ὑπ' ἀναισθησίας, ὥσπερ τινὰ φόρον ἢ δασμὸν εἰσφέρων, καὶ ἀποδιδοὺς ἄγροικος ὀλίγα ἔχων, οὐκ ἐπιεικεῖ δεσπότῃ. καὶ τότε δὴ εἰσελθὼν τοῖς ἀφοσιουμένοις ἔοικα. κέκλημαι δὲ οὐδέν· καὶ ταῦτα βασιλεὺς ἀκούων μέγας· καθάπερ ὕπαρχος, ἢ στρατηγὸς, διὰ πάσης τῆς οἰκουμένης, ἄρξει τῶν μίμων καὶ τῶν ἡνιόχων. ὅπερ ὑμεῖς ὁρῶντες ὀλίγῳ πρότερον, ἀναμιμνήσκεσθε νῦν ἥβης ἐκείνης, νοῦ τε ἐκείνου, καὶ φρενῶν. τὴν μὲν οὖν ἴσως καὶ τοῦτο βαρὺ, καὶ δεῖγμα ἐναργὲς μοχθηρίας τρόπου. προστίθημι δὲ ἐγώ τι καινότερον. ἀεὶ μισῶ καὶ τὰς ἱπποδρομίας, ὥσπερ οἱ χρήματα ὀφλήκοτες τὰς ἀγοράς. ὀλιγάκις οὖν εἰς αὐτὰς φοιτῶ ἐν ταῖς ἑορταῖς τῶν θεῶν, οὐδὲ διημερεύω· καθάπερ εἰώθεσαν ὅ, τε ἀνεψιὸς ὁ ἐμὸς, καὶ ὁ θεῖος, καὶ ὁ ἀδελφὸς ὁμοπάτριος. ἓξ δὲ τοὺς πάντας θεώμενος δρόμους, οὐδ᾽ αὐτοὺς ὡς ἄν τις ἐρῶν τοῦ πράγματος, ἢ ναὶ μὰ Δία καὶ μισῶν αὐτὸ καὶ ἀποστρεφόμενος, ἄσμενος ἀπαλλάττομαι. ἀλλὰ τὰ μὲν ἔξω ταῦτα. καί τοι πόσον εἴρηταί μοι μέρος τῶν ἐμῶν εἰς ὑμᾶς ἀδικημάτων; τὰ δὲ ἔνδον,

admitto ſcenam, niſi anni Calendis, præ animi mei ſtupore, tanquam pauper agricola tributum aliquod pendens iniquo domino: ac tum quoque, cùm illuc introivi, videor iis defungi. Iam verò nullæ ſunt mihi poſſeſſiones; cùm tamen rex magnus toto orbe appeller; tanquam præfectus vel dux, qui in ſolos hiſtriones & aurigas imperium habeat. Quod cum vos paulo ante videritis, recordamini nunc adoleſcentiæ illius, & ingenii, ac mentis, & ſolertiæ. Etſi jam tum fortaſſis illa gravis & acerba erat, magnaque ac manifeſta acerbitatis meæ ſigna oſtendebat. Veruntamen attendite, magis eſt novum & admirabile quod dicam. Semper odi Circenſes, perinde ut forum qui obſtricti ſunt ære alieno. Itaque raro ad eos venio; nempe in Deorum feriis; neque ibi diem conſumo, quod meus patruelis, avunculus, & germanus ex patre faciebant: ſed ſpectato ſexto fere curſu; neque id magna cum voluptate, imò hercle cum moleſtia & faſtidio, libens diſcedo. Sed de externis hactenus. Quanquam quota pars à me dicta eſt mearum erga vos injuriarum? Domeſtica autem,

ἄγρυπνοι νύκτες ἐν στιβάδι, καὶ τροφὴ παντὸς ἥττων κόρου, πικρὸν ἦθος ποιεῖ, καὶ τρυφώσῃ πόλει πολέμιον. οὐ μὴν ὑμῶν γε ἕνεκα τοῦτο ἐπιτηδεύεται παρ' ἐμοῦ· δεινὴ δέ τις ἐκ παιδαρίου με καὶ ἀνόητος ἀπάτη περιλαβοῦσα, τῇ γαστρὶ πολεμεῖν ἔπεισεν. οὐ γὰρ ἐπιτρέπω πολλῶν ἐμπίμπλασθαι σιτίων αὐτῇ. ὀλιγάκις οὖν ἐμοὶ τῶν πάντων ἐμέσαι συνέβη. καὶ μέμνημαι αὐτὸ παθὼν ἐξ ὅτου Καῖσαρ ἐγενόμην ἅπαξ ὑπὸ συμπτώματος, οὐχὶ πλησμονῆς. ἄξιον δὲ ὑπομνησθῆναι διηγήματος, οὐδὲ αὐτοῦ πάνυ χαρίεντος, ἐμοὶ δὲ διὰ τοῦτο μάλιστα οἰκείου. ἐτύγχανον ἐγὼ χειμάζων περὶ τὴν φίλην Λουκετίαν. ὀνομάζουσι δὲ οὕτως οἱ Κελτοὶ τῶν Παρισίων τὴν πολίχνην· ἔστι δ' οὐ μεγάλη νῆσος, ἐγκειμένη τῷ ποταμῷ, καὶ αὐτὴν κύκλῳ πᾶσαν καταλαμβάνει. ξύλιναι δ' ἐπ' αὐτὴν ἀμφοτέρωθεν εἰσάγουσι γέφυραι, καὶ ὀλιγάκις ὁ ποταμὸς ἐλαττοῦται, καὶ μείζων γίνεται. τὰ πολλὰ δ' ἔστιν ἀπαῖος ὥρᾳ θέρους καὶ χειμῶνος· ὕδωρ ἥδιστον καὶ καθαρώτατον ὁρᾶν, καὶ πίνειν ἐθέλοντι παρέχον. ἅτε γὰρ νῆσον οἰκοῦντας ὑδρεύεσθαι μάλιστα ἔνθεν χρή. γίνεται δὲ ὁ χειμὼν ἐκεῖ πρᾳότερος ὑπὸ

noctes inſomnes in ſtragulo, & victus citra ſatietatem, mores acerbos efficiunt, & delicatæ urbi repugnantes. Nolite tamen exiſtimare veſtra cauſſa id à me fieri. Gravis quidam & ſtultus error jam inde à puero me induxit, ut ventri bellum facerem. Neque enim eum permitto epulis expleri. Itaque rariſſime omnium mihi contigit vomere: & memini id mihi accidiſſe, ex quo Cæſar ſum factus, ſemel tantum, neque id cibi copia, ſed caſu. Commodum autem fuerit hiſtoriam recenſere, non quod eam admodum fore jucundam exiſtimem, ſed quod mihi propterea mirifice conveniat. Ego olim eram in hybernis apud charam Lutetiam (ſic enim Galli Pariſiorum oppidum appellant) quæ inſula eſt non magna, in fluvio ſita, qui eam omni ex parte cingit. Pontes ſublicii utrinque ad eam ferunt, raroque fluvius minuitur ac creſcit: ſed qualis æſtate, talis ſolet eſſe hyeme. Aquam præbet jucundiſſimam, & aſpectu puriſſimam volenti bibere. Nam cum inſulam habitent, ibi maxime eos aquari neceſſe eſt. Hyems eſt illic placidiſſima pro-

τῆς θέρμης· ὥς φασι· τοῦ Ὠκεανοῦ. στάδια γὰρ ἀπέχει τῶν ἐννακοσίων οὐ πλείω. καὶ διαδίδοται τυχὸν λεπτή τις αὔρα τοῦ ὕδατος. ἔοικε δὲ δοκεῖ θερμότερον τὸ θαλάττιον τοῦ γλυκέος. εἴτε οὖν ἐκ ταύτης, εἴτε ἔκ τινος ἄλλης αἰτίας ἀφανοῦς ἐμοὶ, τὸ πρᾶγμά ἐστι τοιοῦτον. ἀλεεινότερον ἔχουσιν οἱ τὸ χωρίον οἰκοῦντες τὸν χειμῶνα. καὶ φύεται παρ' αὐτοῖς ἄμπελος ἀγαθὴ, καὶ συκᾶς ἤδη τινές εἰσιν οἳ ἐμηχανήσαντο, σκεπάζοντες αὐτὰς τοῦ χειμῶνος, ὥσπερ ἱματίοις τῇ καλάμῃ τοῦ πυροῦ, καὶ τοιούτοις τισὶν, ὅσα εἴωθεν εἴργειν τὴν ἐκ τοῦ ἀέρος ἐπιγιγνομένην τοῖς δένδρεσι βλάβην. ἐγένετο δὴ οὖν ὁ χειμὼν τοῦ εἰωθότος σφοδρότερος, καὶ παρέφερεν ὁ ποταμὸς ὥσπερ μαρμάρου πλάκας. ἴστε δήπου τὸν Φρύγιον λίθον, ᾧ ἐῴκει μάλιστα [τοῦ λευκοῦ τούτου] τὰ κρύσταλλα μεγάλα, καὶ ἐπάλληλα φερόμενα· καὶ δὴ καὶ συνεχῆ ποιεῖν ἤδη τὸν πόρον ἔμελλε, καὶ τὸ ῥεῦμα γεφυροῦν. ὡς οὖν ἐν τούτοις ἀγριώτερος ἦν τοῦ συνήθους, ἐθάλπετο δὲ τὸ δωμάτιον οὐδαμῶς, ὅπε ἐκάθευδον· ὅνπερ εἰώθει τρόπον ὑπὸ τῶν καμίνοις τὰ πολλὰ τῶν οἰκημάτων ἐκεῖ θερμαίνεσθαι, καὶ ταῦτα ἔχον εὐπρεπῶς

pter calorem (ut aiunt) Oceani. Stadia enim abeſt non amplius nongenta, ac fortaſſe quædam tenuis aura illinc diffunditur: videtur autem maritima aqua dulci eſſe calidior. Sive igitur ob hanc cauſſam, ſive aliam mihi ignotam, ita ſe res habet: hyems ejus terræ incolis mitior eſt: propterea vites optimæ illic naſcuntur. quin etiam ficus multi jam arte quadam extulerunt, cum eas per hyemem calamis tritici tanquam veſtimentis contegerent, & aliis ejuſmodi rebus, quæ cœli injurias arboribus prohibere ſolent. Erat tum igitur hyems ſolito vehementior, & fluvius quaſi marmoreas cruſtas prætervehebat (noſtis lapidem Phrygium, cui perſimiles erant candidi iſtius lapidis cruſtæ concretæ, magnæ, & aliæ ex aliis labentes) quinetiam fluvium conjuncturæ, & tanquam pontem facturæ videbantur. Cum igitur in his rebus durior & agreſtior eſſem, quàm unquam antea, nequaquam cubiculum, in quo requieſcebam, calefieri patiebar, quo modo illic pleraque domicilia ſub caminis calefiunt, cum tamen ad ignis calo-

πρὸς τὸ παραδέξασθαι τὴν ἐκ πυρὸς ἀλέαν· συνέβη δὲ, οἶμαι, καὶ τότε διὰ σκαιότητα τὴν ἐμὴν, καὶ τὴν εἰς ἑαυτὸν πρῶτον, ὡς εἰκὸς, ἀπανθρωπίαν· ἐβουλόμην γὰρ ἐμαυτὸν ἐθίζειν ἀνέχεσθαι τὸν ἀέρα ταύτης ἐνδεῶς ἔχοντα τῆς βοηθείας. ὡς δὲ ὁ χειμὼν ἐπεκράτει, καὶ ἀεὶ μείζων ἐπεγίνετο, θερμῆναι μὲν οὐδ᾽ ὣς ἐπέτρεψα τοῖς ὑπηρέταις τὸ οἴκημα, δεδιὼς κινῆσαι τὴν ἐν τοῖς τοίχοις ὑγρότητα· κομίσαι δ᾽ ἔνδον ἐκέλευσα πῦρ κεκαυμένον, καὶ λαμπροὺς ἀποθέσθαι παντελῶς μετρίους· οἱ δὲ καίπερ ὄντες οὐ πολλοὶ, παμπληθεῖς ἀπὸ τῶν τοίχων ἀτμοὺς ἐκίνησαν, ὑφ᾽ ὧν καὶ κατέδαρθον ἐμπιπλαμένης μοι τῆς κεφαλῆς. ἔδεισα μὲν οὖν ἀποπνιγῆναι· κομισθεὶς δ᾽ ἔξω, τῶν ἰατρῶν παραινούντων ἀπορρίψαι τὴν ἐντεθεῖσαν ἄρτι τροφὴν, οὔτι μὰ Δία πολλὴν οὖσαν, ἐξέβαλον, καὶ ἐγενόμην αὐτίκα ῥάων, ὥστε μοι γενέσθαι κουφοτέραν τὴν νύκτα, καὶ τῆς ὑστεραίας πράττειν ὅ,τι περ ἐθέλοιμι. οὕτω μὲν οὖν ἐγὼ ἐν Κελτοῖς κατὰ τὸν τοῦ Μενάνδρου δύσκολον αὐτὸς ἐμαυτῷ πόνους προσετίθουν. ἀλλ᾽ ἡ Κελτῶν μὲν ταῦτα ῥᾷον ἔφερεν

ἀγροι-

rem excipiendum eſſet opportunum. Quod tum quoque accidit ob meam duritiem, atque in me ipſum præcipue, ut verè dicam, inhumanitatem, qui me ad illum aërem tolerandum aſſuefacere volebam, ejus præſidii maximè indigentem. Cumque hiems invaleſceret, atque in dies fieret vehementior, ne tum quidem famulis meis permiſi, ut domicilium calfacerent, veritus ne humorem, qui in parietibus erat, commoverem: itaque accenſum ignem, & candentes aliquot carbones inferri juſſi. Hi verò etſi non multi erant, attamen multum vaporem è parietibus excitarunt, à quo cum caput meum oppletum eſſet, ſomnus me complexus eſt. Ac ſanè metui, ne ſuffocarer. Verùm raptus extra cubiculum, medicis ſuadentibus, ut cibum, quem antea ſumpſeram, ejicerem, non multum ejeci: neque ſanè multus erat: ita me levatum ſenſi, adeo ut & nocte leviore uſus fuerim, & poſtero die ad quidvis agendum paratus. Quare ad hunc modum ego apud Gallos, ſicut ille apud Menandrum Dyſcolus, labores novos mihi procurabam. Verùm hoc facile Gallorum ruſticitas

ferebat.

ἀγροικία. πόλις δ' εὐδαίμων καὶ μακαρία, καὶ πολυάνθρωπος. εἰκότως ἄχθεται. ἐν ᾗ πολλοὶ μὲν ὀρχησταί, πολλοὶ δ' αὐληταί, μῖμοι δὲ πλείους τῶν πολιτῶν· αἰδὼς δ' οὐκ ἔστιν ἀρχόντων· ἐρυθριᾷν γὰρ πρέπει τοῖς ἀνάνδροις, ἐπεὶ τοῖς γε ἀνδρείοις, ὥσπερ ὑμεῖς, ἕωθεν κωμάζειν, νύκτωρ ἡδυπαθεῖν, ὅτι τῶν νόμων ὑπερορᾶτε, μὴ λόγῳ διδάσκειν, ἀλλὰ τοῖς ἔργοις ἐνδείκνυσθαι. καὶ γὰρ οἱ νόμοι φοβεροὶ διὰ τοὺς ἄρχοντας· ὥστε ὅστις ἄρχοντα ὕβρισεν, οὗτος ἐκ περιουσίας τοὺς νόμους καταπεπάτησεν· οἱ δὲ ἐπὶ τούτοις εὐφραινόμενοι δῆλον ποιεῖτε, πολλαχοῦ μὲν, οὐχ ἥκιστα δ' ἐν ταῖς ἀγοραῖς, καὶ ἐν τοῖς θεάτροις· ἀπὸ μὲν τῶν κρότων, καὶ ἀπὸ τῆς βοῆς, ὁ δῆμος· οἱ δ' ἐν τέλει, τῷ γνωριμώτεροι μᾶλλον εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι παρὰ πᾶσιν, ἀφ' ὧν εἰς τὰς τοιαύτας ἑορτὰς ἐδαπάνησαν, ἢ Σόλων ὁ Ἀθηναῖος ἀπὸ τῆς πρὸς Κροῖσον τὸν Λυδῶν βασιλέα συνουσίας· καλοὶ δὲ πάντες, καὶ μεγάλοι, καὶ λεῖοι, καὶ ἀγένειοι, νέοι τε ὁμοίως, καὶ πρεσβύτεροι ζηλωταὶ τῆς εὐδαιμονίας τῶν Φαιάκων,

Εἵματά τ' ἐξημοιβά, λοετρά τε θερμά, καὶ εὐνάς,

ſcrebat. At civitas opulenta, & florens, & hominum frequentia abundans jure ſuccenſet: in qua ſcilicet multi ſunt ſaltatores, multi tibicines, hiſtriones plures quam cives, nulla in principes verecundia. Erubeſcant ſanè ignavi: at viri fortes, quales vos eſtis, mane debent comeſſari, noctu voluptati operam dare: leges parum vobis curæ eſſe, non verbis docere, ſed re ac factis demonſtrare. Leges enim principum cauſſa timentur. Quare qui principem violare auſus eſt, is multo etiam magis leges violavit. Quæ vobis voluptati eſſe, cùm alibi ſæpe, tum maximè in foro & theatro oſtenditis: populus, plauſu & clamore: magiſtratus fama & nominis gloria, quam ſumptibus iſtis feriisque celebrandis multo majorem pepererunt, quam Solon Athenienſis ex illa conſuetudine, quæ ei cum Crœſo rege Lydorum interceſſit: omnes verò ſunt formoſi, proceri, glabri, & imberbes, juvenes & ſenes felicitatem Phæacum imitantur,

Balneáque & veſtes varias, ſtratumque cubile,

recto

ἀντὶ τῆς ὁσίας ἀποδεχόμενοι. τὴν δὲ σὴν ἀγροικίαν, καὶ ἀπανθρωπίαν, καὶ σκαιότητα τούτοις ἁρμόσειν ὑπέλαβες; οὕτως ἀνόητόν ἐστί σοι καὶ φαῦλον, ὦ πάντων ἀνθρώπων ἀμαθέστατε καὶ φιλαπεχθημονέστατε, τὸ λεγόμενον ὑπὸ τῶν εὐγενεστάτων, σῶφρον τοῦτο ψυχάριον, ὃ δὴ σὺ κοσμεῖν καὶ καλλωπίζειν σωφροσύνῃ χρῆναι νομίζεις; οὐκ ὀρθῶς· ὅτι πρῶτον μὲν ἡ σωφροσύνη τί ποτ' ἐστὶν, οὐκ ἴσμεν· ὄνομα δ' αὐτῆς ἀκούοντες μόνον, ἔργον οὐχ ὁρῶμεν. εἰ δὲ ὁποῖον σὺ νῦν ἐπιτηδεύεις ἐστὶν, ἐπίστασθαι μὲν, ὅτι θεοῖς χρὴ δουλεύειν καὶ νόμοις· ἐκ τῶν ἴσων δὲ τοῖς ὁμοτίμοις προσφέρεσθαι, καὶ τὴν ἐν τούτοις ὑπεροχὴν φέρειν πρᾳότερον· ἐπιμελεῖσθαι καὶ προνοεῖν, ὅπως οἱ πένητες ὑπὸ τῶν πλουτούντων ἥκιστα ἀδικηθήσονται, καὶ ὑπὲρ τούτου πράγματα ἔχειν, ὁποῖα εἰκός ἐστί ποι γενέσθαι πολλάκις, ἀπεχθείας, ὀργὰς, λοιδορίας· εἶτα καὶ ταῦτα φέρειν ἐγκρατῶς, καὶ μὴ χαλεπαίνειν, μηδ' ἐπιτρέπειν τῷ θυμῷ, παιδαγωγεῖν δὲ αὐτὸν, ὡς ἐνδέχεται, καὶ σωφρονίζειν. εἰ δὲ καὶ τοῦτό τις ἔργον θείη σωφροσύνης, ἀπέχεσθαι πάσης ἡδονῆς οὐ

λίαν

recto & honeſto anteponunt. Atque hæc cùm ita ſint, tamen ruſticitatem, inhumanitatem, & duritiam tuam cum his deliciis convenire poſſe exiſtimaſti? Adeone tibi ſtulta eſt & vilis, ô hominum imperitiſſime, atque importuniſſime, quæ à clariſſimis viris dici ſolet, temperans hæc animula, quam tu ornari decorarique temperantia cenſes oportere? In quo ſane vehementer erras. Primum enim temperantia quid ſit, neſcimus; nomen ſolum ejus tenemus; quid ipſa valeat ignoramus. Quod ſi ea talis eſt, qualem tu nunc inſtituis, certè hoc ſciemus, Temperantiam eſſe Diis & legibus ſervire, æquo jure cum æqualibus vivere: ſi qua in re excellas, moderatè id ferre: curare ac providere, ne à divitibus pauperes opprimantur, ob eamque cauſſam moleſtias omnes exorbere, quales tibi perſæpe accidiſſe veriſimile eſt, ut inimicitias, iras, contumelias: deinde hæc omnia leniter ferre, neque iraſci, neque animo indulgere tuo; ſed eum regere, & caſtigare diligenter: denique ſi quis hoc quoque in parte aliqua temperantiæ numeret, abſtinere palam ab omni voluptate, quæ neque admo-
dum

λίαν ἀπρεπὲς, οὐδ' ἐπονείδιστος δοκοίης, ἐν τῷ φανερῷ, πεπεισμένος ὡς οὐκ ἔστιν ἰδίᾳ σωφρονεῖν οἴκοι καὶ λάθρα, τῇ δημοσίᾳ καὶ φανερῶς ἀκόλαστον εἶναι θέλοντα, καὶ τερπόμενον τοῖς θεάτροις. εἰ δὴ οὖν ὄντως ἡ σωφροσύνη τοιοῦτόν ἐστι, ἀπόλωλας μὲν αὐτὸς, ἀπολλύεις δὲ ἡμᾶς, οὐκ ἀνεχομένους ἀκούειν πρῶτον ὄνομα δουλείας, οὔτε πρὸς θεοὺς, οὔτε πρὸς νόμους. ἡδὺ γὰρ ἐν πᾶσι τὸ ἐλεύθερον. ἡ δὲ εἰρωνεία πόση; δεσπότης εἶναι οὐ φῄς, οὐδὲ ἀνέχῃ τοῦτο ἀκούων, ἀλλὰ καὶ ἀγανακτεῖς· ὥστε ἤδη ἔπεισας πλείους ἐθάδας πάλαι γινομένους, ἀφελεῖν ὡς ἐπίφθονον τῆς ἀρχῆς τοῦτο τὸ ὄνομα· δουλοῦσθαι δ' ἡμᾶς ἀναγκάζεις ἄρχουσι καὶ νόμοις. καίτοι πόσω κρεῖττον ἦν ὀνομάζεσθαί σε ἡμέτερον δεσπότην, ἔργῳ δὲ ἐᾶν ἡμᾶς εἶναι ἐλευθέρους; ὦ τὰ μὲν ὀνόματα πρᾳότατε, πικρότατε δὲ τὰ ἔργα. πρὸς δὲ τούτοις ἀποκναίεις, βιαζόμενος μὲν τοὺς πλουσίους ἐν δικαστηρίοις μετριάζειν, τοὺς πένητας δὲ εἴργεις συκοφαντεῖν. ἀφεὶς δὲ τὴν σκηνὴν, καὶ τοὺς μίμους, καὶ τοὺς ὀρχηστὰς, ἀπολώλεκας ἡμῶν τὴν πόλιν, ὥστε οὐδὲν ἡμῖν ἀγαθὸν ὑπάρχειν παρὰ σοῦ πλὴν τῆς βαρύ-

dum inhoneſta, neque turpis videantur, quod exiſtimes, non poſſe quemquam domi temperantem eſſe, ſi foris diſſolutus ſit, theatriſque delectetur: Si, inquam, talis temperantia eſt, tu te perdis, & nos perdis, qui ſervitutis ne nomen quidem audire poſſumus, neque erga Deos, neque erga leges: jucunda eſt enim in omnibus rebus libertas. Iam quanta eſt iſta diſſimulatio? negas te dominum eſſe, neque hoc nomen pati potes, imò etiam iraſceris (itaque multi jam te authore nomen iſtud de imperio tanquam invidioſum ſuſtulerunt, qui olim ei aſſueverant:) & tamen nos ſervire cogis & magiſtratibus & legibus. Atqui quanto fuiſſet melius te dominum noſtrum appellari, re autem ipſa liberos nos eſſe ſinere? O te oculis quidem clementiſſimum, factis verò acerbiſſimum! Deinde enecas nos, çùm divites in judiciis moderatos eſſe cogis, pauperes calumniandi libertate ſpolias: dimiſſis verò ſcenis, hiſtrionibus, & ſaltatoribus urbem noſtram perdidiſti, adeò ut nihil boni à te percipiamus, niſi quod odioſam iſtam ſeveritatem ſeptimum jam menſem

perpeſſi,

τηλος, ἀνεχόμενοι μῆνα ἕβδομον τουτονί,
τὸ καὶ εὔχεσθαι πάντως ἀπαλλαγῆναι τοῦ το-
σούτου κακοῦ, τοῖς περὶ τοὺς τάφους καλινδου-
μένοις γραϊδίοις συνεχωρήσαμεν· ἡμεῖς δὲ
αὐτὸ διὰ τῆς ἡμῶν αὐτῶν εὐτραπελίας
ἐξειργασάμεθα, βάλλοντές σε τοῖς σκώμμα-
σιν, ὥσπερ τοξεύμασι. σὺ δέ, ὦ γενναῖε, πῶς
ἀνέξῃ τὰ Περσῶν βέλη, τὰ ἡμέτερα τρέ-
σας σκώμματα; ἰδού, βούλομαι πάλιν ἀπ'
ἄλλης ἀρχῆς ἐμαυτῷ λοιδορήσασθαι. φοι-
τᾷς εἰς τὰ ἱερά, δύσκολε καὶ δύστροπε, καὶ
πάντα μοχθηρέ. συρρεῖ δὲ διά σε τὰ πλή-
θη πρὸς τὰ τεμένη, καὶ μέντοι καὶ οἱ πλείους
τῶν ἐν τέλει, καὶ ἀποδέχονταί σε σὺν βοῇ μετὰ
κρότων λαμπρῶς ἐν τοῖς τεμένεσιν, ὥσπερ
ἐν τοῖς θεάτροις: τί οὖν οὐκ ἀγαπᾷς, οὐδ'
ἐπαινεῖς, ἀλλ' ἐπιχειρεῖς εἶναι σοφώτερος
τὰ τοιαῦτα τοῦ Πυθίου, καὶ δημηγορεῖς ἐν τῷ
πλήθει, καὶ καθάπτῃ τῶν βοώντων πικρῶς,
αὐτὸ δὴ τοῦτο λέγων τὸ ποιούμενον ὑπ' αὐ-
τῶν, ὡς ὑμεῖς τῶν θεῶν ἕνεκεν ὀλιγάκις εἰς
τὰ τεμένη συνέρχεσθε· συνδραμόντες δὲ
δι' ἐμὲ πολλῆς ἀκοσμίας ἀναπίμπλατε
τὰ ἱερά. πρέπει δ' ἂν ἀνδράσι σωφροσύνῃ
κεκοσμημένοις, εὔχεσθαι σιγῇ παρὰ τῶν

perpeſſi, vota quidem & preces, quo tantis malis eriperemur, ad vetulas dimiſimus, quæ circum ſepulchra mortuorum aſſidue verſantur: nos autem id, quod volebamus, facetiis noſtris conſecuti ſumus, cùm te conviciis quaſi telis configeremus. At tu, vir generoſe ac fortis, quemadmodum Perſarum tela ſuſtinebis, qui ad noſtra convicia perhorreſcis? Age verò, lubet iterum me ducto aliunde initio vituperare. Ventitas in templa, ô agreſtis, ô dure, & modis omnibus improbe: tua cauſſa populus, imò etiam magiſtratus complures in templa confluunt; & acciperis cum plauſu & clamore magnificè in templis, ut in theatris. Quin igitur contentus es? quin laudas, & probas ea, quæ fiunt? quid ſapientior eſſe vis ipſo Pythio, & concionaris ad populum, acriterque reprehendis eos, qui clamant, iiſque quod faciunt, commemoras: Vos, inquis, rarò in templa, Deorum cauſſa, convenitis; & cùm mea cauſſa veniſtis, omnia miſcetis, & turbatis. Decebat ſanè bonos & modeſtos viros cum ſilentio precantes, bona

à Diis

θεῶν αἰτουμένοις τὰ ἀγαθὰ, τοῦτον ὅιω ἀκροᾶσθαι τὸν νόμον Ομήρου,

Σιγῇ ἐφ' ὑμείων.----
ὡς οὐδ' ἂν Οδυσσεὺς ἐπέσχε τὴν Εὐρύκλειαν ἐκπεπληγμένην ὑπὸ μεγέθους τοῦ κατορθώματος,

Εν θυμῷ, γραῦ, χαῖρε καὶ ἴσχεο, μηδ' ὀλόλυζε. τὰς δὲ δὴ Τρῳάδας οὔτε πρὸς τὸν Πρίαμον, ἤ ἵνα τῶν τούτου γαμετῶν, ἤ θυγατέρων, ἢ υἱέων, οὐ μὴν οὐδ' αὐτὸν τὸν Εκτορα. καί τοι τούτῳ, φησὶν, ὡς θεῷ Τρῶας εὔχεσθαι· εὐχομένας δὲ οὐκ ἔδειξεν ἐν τῇ ποιήσει, οὔτε γυναῖκας, οὐδ' ἄνδρας. ἀλλὰ τῇ Αθηνᾷ ὀλολυγῇ πᾶσαι, φησὶ, χεῖρας ἀνέσχον. βαρβαρικὸν μὲν γὰρ τοῦτο γὰρ γυναιξὶ πρέπον· οὐ μὴν ἀνόσιον πρὸς τοὺς θεοὺς, ὥσπερ τὸ παρ' ὑμῶν ποιούμενον. ἐπαινεῖτε γὰρ ἀντὶ τῶν θεῶν τοὺς ἀνθρώπους ἡμᾶς καὶ κολακεύετε. κάλλιστον δ' ἐστιν, οἶμαι, μηδ' ἐκείνους κολακεύειν, ἀλλὰ θεραπεύειν σωφρόνως ἰδού, πάλιν ἐγὼ τὰ συνήθη τεχνιτεύω λεξείδια, καὶ οὐδ' ἐμαυτῷ συγχωρῶ φθέγγεσθαι, ὡς ἔτυχεν, ἀδεῶς καὶ ἐλευθέρως· ἀλλὰ ὑπὸ τῆς συνήθους σκαιότητος καὶ ἐμαυτὸν συκοφαντῶ. ταῦτά τις καὶ

à Diis petere; & hanc certè Homeri legem audire,

Inter vos tacitè. ----

Neque enim Ulyſſes Eurycleam cohibuiſſet, magnitudine facinoris ſtupefactam,

Gaude animo, vetula, & cohibe, nec ſunde querelas.

Troianas quidem certe neque Priamo, neque cuiqum ex ejus conjugibus, aut filiabus, aut liberis, ac ne ipſi quidem Hectori (quanquam huic veluti Deo ait Troianos ſupplicare) ſed tamen illis ſupplices neque fœminas, neque viros fecit in poëmate. Sed ad Minervam (ait) omnes cum ululatu manus tendebant. Quanquam hoc etiam barbarorum eſt, & mulierculis conſentaneum; tametſi non impium erga Deos, ſicuti id, quod vos facitis, qui nos homines tanquam Deos collaudatis, nobiſque adulamini: cùm longe melius eſſet, ne Diis quidem ipſis adulari, ſed ſobrie ac modeſte eos colere. Ecce iterum voculas illas effingo, quibus uti apud vos conſuevi, neque interea mihi libertatem dicendi permitto: ſed pro uſitata mihi duritie aſperitateque meipſum defraudo. Hæc igitur

τοιαῦτ' ἂν λέγοι πρὸς ἄνδρας, οὐ τὰ πρὸς τοὺς ἄρχοντας μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς θεοὺς ἐλευθέρους εἶναι θέλοντας, ὅπως τις εὔνους αὐτοῖς, καὶ ὥσπερ πατὴρ ἤπιος νομισθείη, φύσει πονηρὸς ὤν, ὥσπερ ἐγώ. ἀνέχου τοίνυν αὐτῶν μισούντων, καὶ λοιδορούντων λάθρα ἢ καὶ φανερῶς, ἐπειδὴ κολακεύειν ἐνόμισας τοὺς ἐν τοῖς ἱεροῖς ὁρώμενόν σε ἐπαινοῦντας. οὐ γὰρ, οἶμαι, διενοήθης, ὅπως ἁρμόσεις τῶν ἀνδρῶν, οὔτε τοῖς ἐπιτηδεύμασιν, οὔτε τοῖς βίοις, οὔτε τοῖς ἤθεσιν. εἶεν, ἀλλ' ἐκεῖνο τίς ἀνέξεταί σου; καθεύδεις ὡς ἐπίπαν νύκτωρ μόνος, οὐδ' ἔστιν οὐδὲν ὅσον τὸ ἄγριον καὶ ἀνήμερον μαλάξει θυμόν. ἀποκέκλεισται δὲ πάσῃ πανταχοῦ πάροδος γλυκυθυμίᾳ, καὶ τὸ μέγιστον τῶν κακῶν, ὅτι τοιοῦτον ζῶν βίον εὐφραίνῃ, καὶ πεποίησαι τὰς κοινὰς κατάρας ἡδονήν. εἶτα ἀγανακτεῖς εἴ του τὰ τοιαῦτα ἀκούεις, ἐξὸν εἰδέναι χάριν τοῖς ὑπ' εὐνοίας ἐμμελέστερόν σε νουθετοῦσιν ἐν τοῖς ἀναπαίστοις, ἀποψιλῶσαι μὲν τὰς παρειάς, καλὰ δὲ ἀπὸ σαυτοῦ πρῶτον ἀρξάμενον δεικνύειν πάντα τῷ δήμῳ τῷ φιλογέλωτι τῷδε θεάματα,

μίνους,

igitur & alia hujuſmodi diſſeret quiſpiam apud homines, qui non modo liberi in principes, ſed etiam in Deos ipſos eſſe volunt, ut eorum ſtudioſus & quaſi benignus parens habeatur, cum tamen natura, perinde ac ego, ſit improbus. Patere igitur te iis odio eſſe, & clam aut aperte reprehendi, quoniam adulari tibi putas eos, qui tè viſum in templis laudant. Non enim, ſicut opinor, cogitaſti, quemadmodum cum eorum hominum inſtitutis, vita & moribus congruere deberes. Sed, age, iſta ſileantur: ecquis illud ferendum putet? Dormis fere ſingulas noctes ſolus, neque quicquam eſt, quod immitem ac ferum iſtum animum poſſit lenire: interclusiſti penitus omnem aditum ſuavitati, & quod malorum caput eſt, tali vita te oblectas, atque illud jam perfeciſti, ut de te ſtabilis omnibus voluptas eſſe videatur. Atque hæc cum ita ſint, tamen iraſceris, ſi à quoquam iſta audias; cum deberes potius gratias agere iis, qui te amice & muſice per anapæſtos admonent, primum ut nudes iſtas genas, deinde ut à tè initium faciens, jucunda omnia ſpectacula des iſti populo ridendi imprimis avido, ut

g mimos,

μίμους, ὀρχηστὰς, ἥκιστα αἰσχυνομένας γυναῖκας, παιδάρια περὶ κάλλους ἁμιλλώμενα ταῖς γυναιξὶν, ἄνδρας ἀποψιλουμένους οὐκ ἐπὶ τὰς γνάθους μόνον, ἀλλὰ καὶ ἅπαν τὸ σῶμα, λειότεροι τῶν γυναικῶν ὅπως φαίνοιντο τοῖς ἐντυγχάνουσιν, ἑορτὰς, πανηγύρεις, οὐκ ἐπὶ μὰ Δία τὰς ἱερὰς ἐν αἷς χρὴ σωφρονεῖν· ἅλις μὲν γὰρ ἐκείνων ἐστὶν, ὥσπερ τῆς δρυὸς, καὶ πολὺς ὁ κόρος αὐτῶν. ἔθυσεν ὁ Καῖσαρ ἐν τῷ τοῦ Διὸς ἅπαξ, εἶτα ἐν τῷ τῆς Τύχης, εἰς τὸ τῆς Δήμητρος τρὶς ἐφεξῆς ἐβάδισεν· ἐπιλέλησμαι γὰρ εἰς τὸ τῆς Δάφνης ὁσάκις εἰσῆλθον τέμενος, προδοθὲν μὲν ὀλιγωρίᾳ τῶν φυλάκων, τῇ δὲ τῶν ἀθέων ἀνδρῶν τόλμῃ ἀφανισθέν. ἡ Σύρων ἥκει Νεομηνία, καὶ ὁ Καῖσαρ αὖθις εἰς Φιλίου Διός· εἶτα ἡ πάγκοινος ἑορτὴ, καὶ ὁ Καῖσαρ εἰς τὸ τῆς Τύχης ἔρχεται τέμενος. ἐπισχὼν δὲ τὴν ἀποφράδα, πάλιν ἐς Φιλίου τὰς εὐχὰς ἀναλαμβάνει κατὰ τὰ πάτρια. καὶ τίς ἀνέξεται τοσαυτάκις εἰς ἱερὰ φοιτῶντος Καίσαρος, ἐξὸν ἅπαξ ἢ δὶς ἐνοχλεῖν τοῖς θεοῖς, ἐπιτελεῖν δὲ τὰς πανηγύρεις ἐκείνας, αἳ κοιναὶ μέν εἰσι πάντῃ τῷ δήμῳ, καὶ ὧν ἔξεστι μετέ-

mimos, ſaltatores, laſcivas mulieres, pueros de forma cum quavis muliere certantes, viros non modo genis, ſed etiam toto corpore depilatos, ut ipſas etiam fœminas mollitie corporis vincere videantur: poſtremo ferias, conventus celebres, non ſacros me hercule, in quibus modeſte, & temperanter vivendum eſt: horum enim ſatis eſt, tanquam glandis, & multa jam eſt eorum ſatietas: Sacrificavit ſemel Cæſar in templo Iovis, deinde in Fortuna, deinceps ter ivit ad Cereris: (neque enim quoties ad Daphnes templum ierim, memoria teneo, proditum quidem illud cuſtodum negligentia, deletum autem impiorum hominum audacia) veniunt Syrorum Calendæ? Cæſar rurſum ad Iovis Philii: venit publicum feſtum: Cæſar continuo it in templum Fortunæ: intermiſſo verò nefaſto die, rurſum in ædem Iovis Philii more majorum vota ſuſcipit: Et quis Cæſarem ferat tam ſæpe in templa ventitantem, cùm liceat ſemel atque iterum Diis moleſtiam exhibere: ferias autem illas celebrare, quæ toti populo communes ſunt, & quarum

 parti-

μετέχειν, οὐ τοῖς ἐπισταμένοις θεοὺς, ἀλλὰ καὶ ὧν ἐστὶν ἡ πόλις πλήρης; ἡδονὴ δὲ πολλὴ καὶ χάριτες, ὁποίας ἄν τις εὐφραίνοιτο διηνεκῶς καρπούμενος, ὁρῶν ὀρχουμένους ἄνδρας, καὶ παιδάρια, καὶ γύναια πολλά. ὅταν οὖν ταῦτα λογίζομαι, μακαρίζω μὲν ὑμᾶς τῆς εὐδαιμονίας, ἐμαυτῷ δὲ οὐκ ἄχθομαι· φίλα γὰρ ἐστί μοι κατά τινα θεὸν ἴσως ταῦτα. διόπερ εὖ ἴστε, οὐδ' ἀγανακτῶ τοῖς δυσχεραίνουσί μου τῷ βίῳ καὶ τῇ προαιρέσει. προστίθημι δ' αὐτοῖς ὅσα δυνατόν ἐστί μοι τὰ εἰς ἐμαυτὸν σκώμματα, μειζόνως ἐπιχέων ἐμαυτοῦ ταυτασὶ τὰς λοιδορίας, ὃς ὑπὸ ἀφροσύνης οὐ συνῆκα πάλαι τὸν ἐξ ἀρχῆς τὸ τῆς πόλεως ἦθος. καὶ ταῦτα τῶν ἡλικιωτῶν τῶν ἐμῶν, ὡς ἐμαυτὸν πείθω, βιβλία ἀναλέξας οὐδενὸς ἀριθμὸν ἐλάττω. λέγεταί ποτε τὸν ἐπώνυμόν ποτε τῆς δὲ τῆς πόλεως βασιλέα, μᾶλλον δὲ οὗπερ ἐπώνυμος ἥδε ἡ πόλις συνῴκισται· πεποίηται μὲν γὰρ ὑπὸ Σελεύκου, τοὔνομά τε ἔχει ἀπὸ τοῦ Σελεύκου παιδός· ὃν δή φασι δι' ὑπερβολὴν ἁβρότητος, καὶ τρυφῆς ἐρῶντα ἀεὶ καὶ ἐρώμενον, τέλος ἄδικον ἔρωτα τῆς ἑαυτοῦ

μητρυιᾶς

participes eſſe poſſunt, non ii modo, qui Deos norunt, ſed etiam illi, quorum plena eſt civitas? Magna verò voluptas eſſet atque oblectatio, quam quiſque perciperet, cum ſaltantes viros, pueros, mulierculas cerneret. Ego verò cùm iſta mecum cogito atque conſidero, beatos ſine dubio vos eſſe judico, quibus tam fortunatis eſſe liceat. Sed non ideo tamen mihi iraſcor: ſunt enim hæc mihi, forſitan Deo aliquo authore, jucunda. Itaque mihi credite, neque iis ſuccenſeo, qui vitam & inſtitutum meum reprehendunt: imo addo illis etiam quæcunque alia poſſum in meipſum convicia, meque his maledictis graviùs inceſſo, quippe qui ob ſtultitiam meam à principio non viderim, quales eſſent hujus civitatis mores, idque cum in libris legendis non minus quam quiſquam meorum æqualium verſatus ſim. Proditum eſt memoriæ, regem eum, qui ab iſta urbe nomen duxit, vel potiùs cujus nomine civitas hæc habitata eſt (condita ſiquidem eſt à Seleuco, nomen vero habet à Seleuci filio) hunc, inquam, aiunt ob luxus ac deliciarum immoderationem ſemper amare aut amari ſolitum, tandem impuro novercæ amore

μητρυιᾶς ἐρασθῆναι. κρύπτειν δ᾽ ἐθέλοντα τὸ πάθος, οὐ δυνάμενος τὸ σῶμα δ᾽ αὐτοῦ κατὰ μικρὸν τηκόμενον, ἀφανῶς οἴχεσθαι, καὶ ὑπορρεῖν τὰς δυνάμεις, καὶ τὸ πνεῦμα ἔλαττον εἶναι τοῦ συνήθους. ἐώκει δ᾽ οἶμαι τὸ κατ᾽ αὐτὸν, αἰνίγματι, σαφῆ μὲν οὐκ ἐχούσης αἰτίαν τῆς νόσου, μᾶλλον δὲ οὐδ᾽ αὐτῆς, ἥτις ποτέ ἐστι, φαινομένης. ἐναργοῦς δ᾽ οὔσης τῆς περὶ τὸ μειράκιον ἀσθενείας, ἐνθάδε μέγας ἆθλος ἰατρῷ προὐτέθη τῷ Σαμίῳ, τὴν νόσον ἥ τις ποτέ ἐστιν ἐξευρεῖν. ὁ δὲ ὑπονοήσας ἐκ τοῦ Ὁμήρου τίνες ποτέ εἰσι γυοβόροι μελεδῶνες, καὶ ὅτι πολλάκις οὐκ ἀσθένεια σώματος, ἀλλ᾽ ἀρρωστία ψυχῆς αἰτία γίγνεται τηκεδόνος τῷ σώματι, καὶ τὸ μειράκιον ὁρῶν ὑπό τε ἡλικίας καὶ συνηθείας οὐκ ἀναφρόδιτον, ὁδὸν ἐτράπετο τοιαύτην ἐπὶ τὴν τοῦ νοσήματος θήραν· καθίζει πλησίον τῆς κλίνης, ἀφορῶν εἰς τὸ πρόσωπον τοῦ μειρακίου, παριέναι κελεύσας καλούς τε καὶ καλὰς, ἀπὸ τῆς βασιλίδος ἀρξάμενος. ἡ δ᾽ ὡς ἦλθεν, ἐπισκεψομένη δῆθεν αὐτὸν, αὐτίκα ἐδίδου τὰ συνθήματα τοῦ πάθους ὁ νεανίας· ἆσθμα τοῦ θλιβομένου ἠφίει· ἐπέχειν γὰρ αὐτὸ κινούμενον, καίπερ σφόδρα

:aptum fuiſſe. Cum autem ægritu-
linem occultare vellet, minimè po-
'uiſſe, quod illi corpus ſenſim con-
abeſcens tacite collaberetur, & vi-
es deficerent, ſpirituſque imbecillior
:ſſet, quam ſolebat. Videbatur certè
llud ejus adoleſcentis ænigmati ſimi-
e, cum neque cauſſa morbi, neque
norbus ipſe appareret. Cùm igitur
ıdoleſcentis infirmitas manifeſta eſſet,
nagna ibi quæſtio medico Samio
›ropoſita fuit; quis tandem mor-
›us ille eſſet, cognoſcere. Is au-
'em ex Homeri verſibus ſuſpicatus,
]uænam eſſent γυιοβόροι μελεδῶνες curæ
nembra depaſcentes, quodque per-
æpe non corporis imbecillitas, ſed
ınimi ægritudo cauſſa ſit tabis cor-
›ori: ac videns adoleſcentem tum æ-
'ate, tum vitæ conſuetudine à Vene-
'e alienum non eſſe, hanc viam in
norbo inveſtigando tenuit: Sedet
uxta lectum, in adoleſcentis vultum
ntuens jubet formoſos & formoſas
›rocedere, ab ipſa regina ordiens.
.lla ut venit, ipſum videlicet inviſu-
:a, ſtatim morbi ſigna dedit adoleſ-
:ens: ſpiritum tanquam qui oppri-
muntur, emittebat: inhibere enim
motum ipſius, quamvis vehementer

ἐθέλων, οὐχ οἷός τε ἦν, καὶ ταραχὴ ἦν τοῦ
πνεύματος, καὶ πολὺ τὸ περὶ τὸ πρόσωπον
ἐρύθημα. ταῦτα ὁρῶν ὁ ἰατρὸς, προσετίθει τῷ
στέρνῳ τὴν χεῖρα, καὶ ἐπήδα δεινῶς ἡ καρδία,
καὶ ἔξω ἵετο. τοιαῦτα ἄττα ἔπασχεν ἐκείνης
παρούσης· ἐπεὶ δὲ ἀπῆλθεν, ἀπιόντων τῶν
ἄλλων, ἀτρέμας εἶχε, καὶ ἦν ὅμοιος τοῖς
οὐδὲν πάσχουσι. συνιδὼν δὲ τὸ πάθος ὁ Ερα-
σίστρατος, φράζει πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ ὃς
ὑπὸ τοῦ φιλόπαις εἶναι, παραχωρεῖν ἔφη τῷ
παιδὶ τῆς γαμετῆς. ὁ δὲ αὐτίκα μὲν ἠρνήσατο.
τελευτήσαντος δὲ τοῦ πατρὸς μικρὸν ὕστερον,
ἣν πρότερον διδομένην αὐτῷ χάριν εὐ-
γνωμόνως ἠρνήθη, μάλα κρατερῶς μετεδίω-
ξεν. Ἀντιόχῳ μὲν δὴ ταῦτα ἐποιήθη. τοῖς
δ᾽ ἀπ᾽ ἐκείνου γινομένοις οὐ νέμεσις ζηλοῦν
τὸν οἰκιστὴν, ἢ τὸν ὁμώνυμον. ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς
φυτοῖς εἰκός ἐστι διαδίδοσθαι μέχρι πολλοῦ
τὰς ποιότητας, ἴσως δὲ καὶ ἐπίπαν ὁμοίως
τὰ μετὰ ταῦτα τοῖς ἐξ ὧν ἐβλάστησε, φύεσθαι·
οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων εἶναι εἰκὸς παρα-
πλήσια τὰ ἤθη τῶν ἀπογόνων τοῖς προγό-
νοις. ἐγώ τοι καὶ αὐτὸς ἔγνων Ἀθηναίους Ελ-
λήνων φιλοτιμοτάτους καὶ φιλανθρωποτά-

τους,

cuperet, non poterat, & magna erat ſpiritus perturbatio, multuſque circa vultum rubor emicabat. Hæc cum videret medicus, manum ad pectus adoleſcentis admovet: ſaliebat cor vehementer, & quaſi de ſua ſede dimovebatur. Ac talia quidem coram regina patiebatur. Poſtquam vero illa diſceſſit, cæteris ſubſequentibus quietus erat, & ſimilis iis, qui nullam ſentiunt ægritudinem. Cognitum igitur morbum Eraſiſtratus Regi exponit. Ille, quod liberos amaret, permittere ſe ait filio uxorem. At is tum quidem recuſavit: patre autem mortuo non multo poſt tempore, quod munus antea ſibi datum generoſe repudiarat, cupidiſſimè arripuit. Ergo hæc Antiochus. Quare nulla invidia eſſe debet, ſi nepotes avum generis vel certè nominis authorem imitantur. Nam quemadmodum in plantis veriſimile eſt diffundi qualitates quàm latiſſimè, ac fortaſſe etiam in totum ſimilia naſci ea, quæ gignuntur, iis unde orta ſunt: ſic etiam in hominibus credibile eſt, nepotum mores avitis affines eſſe. Equidem Athenienſes, omnium Græcorum liberaliſſimos atque humaniſſimos eſſe

τοὺς, καίτοι τοῦτό γε ἐπιεικῶς ἐν πᾶσιν εἶδον τοῖς Ἕλλησιν, ἔχω δ' εἰπεῖν ὑπὲρ αὐτῶν, ὡς καὶ φιλόθεοι μάλιστα πάντων εἰσὶ, καὶ δέξιοι πρὸς τοὺς ξένους· καθόλου μὲν Ἕλληνες πάντες, αὐτῶν δ' Ἑλλήνων πλέον τοῦτο ἔχω μαρτυρεῖν Ἀθηναίοις. εἰ δ' ἐκεῖνοι διασώζουσιν εἰκόνα τῆς παλαιᾶς ἐν τοῖς ἤθεσιν ἀρετῆς· εἰκὸς δήπουθεν τὸ αὐτὸ ὑπάρχειν καὶ Σύροις, καὶ Ἀραβίοις, καὶ Κελτοῖς, καὶ Θραξὶ, καὶ Παίοσι, καὶ τοῖς ἐν μέσῳ κειμένοις Θρακῶν, καὶ Παιόνων, ὑπ' αὐταῖς Ἴστρου ταῖς ἠϊόσι, Μυσοῖς· ὅθεν δὴ καὶ τὸ γένος ἐστί μοι πᾶν ἄγροικον, αὐστηρὸν, ἀδέξιον, ἀναφρόδιτον, ἐμμένον τοῖς κριθεῖσιν ἀμετακινήτως· ἃ δὴ πάντα ἐστὶ δείγματα δεινῆς ἀγροικίας. αἰτοῦμαι τοίνυν ὑπὲρ ἐμαυτοῦ πρώτου συγγνώμην, ἐν μέρει δὲ καὶ ὑμῖν νέμω, τὰ πάτρια ζηλοῦσιν· οὐδ' ἐν ὀνείδει προφέρω, τὸ,

Ψεῦσταί τ', ὀρχησταί τε χοροιτυπίῃσιν
ἄριστοι.

τοὐναντίον δὲ ἀντ' ἐγκωμίων ὑμῖν προσεῖναί φημι πάτριον ζῆλον καὶ ἐπιτηδεύματα. ἐπεὶ καὶ Ὅμηρος ἐπαινῶν τὸν Αὐτόλυκον, φησὶ περιεῖναι πάντων,

animadverti. Quanquam probitatem quidem certe in omnibus Græcis vidi, poſſumque de iis affirmare, omnium eos religioſiſſimos & humaniſſimos erga hoſpites eſſe: veruntamen è Græcis ipſis uberius certe & majus hac de re teſtimonium Athenienſibus dare poſſum. Quod ſi ii virtutis ac morum effigiem antiquam retinent, quid eſt cur Syri, Arabes, Galli, Thraces, Illyrii, & inter hos ipſos ad ripas Iſtri interjecti Myſi idem facere non poſſint? At mihi genus ab iſtis eſt penitus agreſte, durum, ruſticum, inamœnum, pertinaciter adhærens ad ea, quæ ſemel judicavit; quæ omnia duritiem ingenii mirabilem oſtendunt. Quamobrem primùm veniam pro me deprecor, deinde vobis eandem viciſſim concedo, qui patrios mores vitamque perſequimini: neque probri loco jam illud profero,

Mendaceſque boniquc leves ſaltare choreas:

imo contra potius in magna laude pono, quod tam arcte accurateque patrum veſtrorum mores & inſtituta teneatis. Nam Homerus quoque Autolycum laudans, omnibus eum antecellere ait,

Κλεπτοσύνῃ θ' ὅρκῳ τε. ----
καὶ ἐμαυτῷ τὴν σκαιότητα, καὶ τὴν ἀμαθίαν,
καὶ τὴν δυσκολίαν, καὶ τὸ μὴ ῥᾳδίως μαλάτ-
τεσθαι, μηδὲ τοῖς δεομένοις, ἢ τοῖς ἐξαπατ-
ῶσι τὰ ἐμαυτοῦ ποιεῖσθαι, μηδὲ τῶν βοαῖς εἴ-
κειν. καὶ τὰ τοιαῦτα στέργω τὰ ὀνείδη. πότερα
μὲν οὖν ἐστὶ κουφότερα, θεοῖς ἴσως δῆλον,
ἐπείπερ ἀνθρώπων οὐδεὶς οἷός τε ἡμῖν ἐστὶν
ὑπὲρ τῶν διαφορῶν βραβεῦσαι· πειθόμεθα
γὰρ οὐδαμῶς αὐτῷ διὰ φιλαυτίαν· θαυμά-
ζειν γὰρ εἰκὸς τὰ ἑαυτοῦ ἕκαστον, ἀτιμάζειν δὲ
τὰ παρὰ τοῖς ἄλλοις. ὁ δὲ τῷ τὰ ἐναντία
ζηλοῦντι νέμων συγγνώμην, εἶναί μοι δοκεῖ
πρᾳότατος. ἐγὼ δὲ ἐννοήσας εὑρίσκω καὶ
ἕτερα δεινὰ ἐμαυτὸν εἰργασμένον. πόλιν γὰρ
προσιὼν ἐλευθέραν, τὸν αὐχμὸν τῶν τριχῶν
οὐκ ἀνεχομένην, ὥσπερ οἱ κουρέων ἀπο-
ροῦντες, ἄκαρτος, καὶ βαθυγένειος εἰσέ-
δραμον. ἐνόμισας ἂν Σμικρίνην ὁρᾶν, ἢ
Θρασυλέοντα, δύσκολον πρεσβύτην, ἢ
στρατιώτην ἀνόητον, ἐξὸν φανῆναι τῷ
καλλωπισμῷ παῖδα ὡραῖον, καὶ γενέσθαι
μειράκιον, εἰ μὴ τὴν ἡλικίαν, τὸν τρόπον γε καὶ
τὴν ἁβρότητα τοῦ προσώπου. οὐκ οἶσθα ἀνθρώ-

ποις

Furto ac juramento: ---

& mihi quoque hæc eſſe confiteor duritiem, ſtultitiam, acerbitatem, & non facile molliri, neque orantibus, aut poſtulantibus, ut res meas agam, neque vocibus aſſiduis concedere. Ac ſanè probris iſtis non offendor. Utra autem leviora ſint, Dii fortaſſe norunt, homo quidem certè nullus poteſt dijudicare, cum præſertim ingenitus cuique ſui amor non ſinat alteri fidem adhibere: quod ea ſit fere hominum natura, ut omnes ſua mirentur, aliena deſpiciant. Attamen qui genus vitæ contrarium ſequenti veniam dat, lenitate mihi videtur excellere. Ego autem cùm rem attentius cogito, aliis tamen modis me mihi nocuiſſe animadverto. Nam cum in urbem liberam venirem, quæ capillorum ſqualorem ferre non poteſt, veni ad eam cum barba longiſſima, & intonſus, quaſi tonſorum copia deeſſet: judicaſſes profectò te Smicrinem videre, aut Thraſyleonta, ſenem moroſum, aut militem amentem, cum liceret ornatu adhibito puerum formoſum videri, & fieri juvenem ſi minus ætate, at certe moribus, & facie delicata. Neſcis cum homini-

τοις ὁμιλεῖν, οὐδ' ἐπαινέτης εἶ τοῦ Θεόγνιδος, οὐδὲ μιμῇ τὸν ἀφομοιούμενον ταῖς πέτραις Πολύπουν, ἀλλ' ἡ λεγομένη Μυκωνος ἀγροικία τις καὶ ἀμαθία, καὶ ἀβελτηρία πρὸς πάντας ἐπιτηδεύεται παρὰ σοῦ. λέληθέ σε πολλοῦ δεῖν ταῦτα εἶναι Κελτοὺς, καὶ Θρᾷκας, καὶ Ἰλλυριοὺς; οὐχ ὁρᾷς ὁπόσα μὲν ἐν τῇ πόλει ταύτῃ καπηλεία; σὺ δὲ ἀπεχθάνῃ τοῖς καπήλοις, οὐ συγχωρῶν ὅπως βούλονται πωλεῖν αὐτοῖς τῷ δήμῳ τὰ ἐπιτήδεια, καὶ τοῖς ἐπιδημοῦσιν. οἱ δὲ τοὺς κεκτημένους τὴν γῆν αἰτιῶνται. σὺ δὲ καὶ τούτους ἐχθροὺς ποιεῖς σαυτῷ, τὰ δίκαια ποιεῖν ἀναγκάζων. οἱ δὲ ἐν τέλει τῆς πόλεως ἀμφοῖν μετέχοντες τὴν ζημίαν· ὥσπερ οἶμαι πρότερον ἔχαιρον διχόθεν καρπούμενοι τὰς ὠφελείας, καὶ ὡς κεκτημένοι, καὶ ὡς καπηλεύοντες· τανῦν εἰκότως λυποῦνται δὴ ἀμφοτέρων ἀφῃρημένοι τὰς ἐπικερδίας. ὁ δὲ τῶν Σύρων δῆμος οὐκ ἔχων μεθύειν, οὐδὲ κορδακίζειν, ἄχθεται· σὺ δὲ σῖτον ἄφθονον παρέχων, οἴει τρέφειν αὐτοὺς ἱκανῶς. ἐκεῖνο δέ σου χαρίεν, ὅτι οὐδὲ ὅπως ἰχθὺς ἐν τῇ πόλει πετραῖος ἔσται, σκοπεῖς. ἀλλὰ καὶ πρῴην μεμφομένου τινὸς, ὡς οὔτε

minibus vivere, neque Theognidem probas, neque imitaris Polypum, petras referentem: ſed illam Myconis ruſticitatem, & ſtultitiam, & amentiam veteri verbo tritam amplecteris. Neſcis multum abeſſe, ut tales ſint Galli, Thraces, Illyrii? Non vides multas in urbe cauponas eſſe? Tu verò cauponibus iraſceris, neque pateris eos annonam populo & exteris, quanti volunt, vendere. Et illi quidem de agrorum poſſeſſoribus queruntur, hi verò tibi infenſi ſunt, propterea quod eos juſtos eſſe cogis: Magiſtratus autem, quod ex utroque civitatis incommodo, ſicut opinor, lucrum facerent, gaudebant anteà, duplicem fructum capientes, & ut agri poſſeſſores, & ut caupones: nunc utriſque ſpoliati commodis merito ſuccenſent: Populus etiam Syrorum cùm non queat potare, neque cordacem ſaltare, iraſcitur: tu autem abunde illos alere exiſtimas; quod eis frumenti copiam largiare. Enimvero illa tua egregia eſt atque admirabilis ſapientia, quod neque ut piſces ſaxatiles in urbe ſint, provides: imo dudum cùm quidam con-

ἰχθυδίων, οὔτε ὀρνίθων πολλῶν εὑρισκομένων ἐν ἀγορᾷ τωθαστικῶς μάλα ἐγέλασας, ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ἐλαίου τῇ σώφρονι πόλει δεῖν φάμενος, κρεῶν δ' ἤδη τῇ τρυφώσῃ· τὸ γὰρ καὶ ἰχθύων, καὶ ὀρνίθων λόγον ποιεῖσθαι, πέρα τρυφῆς εἶναι, καὶ ἧς οὐδὲ τοῖς ἐν Ἰθάκῃ μνηστῆρσι μετῆν ἀσελγείας. ὅτῳ δὲ οὐκ ἐν ἡδονῇ κρέα ὕεια, καὶ προβάτεια σιτεῖσθαι τῶν ὀσπρίων ἁπτόμενος, οὔτε πράξειν ταῦτα ἐνόμισας, καὶ Θρᾳξὶ νομοθετεῖν τοῖς σεαυτοῦ πολίταις, ἢ τοῖς ἀναισθήτοις Γαλάταις, οἵ σε ἐπαιδοτρίβησαν καθ' ὑμῶν πρίνινον, σφενδάμνινον, οὐκέτι μέντοι καὶ Μαραθωνομάχην, ἀλλ' Ἀχαρνέα μὲν ἐξ ἡμισείας, ἀηδῆ δ' ἄνδρα παντάπασι, καὶ ἄνθρωπον ἄχαριν. οὐ κρεῖττον ἦν ὀσφραίνεσθαι μύρων τὴν ἀγορὰν βαδίζοντός σου, καὶ παῖδας ἡγεῖσθαι καλοὺς, εἰς οὓς ἀποβλέψουσιν οἱ πολῖται, καὶ χοροὺς γυναικῶν, ὁποῖοι παρ' ἡμῖν ἵστανται καθ' ἑκάστην ἡμέραν; ἐμὲ δὲ ὑγρὸν βλέπειν, ῥιπτοῦντα πανταχοῦ τὰ ὄμματα, ὅπως ὑμῖν καλὸς, οὐ τὴν ψυχὴν ἀλλὰ τὸ πρόσωπον ὀφθείην, ὁ τρόπος οὐ συγχωρεῖ. ἔστι μὲν γὰρ, ὡς ὑμεῖς κρίνετε,

ψυχῆς

conquereretur, neque piſces multos, neque aves jam in foro reperiri, illudens multùm riſiſti; cùm diceres, ſatis eſſe civitati ſobriæ ac moderatæ vinum & oleum, carnes verò delicatæ jam eſſe: piſces autem & aves requirere, ſupra omnes delicias eſſe, & quales ne procis quidem in Ithaca fuiſſent. Iſto autem pacto carnes ſuillas & ovillas non cum voluptate comedi, quod tu leguminibus veſcereris, beneque reipublicæ conſulere exiſtimaſti, & Thracibus tuis leges dare, aut Gallis ſtupidis, qui te nobis ilignum, acernum, neque tamen Marathonium bellatorem, ſed ex dimidio Acharnenſem, ingratum omnibus atque inviſum aluerunt. Nonne melius fuerat forum, te ambulante, unguenta olere, pueros formoſos præcedere, in quos cives ipſi oculos & ora converterent, & cœtus mulierum, quales apud nos ſunt quotidie? Verùm enimvero mihi laſcivè oculis quoquoverſum projectis aſpicere, quò pulcher corpore, non mente, vobis videar, mores mei non ſinunt. Nam vobis quidem judicibus, vera animi pulchritudo in

vitæ

ψυχῆς ἀληθινὸν κάλλος, ὑγρότης βίου. ἐμὲ δὲ ὁ παιδαγωγὸς ἐδίδασκεν εἰς τὴν γῆν βλέπειν, εἰς διδασκάλους φοιτῶντα, θέατρον οὐκ ἰδεῖν, πρὶν μᾶλλον κομῆσαι τῆς κεφαλῆς τὸ γένειον. ἐν ἐκείνῳ δὲ τῆς ἡλικίας ἰδίᾳ καὶ ἐμαυτὸν οὐδέ ποτε, τρίτον δὲ ἢ τέταρτον, εὖ ἴστε, Πατρόκλῳ ἐπίηρα φέρων ἄρχων ἐπέταττεν, οἰκεῖος ὢν ἐμοὶ καὶ ἀναγκαῖος. ἐτύγχανον δὲ ἰδιώτης ἔτι· συγγνωστέον οὖν ἐμοί. δίδωμι γάρ, ὃν ἀντ' ἐμαυτοῦ δικαιότερον μισήσετε τὸν φιλαπεχθήμονα παιδαγωγόν, ὅς με καὶ τότε ἐλύπει, μίαν ὁδὸν εἶναι διδάσκων. καὶ νῦν αἴτιός ἐστί μοι τῆς πρὸς ὑμᾶς ἀπεχθείας, ἐνεργασάμενος τῇ ψυχῇ, καὶ ὥσπερ ἐντυπώσας, ὅπερ ἐγὼ μὲν οὐκ ἐβουλόμην τότε. ὁ δὲ ὥς δή τι χαρίεν ποιῶν, μάλα προθύμως ἐνετίθει, καλῶν, οἶμαι, σεμνότητα, τὴν ἀγροικίαν, καὶ σωφροσύνην, τὴν ἀναισθησίαν· ἀνδρίαν δὲ, τὸ μὴ εἴκειν ταῖς ἐπιθυμίαις, μηδ' εὐδαίμονα ταύτῃ γίγνεσθαι. ἔφη δέ μοι πολλάκις, εὖ ἴστε· μὰ Δία καὶ μούσας· ὁ παιδαγωγὸς ἔτι παιδαρίῳ κομιδῇ, μή σε παραπειθέτω τὸ πλῆθος

τῶν

vitæ deliciis tota eſt poſita. At me præceptor meus docuit, cum ad magiſtros ventitarem, terram, non theatrum aſpicere, ac pluris mentum capitis æſtimare. Et certe illa ætate privatim & ſponte mea nunquam, ter autem vel quater principis juſſu ivi, cùm Patroclo gratificari cuperet, mecumque eſſet conſanguinitate ac neceſſitudine conjunctus: quo ego tempore privatus adhuc vivebam. Quare ignoſcere mihi debetis, cum præſertim cum vobis oſtendam, cui multo juſtius iraſci poteritis, nempe importuniſſimum illum præceptorem, qui mihi jam tùm moleſtus erat, cum viam illam unicam mihi ad bene vivendum proponeret. Ille mihi nunc author eſt tantæ apud vos offenſionis, cùm in animo meo ingeneraverit, & quaſi impreſſerit, id quod ego tum repudiabam. Et tamen is tanquam rem gratam mihi faceret, cupide in id incumbebat, appellans credo gravitatem, quæ eſſet durities: temperantiam, quæ ſtupiditas: fortitudinem, non ſuccumbere voluptati: neque eò quenquam eſſe beatum, quod voluptatibus abundaret. Sæpenumero mihi admodum puero (teſtor Iovem & Muſas) dicebat præceptor ille, Ne ſinas te à tuorum æqualium multitu-

dine

τῶν ἡλικιωτῶν, ἐπὶ τὰ θέατρα φερόμενον ὀρεχθῆναί ποτε ταύτησὶ τῆς θέας. ἱπποδρομίας ἐπιθυμεῖς; ἔστι παρ' Ὁμήρῳ δεξιώτατα πεποιημένη, λαβὼν ἐπέξιθι τῷ βιβλίῳ. σὺ παντομίμους ἀκούεις ὀρχηστάς; ἔα χαίρειν αὐτούς, ἀνδρικώτερον παρὰ τοῖς Φαίαξιν ὀρχοῦνται τὰ μειράκια. σὺ δ' ἔχεις κιθαρῳδὸν τὸν Φήμιον, καὶ ᾠδὸν τὸν Δημόδοκον. ἔστι καὶ παρ' αὐτῷ πολλὰ φυτὰ τερπνότερα ἀκοῦσαι τῶν ὁρωμένων·

Δήλῳ δή ποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ
βωμὸν,
Φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα.

καὶ ἡ δενδρήεσσα τῆς Καλυψοῦς νῆσος, καὶ τὰ τῆς Κίρκης σπήλαια, καὶ ὁ Ἀλκινόου κῆπος· εὖ ἴσθι, τούτων οὐδὲν ὄψει τερπνότερον. ἆρα ποθεῖτε καὶ τοὔνομα ὑμῖν φράσω τοῦ παιδαγωγοῦ, καὶ ὅστις ὢν γένος ταῦτα ἔλεγε; βάρβαρος νὴ τοὺς θεοὺς καὶ θεάς, Σκύθης μὲν τὸ γένος, ὁμώνυμος δὲ τοῦ τὸν Ξέρξην ἀναπείσαντος ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα στρατεῦσαι, καὶ τὸ πολυθρύλλητον Ἄργος. τοῦτο δὲ πρὸ μηνῶν μὲν εἴκοσι προσκυνούμενον ὄνομα, νυνὶ δὲ προφερόμενον ἀντ' ἀδικήματος καὶ ὀνείδους,

εὐνοῦχος

dine in theatra induci, neque ulla ejus ſpectaculi cupiditate tenearis. Circenſes deſideras? apud Homerum eos elegantiſſimè deſcriptos reperies, cape librum, & lege. Hiſtriones audis ſaltatores? ſine eos valere: fortius ſaltant juvenes apud Phæacas. Habes illic citharœdum Phemium, & cantorem Demodocum. Sunt etiam apud eundem multæ ſtirpes, quæ majore cum voluptate audiuntur, quàm noſtræ ſpectantur.

Sic quondam Deli ſacras ad Apollinis aras,
Proceram viridi conſpexi in gramine palmam.

Quid Calypſonis inſula opaca arboribus? quid Circes antra? quid hortus Alcinoi? crede mihi, nihil videbis jucundius. Vultis illius nomen præceptoris, & genus proferam? Homo barbarus me hercule, & genere Scytha is erat, eodemque nomine cum illo, qui Xerxem ad bellum in Græciam, nobileque Argos induxit. Hoc vero nomen, quod ante viceſimum menſem honoris, nunc contumeliæ cauſſa appellatur,

Eunu-

ὀρφανὸς ὢν, ὑπὸ τῷ ἐμῷ τεθραμμένος πάππῳ, τὴν μητέρα τὴν ἐμὴν ὅπως ἀνάγῃ διὰ τῶν Ομήρου καὶ Ησιόδου ποιημάτων, ἐπεὶ δ' ἐκείνη πρῶτον ἐμὲ καὶ μόνον τεκοῦσα, μησὶν ὕστερον ὀλίγοις ἐτελεύτησεν, ὥσπερ τις ἀμήτωρ παρθένος, πολλῶν συμφορῶν ἐκκλαπεῖσα κόρη, καὶ νέα μετ' ἐνιαυτὸν ἕβδομον αὐτῷ παρεδόθην, οὗτος ἐξ ἐκείνου ταῦτα ἀνέπεισεν ἄγων εἰς διδασκάλους μίαν ὁδόν· ἄλλην δὲ οὐδὲ αὐτὸς εἰδέναι θέλων, οὔτ' ἐμοὶ βαδίζειν συγχωρῶν, ἐποίησεν ἀπεχθάνεσθαί με πᾶσιν ὑμῖν. ἀλλ' εἰ δοκεῖ, σπεισώμεθα πρὸς αὐτὸν ἐγώ τε καὶ ὑμεῖς, τὴν ἀπέχθειαν λύσαντες. οὔτε γὰρ ἠπιστάμην πρὸς ὑμᾶς ἀφιξόμενος, οὐδὲ εἰ τὰ μάλιστα φοιτᾶν μέλλοιμι, ὅτι καὶ ἀρχὴν προσεδόκα, καὶ τοσαύτην ἀρχὴν, ὅσην ἔδωκαν οἱ θεοὶ, πολλὰ ὅμως βιασάμενοι, πεῖσαί με μοι, καὶ τὸν διδόντα, καὶ τὸν δεχόμενον. ἑῴκει γὰρ ἡμῶν οὐδέτερος ἐθέλειν, οὔτε ὁ διδοὺς τὴν τιμὴν, ἢ χάριν, ἢ ὅ, τι φίλον ὑμῖν αὐτὸ ὀνομάζειν, δοῦναι· καὶ ὁ λαμβάνων· ὡς ἴσασιν οἱ θεοὶ πάντες· ἀληθῶς ἠρνεῖτο. καὶ δὴ τοῦτο μὲν ὅπῃ τοῖς θεοῖς φίλον ἐχέτω

Eunuchus erat, ſub meo avo educatus, ut matri meæ Homeri atque Heſiodi poëmata exponeret. Cum autem illa paucis poſt menſibus mortua eſſet, meque primum & ſolum filium reliquiſſet, tum ego tanquam virgo orba & deſerta, multis calamitatibus erepta, puella & tenera, poſt annum ſeptimum ipſi traditus fui. Is ab eo tempore, cùm me ad magiſtros deduceret, unicam bene vivendi viam eſſe mihi perſuaſit: cumque ille aliam neque ſcire vellet, neque mihi ingredi permitteret, effecit, ut in omnium veſtrum odium incurrerem. Veruntamen, ſi videtur, pacem cum illo ego voſque faciamus, & inimicitias dirimamus. Neque enim ille me ad vos venturum putavit, neque ut venirem, tamen regnaturum ſperavit, in tanto præſertim imperio, quantum Dii largiti ſunt, multum ſane invito ac repugnante tùm illo, credite mihi, qui dedit, tum me qui accepi. Videbatur enim neuter noſtrum velle: neque is, qui hunc honorem, vel gratiam, vel quoque alio nomine vultis appellare, libenter dabat: & qui accepit (Dii ſunt teſtes) verè & ex animo recuſabat. Verum iſta, Deorum voluntas & tum moderata eſt, & in po-
ſterum

πε ἢ ἐξῆ. τυχὸν δ' ὁ παιδαγωγὸς εἰ προέγνω τοῦτο, πολλὴν ἂν ἐποιήσατο προμήθειαν, ὅπως ὅτι μάλιστα ὑμῖν φανείην κεχαρισμένος. εἶτα οὐκ ἔξεστιν ἀποθέσθαι νῦν καὶ ἀπομαθεῖν, εἴ τι πρότερον ἡμῖν ἢ ἄγροικον ἦθος ἀνετράφη· ἔθος, φασὶ, δευτέρη φύσις· μάχεσθαι δὲ, ἔργον· ἐτῶν δὲ τριάκοντα μελέτην ἀφεῖναι, παγχάλεπον, ἄλλως τε καὶ μετὰ τοσαύτης ἐγγινομένην χαλεπότητος. ἐμοὶ δὲ ἤδη πλείω τούτων ἐστίν. εἶεν, ἀλλά τι παθὼν αὐτὸς ἐπιχειρεῖς ἀκροᾶσθαι περὶ τῶν συμβολαίων, καὶ δικάζειν; οὐ γὰρ δὴ καὶ τοῦτό σε ὁ παιδαγωγὸς ἐδίδασκεν, ὃς οὐδ' εἰ ἄρξεις ἠπίστατο. δεινὸς δὲ ἀνέπεισε γέρων, ὃν καὶ ὑμεῖς ὡς ὄντα μάλιστα αἰτιώτατον τῶν ἐμῶν ἐπιτηδευμάτων, ὀρθῶς ποιοῦντες, συλλοιδορεῖτέ μοι, καὶ τοῦτον δὲ ἴστε ὑπ' ἄλλων ἐξηπατημένον. ὀνόματά που καὶ πρὸς ὑμᾶς πολλάκις κωμῳδούμενα, Πλάτων, καὶ Σωκράτης, καὶ Ἀριστοτέλης, καὶ Θεόφραστος. ἐκείνοις ὁ γέρων οὗτος πεισθεὶς ὑπ' ἀφροσύνης, ἔπειτα ἐμὲ νέον εὑρὼν, ἐραστὴν λόγων, ἀνέπεισεν ὡς εἰ τὰ πάντα ἐκείνων

ζηλωτὴς

ſterum moderabitur. Quod ſi præceptor meus providere iſtud mente potuiſſet, fortaſſe omni cura diligentiaque contendiſſet, ut me vobis quam maxime gratioſum charumque efficeret. Nunc non eſt jam integrum, quid eſt penitus inſitum moribus lene aut aſperum, id ſubito evellere: conſuetudo, veteri proverbio, altera natura eſt; cui repugnare, laborioſum: conſuetudinem verò triginta annorum ſpacio meditatam deponere, perdifficile eſt, præſertim tanta cum difficulate inductàm. At mihi plures etiam his anni ſunt. Sed ſit ita ſanè: age, quid tibi venit in mentem, ut de commerciis cognoſcere & ſtatuere velles? Non enim, ut opinor, te hoc etiam magiſter ille tuus docuit, qui neque regnaturum eſſe te ſciebat. Induxit me ille malus ſenex, quem vos tanquam principem vitæ meæ, morumque authorem jure mecum accuſatis: quanquàm & ipſe profecto ab aliis in eandem fraudem inductus fuerat. Sæpe, credo, nomina hæc audita vobis ſunt, tantopere videlicet exagitata, & deriſa, Plato, Socrates, Ariſtoteles, Theophraſtus. Illis ſenex iſte cùm nimis ſtulte ac ſimpliciter obtemperaſſet, poſteaque me puerum, & diſcendi deſiderio incenſum nactus eſſet,

 perſua-

ζηλωτὴς γενοίμην, ἀμείνων ἔσομαι, τῶν μὲν ἄλλων ἀνθρώπων ἴσως οὐδενός, οὐ γὰρ εἶναί μοι πρὸς αὐτοὺς τὴν ἅμιλλαν. ἐμαυτοῦ καὶ πάντως. ἐγὼ δέ· οὐ γὰρ εἶχον ὅ, τι ποιῶ πεισθεὶς, οὐκέτι δύναμαι μεταθέσθαι, καὶ ταῦτα ἐθέλων πολλάκις· ἀλλ' ὀνειδίζω μὲν ἐμαυτῷ, διότι μὴ ποιῶ πᾶσιν ἄδειαν ἁπάντων ἀδικημάτων. ὕπεισι δέ μοι ἐκ τοῦ Πλάτωνος, ὅσα ὁ Ἀθηναῖος διεξῆλθε ξένος· Τίμιος μὲν δὴ καὶ ὁ μηδὲν ἀδικῶν· ὁ δὲ μηδὲ ἐπιτρέπων τοῖς ἀδικοῦσιν ἀδικεῖν, πλέον ἢ διπλασίας τιμῆς ἄξιος ἐκείνου. ὁ μὲν γὰρ ἑνὸς, ὁ δὲ πολλῶν ἀντάξιος ἑτέρων, μηνύων τὴν τῶν ἄλλων τοῖς ἄρχουσιν ἀδικίαν. ὁ δὲ καὶ ξυγκολάζων εἰς δύναμιν τοῖς ἄρχουσι, μέγας ἀνὴρ ἐν πόλει, καὶ τέλειος, οὗτος ἀναγορευέσθω νικηφόρος ἀρετῆς. τὸν αὐτὸν δὴ τοῦτον ἔπαινον καὶ περὶ σωφροσύνης χρὴ λέγειν, καὶ περὶ φρονήσεως, καὶ ὅσα ἄλλα ἀγαθά τις κέκτηται, δυνατὰ μὴ μόνον αὐτὸν ἔχειν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις μεταδιδόναι. ταῦτα ἐδίδασκέ με, νομίζων ἰδιώτην ἔσεσθαι. καὶ γὰρ οὐδὲ προέγνω ταύτην ἐκ Διός μοι τὴν τύχην ἐσομένην,

εἰς ἣν

perſuaſit, ſi illorum veſtigiis vellem inſiſtere, meliorem me, non quidem cæteris hominibus fortaſſe (neque enim cum illis certamen mihi eſſe) ſed me ipſo omnino futurum. Ego vero (quid enim aliud feciſſem?) obſecutus ſeni, non poſſum jam quippiam mutare, quamvis maxime cupiam, ac me ipſum incuſo, quod omni vitiorum generi liberum iter non patefaciam. Sed in mentem veniunt ea, quæ apud Platonem Athenienſis hoſpes diſſerit. Dignus eſt honore is, qui nihil peccat: qui verò alios etiam deterret ab injuria; plus quam duplici honore dignus eſt: ille enim uni, hic pluribus dignitate par eſt,: qui ſcelus aliorum indicat magiſtratibus: At qui ſocium prætærea ſe iis adhibet in punienda & coërcenda injuria, hic magnus vir in civitate, & perfectus eſt: hic victor in virtutis certamine pronuncietur. Eandem certè laudem temperantiæ prudentiæque tribuere oportet, omninoque in bonis, quæ non uni alicui ſerviunt, ſed aliis etiam communicantur. Hæc me docebat ſenex ille, putans me privatum fore. Neque enim fortunam iſtam proſpexerat,

 in qua

εἰς τὴν νῦν ὁ θεὸς φέρων κατέστησεν. ἐγὼ δὲ αἰσχυνόμενος ἄρχων ἰδιώτου φαυλότερος εἶναι, λέληθα ἐμαυτὸν, οὐδὲν δέον, ὑμῖν τῆς ἀγροικίας μεταδιδοὺς τῆς ἐμαυτοῦ. καί με ἕτερος τῶν Πλάτωνος νόμων ὑπομνησθέντα ἐμαυτοῦ. πεποίηκεν ἀπεχθάνεσθαι πρὸς ὑμᾶς, ὅς φησι δεῖν αἰδῶ καὶ σωφροσύνην ἀσκεῖν τοὺς ἄρχοντας, καὶ τοὺς πρεσβυτέρους, ἵνα τὰ πλήθη πρὸς αὐτοὺς ἀποβλέποντα κοσμῆται. μόνῳ οὖν μοι, μᾶλλον δὲ σὺν ὀλίγοις ἐπιτηδεύοντι νῦν τοῦτο, πρὸς θάτερα πελέσῃ, καὶ γέγονεν οὐκ ἀπεικότως ἐν ὀνείδει. ἑπτὰ μὲν γὰρ ἐσμὲν οἵδε παρ' ὑμῖν, ξένοι νεήλυδες· εἷς δὲ καὶ πολίτης ὑμέτερος, Ἑρμῇ φίλος καὶ ἐμοὶ, λόγων ἀγαθὸς δημιουργός· οἷς οὐδέν ἐστι πρός τινα συμβόλαιον, οὐδ' ἄλλην ὁδὸν βαδίζομεν· πρὸς δὲ τὰ τῶν θεῶν ἱερὰ καὶ ὀλιγάκις, οὐ πάντες εἰς τὰ θέατρα πεποιημένοι, τὸ δυσκλεέστατον τῶν ἔργων, καὶ ἐπονείδιστον τοῦ βίου τέλος· ἐπιτρέψουσί μοι πάντως οἱ τῶν Ἑλλήνων σοφοὶ φάναι τὴν τῶν παρ' ἡμῖν ἐπιπολαζόντων. οὐ γὰρ ἔχω πῶς ἂν αὐτὸ μᾶλλον ἐνδειξαίμην, ἐπὶ τῆς μεσιτείαις αὐτὸ ἐταξάμην· οὕτω περὶ πολλοῦ ποιούμεθα τὸ προσκρούειν ὑμῖν

in qua me Deus collocavit. Ego autem veritus ne princeps privatis eſſem deterior, neſcio quo modo, ſecus quam decebat, ruſticitatis meæ vos participes feci, Atque etiam alia lex Platonis memet commonefecit mei, vobiſque inimicum reddidit, quæ ait oportere magiſtratus & ſenes temperantes eſſe, ut populus eorum exemplo diſcat modeſte ac temperanter vivere. Soli itaque mihi, vel certe cum paucis, illud vitæ genus rationemque ſectanti res aliter cecidit, atque opinabar, & probro ac dedecori fuit, neque immerito. Septem enim ſumus apud vos peregrini & hoſpites (unus autem veſter etiam civis, Mercurio & mihi charus, dicendi artifex egregius) quibus nullum eſt cum aliis commercium, neque aliam viam inſiſtimus, ad templa autem Deorum raro etiam imus, neque ad theatra ſumus omnes idonei, quod & ignobiliſſimum eſt, & turpiſſimum vitæ genus: (permittent mihi omnino Græciæ ſapientes proferre aliquid ex iis, quæ apud nos ſunt illuſtria: cùm enim melius oſtendere non poſſem, in medio illud poſui) adeo vehementer odium veſtrum atque inimicitias expetimus, cùm vobis

 potius

καὶ ἀπεχθάνεσθαι, δέον ἀρέσκειν καὶ θωπεύ-
ειν. ὁ δεῖνα ἐβιάσατο, τὸν δεῖνα. τί τοῦτο, ὦ
μωρὲ, πρὸς σὲ κοινωνεῖ; ἐξὸν μετ᾽ εὐνοίας
τῶν ἀδικημάτων ἀφεῖσθαι τὸ κέρδος, ἔχθραν
ἐπαναιρῇ· καὶ τοῦτο ποιῶν, ὀρθῶς οἴει ποιεῖν
καὶ φρονεῖν ὑπὲρ τοῦ σεαυτοῦ. λογίσασθαι
ἐχρῆν, ὅτι τῶν μὲν ἀδικημάτων οὐδεὶς αἰ-
τιᾶται τοὺς ἄρχοντας, ἀλλὰ τὸν ἀδικήσαντα·
ὁ δὲ ἀδικῶν, εἶτα εἰργόμενος, ἀφεὶς μέμ-
φεσθαι τὸν ἀδικούμενον, εἰς τοὺς ἄρχοντας
τρέπει τὸ ἔχθος. ἐξὸν οὖν ὑπὸ τῆς εὐλογι-
στίας ταύτης, ἀπέχεσθαι μὲν τοῦ τὰ δίκαια
ποιεῖν ἀναγκάζειν, ἐπιτρέψαι δὲ ἑκάστῳ
πράττειν ὅ,τι ἂν ἐθέλῃ, καὶ δυνατὸς ᾖ· τὸ γὰρ
τῆς πόλεως ἦθος, οἶμαι, τοιοῦτόν ἐστιν, ἐλεύ-
θερον λίαν· σὺ δὲ οὐ συνεὶς, ἄρχεσθαι αὐτοὺς
μετὰ φρονήσεως ἀξιοῖς; οὐδ᾽ ἀπέβλεψας
ὅση καὶ μέχρι τῶν ὄνων ἐστὶν ἐλευθερία παρ᾽
αὐτῆς, καὶ τῶν καμήλων; ἄγουσί τοι καὶ ταύ-
τας οἱ μισθωτοὶ διὰ τῶν στοῶν, ὥσπερ τὰς
νύμφας· οἱ γὰρ ὑπαίθριοι στενωποὶ, καὶ αἱ
πλατεῖαι τῶν ὁδῶν, οὐκ ἐπὶ τούτῳ δήπου πε-
ποίηνται, τοῦ χρῆσθαι αὐταῖς τοὺς κανθηλίους·
ἀλλ᾽ ἐκεῖναι μὲν αὐτὸ δὴ τοῦ κόσμου τινὸς
ἕνεκα πρόκεινται καὶ πολυτελείας· χρῆσθαι δὲ

potiùs adulari, & placere deberemus. Quidam alteri injuriam fecit: Quid ad te, ô inſulſe, iſtud pertinet? cum poſſis ſumma cum gratia injuriatum quæſtum omittere, tamen inimicitias eligis. Atque hæc cum facias, te tamen putas rectè facere, & præclare tuis rebus conſulere. Cogitare debuiſti, à nemine de injuriis magiſtratus accuſari, ſed ipſum injuriæ authorem. At qui facit injuriam, poſteaque coërcetur, dimiſſo eo, quem violabat, in magiſtratus odium convertit. Quare cùm tu iſta prudentia poſſis abſtinere ab imponenda aliis juſte agendi neceſſitate, & unicuique poteſtatem facere, quicquid velit ac poſſit, agendi (tales ſunt ſiquidem, opinor, civitatis hujus mores, id eſt, liberi admodum) tu nihil quicquam ea de te cogitans, prudenter illos parere vis: nec vides quanta ipſis etiam aſinis & camelis libertas ab ea tribuatur? Ducunt eas conducti homines per porticus, quaſi nymphas (nam neque angiportus patentes, neque latæ viæ eo factæ ſunt, ut iis aſini uterentur) ſed tamen illæ ornatus & magnificentiæ cauſſa id habent: Aſini autem porti-

ὑπὸ ἐλευθερίας οἱ ὄνοι βούλονται ταῖς στοαῖς·
εἴργει δὲ οὐδεὶς αὐτοὺς οὐδενὸς, ἵνα μὴ τὴν
ἐλευθερίαν ἀφέληται· οὕτως ἐστὶν ἡ πόλις
ἐλευθέρα. σὺ δὲ ἀξιοῖς τοὺς ἐν αὐτῇ νεανί-
σκους ἄγειν ἡσυχίαν, καὶ μάλιστα μὲν φρο-
νεῖν ὅ,τι σοι φίλον· εἰ δὲ μὴ, φθέγγεσθαι ὅσα
ἂν ἡδέως ἀκούσαις. οἱ δὲ ὑπ' ἐλευθερίας
εἰώθασι κωμάζειν· ἀεὶ μὲν ἐπιεικῶς αὐτὸ
ποιοῦντες, ἐν ταῖς ἑορταῖς δὲ πλέον. ἔδωκάν
ποτε τῶν τοιούτων σκωμμάτων Ῥωμαίοις
Ταραντῖνοι δίκας, ὅτι μεθύοντες ἐν τοῖς
Διονυσίοις ὕβρισαν αὐτῶν τὴν πρεσβείαν.
ὑμεῖς δὲ ἐστὲ τῶν Ταραντίνων τὰ πάντα εὐ-
δαιμονέστεροι, ἀντὶ μὲν ὀλίγων ἡμερῶν,
ὅλον εὐπαθοῦντες ἐνιαυτόν. ἀντὶ δὲ τῶν ξένων
πρέσβεων, εἰς αὐτοὺς ὑβρίζοντες τοὺς ἄρ-
χοντας, καὶ τούτων εἰς τὰς ἐπὶ τοῦ γενείου τρί-
χας, καὶ τὰ ἐν τοῖς νομίσμασι χαράγματα.
εὖγε, ὦ πολῖται σώφρονες, οἵ τε παίζοντες
τὰ τοιαῦτα, καὶ οἱ τῶν παιζόντων ἀποδεχό-
μενοι καὶ ἀπολαύοντες. δῆλον γὰρ, ὅτι τοῖς
μὲν ἡδονὴν παρέχει τὸ λέγειν· τοῖς δὲ, τὸ
ἀκροᾶσθαι τῶν τοιούτων σκωμμάτων εὐ-
φραίνει. ταύτης ὑμῖν ἐγὼ τῆς ὁμονοίας συνή-
δομαι, καὶ εὖγε ποιεῖτε, μία ἡ πόλις ὄντες τὰ

porticibus libere utuntur, neque quiſquam eos prohibet, ne libertatem iis eripuiſſe videatur: adeò eſt hæc civitas libera: & tamen ipſe adoleſcentes in ea quietos eſſe vis, & ea cogitare, quæ tibi placeant, vel certe loqui, quæ tu libenter audias. At illi comeſſati libere didicerunt, ſemper id quidem effusè ac libenter, in feriis autem liberiùs. Tarentini quondam Romanis talium conviciorum pœnas dederunt, quod per ebrietatem legatos eorum in Bacchanalibus injurioſius tractaſſent. At vos omnino Tarentinis feliciores eſtis, qui pro diebus paucis integrum annum in deliciis conſumitis: pro legatis principes ipſos contumelia afficitis, maximeque eorum barbam, & numi ſigna deridetis. O cives modeſtiſſimi, gratulor vobis & qui talia luditis, & qui ludentibus plauditis, iisque fruimini. Certum eſt enim alios dicendo, alios audiendo convicia ejuſmodi, delectari. Ego hanc tantam concordiam mirificè vobis gratulor, optimeque facitis, quod in una civitate omnes eſtis hu-

 juſmodi.

τοιαῦτα· ὡς ἐκεῖνό γε οὐδαμοῦ σπουδαῖον,
οὐδὲ ζηλωτὸν, εἴργειν καὶ κολάζειν τῶν νέων τὸ
ἀκόλαστον. παραιρεῖσθαι γάρ ἐστι καὶ ἀπο-
θραύειν τῆς ἐλευθερίας τὸ κεφάλαιον, εἴ τις
ἀφέλοιτο τοῦ λέγειν καὶ πράττειν ὅ, τι βούλονται
τοὺς ἀνθρώπους. ὀρθῶς οὖν ὑμεῖς τοῦτο εἰ-
δότες, ὅτι δεῖ τὰ πάντα ἐλευθέρους εἶναι,
πρῶτον ἐπετρέψατε ταῖς γυναιξὶν ἄρχειν
αὐτῶν, ἵνα ὦσιν ὑμῖν λίαν ἐλεύθεραι καὶ
ἀκόλαστοι· εἶτα ἐκείναις συνεχωρήσατε
ἀνάγειν τὰ παιδία, μή ποτε ὑμῖν ἀρχῆς
πειρώμενα τραχυτέρας, ἔπειτα ἀποφανθῇ
δοῦλα· καὶ γενόμενα μειράκια, πρῶτον αἰδεῖ-
σθαι διδαχθῇ τοὺς πρεσβυτέρους, ὑπὸ δὲ τῆς
συνηθείας ταύτης εὐλαβέστερα γένηται πρὸς
τοὺς ἄρχοντας· καὶ τέλος οὐκ εἰς ἄνδρας, ἀλλ'
εἰς ἀνδράποδα τελέσωντες, καὶ γενόμενοι
σώφρονες, καὶ ἐπιεικεῖς, καὶ κόσμιοι, λάθωσι
διαφθαρέντες παντάπασι. τί οὖν αἱ γυ-
ναῖκες; ἐπὶ τὰ σφέτερα σεβάσματα ἄγου-
σιν αὐτὰ δι' ἡδονῆς, ὃ δὴ μακαριστὸν εἶναι
φαίνεται, καὶ πολυτίμητον οὐκ ἀνθρώποις
μόνον, ἀλλὰ καὶ θηρίοις. ἔνθεν, οἶμαι, συμ-
βαίνει μάλα ὑμῖν εὐδαίμοσιν εἶναι, πᾶσαν
ἀρνουμένοις δουλείαν, ἀπὸ τῆς εἰς τοὺς θεοὺς

juſmodi. Nam illud nullo modo eſt honeſtum, neque approbandum, coercere juvenum petulantiam, & laſciviam corrigere. Id enim eripere, ac diminuere caput libertatis eſt, privare homines facultate, quicquid velint, dicendi & faciendi. Itaque præclare vos cum ſciretis libertatem omnibus in rebus tuendam & conſervandam eſſe, primum veſtris uxoribus permiſiſtis, ut liberæ ac diſſolutæ vobis eſſent: deinde eis conceſſiſtis, ut liberos veſtros educarent, ne tandem vobis acerbius imperare aggrediamur, ac demum illi in ſervitutem redigantur: deinde ne, cum robuſtiores erunt, majores natu vereri doceantur, tandemque conſuetudine hac verecundiores erga principes ſuos fiant: poſtremo non inter viros, ſed inter mancipia cenſeantur, & dum temperantes, moderati, honeſti fuerint, imprudentes corrumpantur, & pereant. Quid igitur mulieres? ducunt eos ad ſuas religiones & cultus voluptate, quæ non hominibus ſolum, ſed etiam pecudibus ſummum bonum videtur. Inde, credo, factum eſt, ut beatiſſimi ſitis, cum ſervitutem repudietis, primum in Deos,

πρῶτον, ἔπειτα τοὺς νόμους, καὶ τρίτον τοὺς νομοφύλακας ἡμᾶς. ἄτοποί τι ἂν εἴημεν ἡμεῖς, εἰ τῶν θεῶν περιορώντων οὕτως ἐλευθέραν τὴν πόλιν, καὶ οὐκ ἐπεξιόντων, ἀγανακτοίημεν καὶ χαλεπαίνοιμεν. εὖ γὰρ ἴστε ὅτι ἡμῖν ταύτης ἐκοινώνησαν οἱ θεοὶ τῆς ἀτιμίας. παρὰ τῇ πόλει τὸ Χῖ, φησὶν, οὐδὲν ἠδίκησε τὴν πόλιν, οὐδὲ τὸ Κάππα. τί μὲν ἐστὶ τοῦτο τῆς ἡμετέρας σοφίας τὸ αἴνιγμα, συνεῖναι χαλεπόν. τυχόντες δ' ἡμεῖς ἐξηγητῶν ἀπὸ τῆς ὑμετέρας πόλεως, ἐδιδάχθημεν ἀρχὰς ὀνομάτων εἶναι τὰ γράμματα, δηλοῦν δ' ἐθέλειν τὸ μὲν Χριστὸν, τὸ δὲ Κωνστάντιον. ἀνέχεσθε οὖν μου λέγοντος μετὰ παρρησίας· ἓν μόνον ὑμᾶς ὁ Κωνστάντιος ἠδίκησεν, ὅτι με Καίσαρα ποιήσας οὐκ ἀπέκτεινεν, ὡς τά γε ἄλλα, ὑμῖν μόνοις ἐκ πάντων Ῥωμαίων πολλῶν δοῖεν οἱ θεοὶ τῶν Κωνσταντίων πειραθῆναι, μᾶλλον δὲ τῶν ἐκείνου φίλων τῆς πλεονεξίας. ἐμοὶ γὰρ ὁ ἀνὴρ, καὶ ἀνεψιὸς ἐγένετο καὶ φίλος. ἐπεὶ δὲ περὶ τῆς φιλίας εἵλετο τὴν ἔχθραν, εἶτα ἡμῖν οἱ θεοὶ τὸν πρὸς ἀλλήλους ἀγῶνα λίαν ἐβράβευσαν φιλανθρώπως, ἐγενόμην αὐτῷ πιστότερος φίλος, ἢ προσεδόκησεν εἶναί με πρὶν ἐχθρὸν

deinde in leges, poſtremo in nos ipſos, qui legum ſumus patroni ac cuſtodes. Ac ſane inepti ſumus, ſi Diis civitatem tam liberam non curantibus, neque ulciſcentibus, ipſi ſuccenſeamus & iraſcamur. Sic enim exiſtimare debetis, communem hanc nobis cum Diis injuriam eſſe factam à civitate. At enim, inquit, Chi & Cappa nihil civitati nocuerunt. Hoc ſapientiæ veſtræ ænigma quale ſit, difficile eſt intelligere: nos tamen quoſdam veſtrum interpretes nacti; didicimus his literis nominum quorundam initia ſignificari, altera Chriſtum, altera Conſtantinum declarati. Sinite igitur me libere, quod ſentio dicere: Una in re tantum vobis injuriam fecit Conſtantius, quod me cum Cæſarem feciſſet, non vita privavit. Nam quod ad reliqua attinet, utinam vobis ſolis ex omnibus Romanis dent Dii multos Conſtantios, vel potiùs amicorum ejus rapinas. experiri. Nam mihi quidem vir ille patruelis erat & amicus: poſtea vero quam inimicus eſſe maluit, noſtrumque certamen Dii nobis perhumaniter diſceptarunt, fidelior ei amicus fui, quàm ante inimicitias futurum me ſperaverat.

γνώσεσθε. τί οὖν οἴεσθέ με τοῖς ἐκείνου λυπεῖν ἐγκωμίοις, ὃς ἄχθομαι τοῖς λοιδορουμένοις αὐτῷ, Χριστὸν δὲ ἀγαπῶντες ἔχετε πολιοῦχον ἀντὶ τοῦ Διός, καὶ τοῦ Δαφναίου, καὶ τῆς Καλλιόπης, ἣ τὸ σόφισμα ὑμῶν ἀπεγύμνωσεν. Ἐμισηνοὶ Χριστὸν ἐπόθουν, οἱ πῦρ ἐμβαλόντες τοῖς τάφοις τῶν Γαλιλαίων; ἐλύπησα δ' ἐγώ τινας Ἐμισηνῶν πώποτε; ὑμῶν μέντοι πολλούς, καὶ ὀλίγου δέω φάναι πάντας, τὴν βουλήν, τοὺς εὐπόρους, τὸν δῆμον. ὁ μὲν γὰρ δῆμος ἄχθεταί μοι τῷ πλείστῳ μέρει, μᾶλλον δ' ἅπας ἀθεότητα προελόμενος, ὅτι τοῖς πατρίοις ὁρᾷ τῆς ἁγιστείας θεσμοῖς προσκείμενον· οἱ δὲ δυνατοί, κωλυόμενοι πολλοῦ πάντα πωλεῖν ἀργυρίου. πάντες δὲ, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν καὶ τῶν θεάτρων, οὐχ ὅτι τοὺς ἄλλους ἀποστερῶ τούτων, ἀλλ' ὅτι μέλει μοι τούτων ἧττον, ἢ τῶν ἐν τοῖς τέλμασι βατράχων. εἶτα οὐκ εἰκότως ἐμαυτοῦ κατηγορῶ, τοσαύτης ἀπεχθείας λαβὰς παρεσχόντος; Ἀλλ' ὁ Ῥωμαῖος Κάτων, ὅπως μὲν ἔχων πώγωνος οὐκ οἶδα, παρ' ὁντιναοῦν δὲ τῶν ἐπὶ σωφροσύνῃ καὶ μεγαλοψυχίᾳ, καὶ τὸ μέγιστον, ἀνδρίᾳ μεγα-

verat. Quare quid me illius laudes moleſte ferre arbitramini, qui iis iraſcor, qui ei obtrectant? At Chriſtum amatis, & quaſi numen tutelare colitis, pro Iove, & Daphnæo, & Calliope, quæ veſtram captionem explicavit. An verò Emiſeni Chriſtum amabant, qui Galilæorum ſepulchra incenderunt? An ego Emiſenos unquam offendi? Nam è vobis quidem certè plurimos, ac fere omnes, Senatum, divites, populum offendi. Etenim populi maxima pars, imò totus populus, qui impietatis ſectam ſequitur, mihi ſuccenſet, quod me videt patrum religionem amplecti, eique adhæreſcere: divites autem quod magno precio res ſuas vendere prohibentur: omnes vero, propter ſaltatores & theatra, non quod his eos privem, ſed quod minus ea mihi curæ ſint, quam ranæ paludum. Et non jure meipſe accuſo, cum tantum odii invidiæque in me concitarim? Enimvero Romanus ille Cato, quanta & quali barba præditus neſcio, hoc certe ſcio, illum omnibus qui magnanimitatis, temperantiæ, quodque maximum eſt, fortitudinis laude gloriantur, antecelluiſſe. Is igitur cùm in hanc

μεγαφρονούντων, ἄξιος ἐπαινεῖσθαι, προσιὼν τῇδε τῇ πολυανθρώπῳ καὶ τρυφερᾷ καὶ πλουσίᾳ πόλει, ἐπειδὴ τοὺς ἐφήβους ἰδὼν ἐν τῷ προαστείῳ μετὰ τῶν ἀρχόντων ἐσταλμένους ἐπί τινα δορυφορίαν, ἐνόμισεν αὑτοῦ χάριν ὑμῶν τοὺς προγόνους τὴν παρασκευὴν πᾶσαν πεποιῆσθαι. καὶ θᾶσσον ἀποβὰς τοῦ ἵππου προῄει, ἅμα καὶ πρὸς τοὺς προλαβόντας τῶν φίλων δυσχεραίνων ὡς μηνυτὰς γενομένους αὐτοῖς, ὅτι Κάτων προσάγει, καὶ ἀναπείσαντας ἐκδραμεῖν. ὄντος δ' ἐν τοιούτοις αὐτοῦ, καὶ διαποροῦντος ἠρέμα καὶ ἐρυθριῶντος, ὁ γυμνασίαρχος προσδραμών, ὦ ξένε, ἔφη, ποῦ Δημήτριος; ἦν δ' οὗτος ἀπελεύθερος Πομπηΐου, κεκτημένος οὐσίαν πολλὴν πάνυ· μέτρον δ' αὐτῆς εἰ ποθεῖτε μαθεῖν· οἶμαι γὰρ ὑμᾶς ἐκ πάντων τῶν λεγομένων, πρὸς ταύτην μάλιστα ὡρμῆσθαι τὴν ἀκοήν. ἐγὼ τὸν εἰπόντα φράσω· Δαμοφίλῳ τῷ Βιθυνῷ πεποίηται συγγράμματα τοιαῦτα, ἐν οἷς δρεπόμενος ἐκ τῶν πολλῶν, εἰργάσατο λόγους ἡδίστους νέῳ φιληκόῳ καὶ πρεσβυτέρῳ· φιλεῖ γὰρ τὸ γῆρας ἐπανάγειν αὖθις εἰς τὴν τῶν νέων φιληκοΐαν τοὺς ἀφιληκοστέ-

ρους.

hanc frequentiſſimam, delicatiſſimam, copioſiſſimamque urbem veniret, vidiſſetque adoleſcentes in ſuburbano unà cum magiſtratibus adornatos ad comitatum & pompam, exiſtimavit omnem illum apparatum ſuâ cauſſa à veſtris majoribus factum eſſe: itaque celeriter ex equo deſcendens procedebat, unaque amicos qui præcurriſſent in urbem, accuſabat quod Catonis adventum illis nuntiaſſe, atque ut obviam prodirent, impuliſſe viderentur. Cumque his in rebus eſſet Cato, & quodammodo hæreret, ac erubeſceret, tum gymnaſiarchus antevertens, ô hoſpes, inquit, ubinam eſt Demetrius? erat autem hic Pompeii libertus, magnaſque opes poſſidebat: ſi quantæ eſſent requiritis. (Nam vos equidem ad hoc audiendum potiſſimum incitatos arbitror) ego vobis authorem ac teſtem indicabo. Demophilus Bithynus ſcripſit libros ejuſmodi, ubi decerpens è multis, fecit ſermones jucundiſſimos, tum adoleſcentibus, tum ſenibus audiendi avidis. Solet enim ſenectus etiam triſtiores ad juvenile audiendi ſtudium revocare, quam ob cauſſam uſuvenire arbitror, ut juvenes ac ſenes æque fabulis audiendis delecten-

ρους. ὅθεν, οἶμαι, συμβαίνει νέους καὶ πρεσβύ-
τας ἐξ ἴσης εἶναι φιλομύθους· εἶεν ὁ δὲ δὴ Κά-
των ὅπως ἀπήντησε τῷ γυμνασιάρχῳ
βούλεσθε φράσω; μή με λοιδορεῖν ὑπο-
λάβητε τὴν πόλιν. οὐκ ἔστιν ὁ λόγος ἐμός· εἰ
τις ἀφῖκται περιφερομένη, καὶ εἰς ὑμᾶς
ἀκοὴ Χαιρωνέως ἀνδρὸς ἐκ τοῦ φαύλου
γένους· ὃ δὴ λέγεται περὶ τῶν ἀλαζόνων φι-
λοσόφων· οὗ δὴ καὶ αὐτὸς οὐκ ἐφικόμενος
μὲν, ηὐξάμην δὲ ὑπὸ ἀμαθίας κοινωνῆ-
σαι καὶ μεταχεῖν· ταῦτα δ' οὖν ἐκεῖνος ἔφρα-
σεν· ὡς ὁ Κάτων ἀπεκρίνατο μὲν οὐδὲν,
βοήσας δὲ μόνον, οἷά τις ἔμπληκτος καὶ ἀ-
νόητος ἄνθρωπος, ὦ τῆς κακοδαίμονος πό-
λεως· ἀπιὼν ᾤχετο. μηδὲ θαυμάσητε τοῦ-
το, εἰ καὶ ἐγὼ νυνὶ τοιαῦτα πάσχω πρὸς
ὑμᾶς, ἀνὴρ ἀγριώτερος ἐκείνου, καὶ θρασύ-
τερος τοσούτῳ καὶ αὐθαδέστερος, ὅσον οἱ Κελ-
τοὶ Ῥωμαίων. ὁ μὲν γὰρ ἐκεῖσε τεχθεὶς,
ἐγγὺς ἦλθε γήρως ἅμα τοῖς πολίταις τρε-
φόμενος. ἐμοὶ δὲ Κελτοὶ καὶ Γερμανοὶ, καὶ
δρυμὸς Ερκύνιος ἔμελε ἄρτι πρῶτον εἰς ἄν-
δρας τελοῦντι· καὶ διέτριψα πολὺν ἤδη
χρόνον, ὥσπερ τις κυνηγέτης ἀγρίοις ὁμι-
λῶν, καὶ συμπλεκόμενος θηρίοις, ἤθεσιν

lectentur. Sed ad propoſitum redeamus: Cato quemadmodum gymnaſiarcho illi reſponderit, vultis, ut dicam? Neque verò me putetis civitati maledicere, non mea eſt hæc oratio: ſi forte aliquando audiviſtis nominari Chæronenſem quendam hominem ex iſta peſſima & inſolentiſſima (ut vulgo dicitur) Philóſophorum natione, ad quam ego non quidem perveni; ſed qua ſum ſtultitia, certe aſpiravi: ille, inquam, hæc prodidit, Catonem nihil tum reſpondiſſe, ſed tantum furioſi ac dementis modo exclamaſſe: O miſeram urbem! atque ita diſceſſiſſe. Quare mirari non debetis, ſi mihi apud vos idem accidit, cùm præſertim ſim illo aſperior, tantoque eum libertate & audicia ſuperem, quanto Romános Galli vincunt. Etenim ille ibi natus, ad extremam fere ſenectutem inter cives ſuos verſatus eſt. At ego cum primum virilem ætatem attigi, ſtatim ad Gallos, Germanos, Hercyniam ſylvam ſum dimiſſus, & vix; cum illis multo tempore tanquam venator cum feris bellando, quod in eos mores incideram, qui adulari

ἐντυγχάνω οὔτε θωπεύειν, οὔτε κολακεύειν εἰδόσιν, ἁπλῶς δὲ καὶ ἐλευθέρως ἐκ τοῦ ἴσου πᾶσι προσφέρεσθαι. γέγονεν οὖν μοι μετὰ τὴν ἐκ παίδων τροφὴν, ἥ γε ἐν μειρακίοις ὁδὸς διὰ τῶν Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους λόγων, οὐδαμῶς ἐπιτηδεία δήμοις ἐντυγχάνειν, καὶ ὑπὸ τρυφῆς εὐδαιμονεστάτῳ εἶναι. ἥ τε ἐν ἀνδράσιν αὐτουργία παρὰ τοῖς μαχιμωτάτοις καὶ θυμικωτάτοις τῶν ἐθνῶν, ὅπου τὴν γαμηλίαν Ἀφροδίτην, καὶ τὸν μεθυδότην Διόνυσον, γάμου τε ἕνεκα, καὶ παιδοποιΐας, οἴνου τε ὁπόσης ἑκάστῳ δυνατὸν πόσεως, ἴσασι μόνον. ἀσέλγεια δ' οὐκ ἔστιν ἐν τοῖς θεάτροις, οὐδὲ ὕβρις, οὐδὲ ἕλκει τις εἴσω τῆς σκηνῆς τὸν κόρδακα. λέγεταί τοι μικρῷ πρόσθεν, ὡς ἐνθένδε ἐκεῖσέ τις Καππαδόκης φυγὰς, ἐν τῇ παρ' ὑμῖν τραφεὶς πόλει παρὰ τῷ χρυσοχόῳ· γνωρίζετε δήπουθεν ὃν λέγω· μαθὼν ὅπου καὶ ἔμαθεν, ὡς οὐ δέον ὁμιλεῖν γυναιξὶ, μειρακίοις δ' ἐπιχειρεῖν, οὐκ οἶδα ὁπόσα ἐνθάδε δράσας καὶ παθὼν, ἐπειδὴ παρὰ τὸν ἐκεῖσε βασιλέα πρῶτον ἀφίκετο, μνήμῃ τῶν τῇδε, πολλοὺς μὲν ὀρχηστὰς αὐτοῖς ἐπαγαγεῖν, πολλὰ δὲ τὰ ἐντεῦθεν ἀγαθὰ ποι-

adulari neſciunt, ſed libere ac ſimpliciter cum omnibus, æquabilique jure vivere. Fuit igitur mihi prima poſt puerilem educationem inſtitutio in libris Platonis, atque Ariſtotelis, neque id temporis ad popularem hanc vitam, deliciisque beatiſſimam idoneus eram: poſtea vir jam & robuſtus, poteſtatem adeptus meo more arbitratuque vivendi, inter ferociſſimos & bellicoſiſſimos populos vixi, qui Venerem nuptiarum Deam, & Bacchum lætitiæ datorem, conjugii proliſque gratia, & vini quantum cuique liceat, potandi cauſſa tantum norunt. Petulantia verò nulla eſt in theatris, neque inſolentia, neque in ſcenam cordax admittitur. Aiunt quendam è Cappadocia exulem dudum illuc fugiſſe, qui in veſtra urbe apud aurificem (noſtis quem dicam) educatus fuerat. Is neſcio ubi didicerat, non cum mulieribus, ſed cum pueris verſandum eſſe, & neſcio quæ illic tum fecerat, tum paſſus fuerat. Cum autem ad ipſorum regem veniſſet, tactus memoria earum rerum, quæ iſtic fiunt, primo multos ſaltatores inducere, deinde alia hujus urbis bona complura eis

αὐτά· καὶ δὴ τέλος ὡς ἐνεδήσεν εἰς κοτυλισοῦ· τοῦτο δ' ὑμεῖς ἴστε πρὸς τῷ ἔργῳ τὸ ὄνομα· καὶ τοῦτον ἐνθένδε ἐκάλει, πόθῳ καὶ ἔρωτι τῆς σεμνῆς παρ' ὑμῖν διαίτης. οἱ Κελτοὶ δὲ τὸν μὲν κοτυλιστὴν ἠγνόησαν. ἐδέξατο γὰρ αὐτὸν αὐτίκα τὰ βασίλεια. τοὺς ὀρχηστὰς δὲ ἐπιτραπέντας ἐν τῷ θεάτρῳ τὴν τέχνην, εἴασαν, οἰόμενοι τοῖς νυμφολήπτοις αὐτοὺς ἐοικέναι. καὶ ἦν ἐκεῖ παραπλησίως ἐμοὶ καταγελαστότατον τὸ θέατρον· ἀλλ' οἱ μὲν ὀλίγοι πολλῶν κατεγέλων· ἐγὼ ξὺν ὀλίγοις ἐνθάδε γελοῖος ὑμῖν ἅπασι τὰ πάντα φαίνομαι. καὶ οὐκ ἀγανακτῶ τῷ πράγματι. καὶ γὰρ ἂν εἴην ἄδικος, εἰ μὴ τοῖς παροῦσι στέργοιμι, διαφερόντως ἀσπασάμενος ἐκεῖνα. Κελτοὶ μὲν γὰρ οὕτω με δι' ὁμοιότητα τρόπων ἠγάπησαν, ὥστε ἐτόλμησαν οὐχ ὅπλα μόνον ὑπὲρ ἐμοῦ λαβεῖν, ἀλλὰ καὶ χρήματα ἔδωκαν πολλά· καὶ παραιτούμενον οὐκ ὀλιγάκις ἐβιάσαντο λαβεῖν, καὶ πρὸς πάντα ἑτοίμως ὑπήκουσαν. ὃ δὲ δὴ μέγιστον· ἐκεῖθεν εἰς ὑμᾶς ἐφέρετο πολὺ καὶ μέγα τὸ ἐμὸν ὄνομα, καὶ ἐβόων πάντες ἀνδρεῖον, συνετόν, δίκαιον, οὐ πολέμῳ μόνον ὁμιλῆσαι δεινόν, ἀλλὰ καὶ εἰρήνῃ χρήσασθαι

eis oſtendere, tandem etiam cùm ei cotyliſtes deeſſet (noſtis & rem, & nomen) hunc quoque ex iſta urbe evocaſſe: tantus in eo reſidebat honeſtiſſimæ hujus vitæ veſtræ amor & cupiditas. At Galli cotyliſten ignorabant (tum namque eum regia aula primum acceperat) ſaltatores verò cum artem ſuam oſtendiſſent, reliquerunt, quod furens & fanatica illa ſpecies videretur. Et mihi ſimiliter viſum eſt theatrum perridiculum: ſed illic plures à paucis irridebantur; ego hic cum paucis rideor ab omni populo. Neque tamen fero moleſte: iniquus enim eſſem, ſi cum illa probatim, hæc non leniter feram. Galli quidem certe adeo me propter morum ſimilitudinem amabant, ut non tantùm pro me arma ſumerent, verum etiam pecunias darent; & recuſanti ſæpe vim intulerunt, & quod caput eſt, in omnibus obſequentes fuerunt. Inde ad vos nomen noſtrum magna cum gloria & laude ferebatur; & clamabant me omnes fore, prudentem, juſtum, qui non tantum bello, ſed pace uti ſcirem;

δέξιον, εὐπρόσιτον, πρᾶον. ὑμεῖς δὲ αὐτοῖς ἀντιδεδώκατε νῦν ἐνθένδε, πρῶτον μέν, ὅτι παρ' ἐμοῦ τὰ τοῦ κόσμου πράγματα ἀνατέτραπται. συνοίδα δὲ οὐδὲν ἀνατρέπων ἐμαυτῷ, οὔτε ἑκών, οὔτε ἄκων. εἶτα, ὡς ἐκ τοῦ πώγωνός μου πλέκειν δεῖ σχοινία· καὶ ὅτι πολεμῶ τῷ Χῖ· πόθος δὲ ὑμᾶς εἴσισι τοῦ Κάππα. καὶ ὑμῖν γε οἱ πολιοῦχοι τῆς δε τῆς πόλεως θεοὶ διπλοῦν δοῖεν, ὅτι πρὸς τούτῳ καὶ τὰς ἀστυγείτονας ἐσυκοφαντήσατε πόλεις ἱερὰς καὶ ὁμοδούλους ἐμοί, ὡς δὴ παρ' αὐτῶν εἴη τὰ εἰς ἐμὲ ξυντεθέντα· ὃν εὖ οἶδ' ὅτι φιλοῦσιν ἐκεῖναι μᾶλλον, ἢ τοὺς αὐτῶν υἱέας. οἳ τὰ μὲν τῶν θεῶν ἀνέστησαν αὐτίκα τεμένη· τοὺς τάφους δὲ τῶν ἀθέων ἀνέτρεψαν πάντας ἀπὸ τοῦ συνθήματος, ὃ δὴ δέδοται παρ' ἐμοῦ πρώην, οὕτως ἐπαρθέντες τὸν νοῦν, καὶ μετέωροι γενόμενοι τὴν διάνοιαν, ὡς καὶ πλέον ἐπεξελθεῖν τοῖς εἰς τοὺς θεοὺς πλημμελοῦσιν, ἢ βουλομένῳ μοι ἦν. τὰ δ' ὑμέτερα πολλοὶ μὲν ἐγειρομένους ἄρτι τοὺς βωμοὺς ἀνέτρεψαν, οὓς ἡ πρᾳότης ἡμῶν ἐδίδαξε μόλις ἡσυχάζειν. ἐπεὶ δὲ ἀπεπεμψάμεθα τὸν νεκρὸν τῆς Δάφνης, οἱ μὲν ἀφοσιούμενοι τὰ πρὸς τοὺς Θεοὺς ἐξ ὑμῶν,

ſcirem ; facilem denique, manſuetum me appellabant. Vos autem nunc his contraria retuliſtis ; primum à me mundum ſubverſum eſſe: At ego nihil à me neque ſponte, neque vi ſubverſum eſſe ſcio Deinde ex barba mea funes necti oportere : poſtremo me Chi bellum indixiſſe, & Cappa deſideratis. Utinam Dii cuſtodes hujus urbis id vobis duplex largiantur, quoniam civitates finitimas, quæ & Diis mecum ſerviunt, & ſanctæ ſunt, calumnia vexaſtis, quaſi quæ in me compoſita ſunt, ab illis profecta eſſent, quem (ſcio) magis amant, quam ſuos liberos ; qui Deorum templa quamprimum reſtituerunt, ſepulchra vero Atheorum omnia ſigno à me nuper dato everterunt, ita elati & erecti animis, ut ſcelera eorum, qui Deos violarunt, acrius etiam quam mea ferebat voluntas, vindicarint. Quod vero ad vos attinet, pleriquc veſtrum erectas olim aras everterunt, quos mea lenitas vix adhuc potuit ad ſanitatem & quietem adducere. Poſtquam verò Daphnes mortuum remiſimus, quidam è vobis paulo verecundiores erga Deos,

ἀντέδωκαν τοῖς ὑπὲρ τῶν λειψάνων ἠγανακτηκόσι τοῦ νεκροῦ, τὸ τέμενος τοῦ Δαφναίου Θεοῦ· οἵδε εἴτε λαθόντες, εἴτε μή, τὸ πῦρ ἐνέδοξαν ἐκεῖνο· τοῖς μὲν ἐπιδημοῦσι τῶν ξένων φρικῶδες, ὑμῶν δὲ, τῷ δήμῳ μὲν ἡδονὴν παρέσχον, ὑπὸ δὲ τῆς βουλῆς ἀμεληθὲν εἰσέτι καὶ ἀμελούμενον. ἐμοὶ μὲν οὖν ἐδόκει, καὶ πρὸ τοῦ πυρὸς ἀπολελοιπέναι τὸν νεὼν ὁ Θεός· ἐπεσήμηνε γὰρ εἰσελθόντι μοι πρῶτον τὸ ἄγαλμα· καὶ τούτου μάρτυρα καλῶ τὸν μέγαν ἥλιον πρὸς τοὺς ἀπιστοῦντας· ὑμᾶς δὲ ὑπομνῆσαι βούλομαι, καὶ ἄλλης ἀπεχθείας τῆς ἐμῆς· ἔπειτα· ὅπερ εἴωθα ποιεῖν· ἐπιεικῶς ὀνειδίσαι ἐμαυτῷ καὶ ὑπὲρ ταύτης, καὶ κατηγορῆσαι καὶ μέμψασθαι, δεκάτῳ γάρ που μηνὶ τῶν παρ' ὑμῖν ἀριθμουμένων· Λῷον, οἶμαι, τοῦτον ὑμεῖς προσαγορεύετε· τοῦ Θεοῦ τούτου πάτριός ἐστιν ἑορτή, καὶ ἔδει σπουδῇ πρὸς τὴν Δάφνην ἀπαντᾶν. ἐγὼ μὲν οὖν ἀπὸ τοῦ Κασίου Διὸς ἐπὶ τοῦτο ἔδραμον, οἰόμενος ἐνταυθοῖ μάλιστα τοῦ πλούτου καὶ τῆς φιλοτιμίας ὑμῶν ἀπολαύειν. εἶτα ἀνέπλαττον παρ' ἐμαυτῷ πομπήν, ὥσπερ ὀνείρατα ὁρῶν, ἱερεῖα, καὶ σπονδάς, καὶ χοροὺς τῷ Θεῷ, καὶ θυμιάματα, καὶ τοὺς

iis, qui demortui reliquiis irati fuerant, templum Daphnæi Dei attribuerunt: alii vero ſive imprudentiâ, ſive non, templum inflammarunt, horrendumque exteris ſpectaculum; populo autem veſtro perjucundum, Senatui uſque in hunc diem neglectum, præbuerunt. Ac mihi quidem videtur Deus multò antę conflagrationem templo exceſſiſſe. Etenim primo ſtatim introitu ſtatua ipſa id mihi indicavit; atque hujus rei teſtem appello magnum Solem adverſus eos, qui nolint credere. Enimvero alia mihi deinceps erga vos offenſio commemoranda eſt: deinde me, quod adhuc feci, conviciis onerabo, deque ea meipſum criminabor & vituperabo. Decimo fere menſe, ut vos numeratis (is, opinor, Lous à vobis nominatur) patrium feſtum eſt hujus Dei, & magno ſtudio ad Daphnen concurritur. Ego igitur ab Iove Caſſio illud advolavi, exiſtimans me ibi maxime veſtras opes & magnificentiam ſpectaturum: atque jam tacitus apud me magnificam aliquam pompam fingebam, & quaſi ſomnians, victimas, libationes, choreas in Deum, thura, pueros in

ἐφήβους ἐκεῖ περὶ τὸ τέμενος, θεοπρεπέστατα μὲν τὰς ψυχὰς κατεσκευασμένους, λευκῇ δ' ἐσθῆτι καὶ μεγαλοπρεπεῖ κοσμουμένους. ὡς δὲ εἴσω παρῆλθον τοῦ τεμένους, οὔτε θυμιάματα κατέλαβον, οὔτε πόπανον, οὔτε ἱερεῖον. αὐτίκα μὲν οὖν ἐθαύμασα, καὶ ᾤμην ἔξω τοῦ τεμένους εἶναι, περιμένειν δὲ ὑμᾶς ἐμὲ δὴ τιμῶντας ὡς ἀρχιερέα τὸ σύνθημα παρ' ἐμοῦ. ἐπεὶ δὲ ἠρόμην, τί μέλλει θύειν ἡ πόλις ἐνιαύσιον ἑορτὴν ἄγουσα τῷ Θεῷ, ὁ ἱερεὺς εἶπεν· ἐγὼ μὲν ἥκω φέρων οἴκοθεν τῷ Θεῷ χῆνα ἱερεῖον· ἡ πόλις δὲ τανῦν οὐδὲν ηὐτρέπισεν. ἐνταῦθα, ὁ φιλαπεχθήμων ἐγὼ, πρὸς τὴν βουλὴν ἀνεπιεικεῖς πάνυ διελέχθην λόγους, ὧν ἴσως οὐκ ἄτοπον καὶ νῦν μνημονεῦσαι. Δεινὸν, ἔφην ἐγὼ, τοσαύτην πόλιν οὕτω τῶν θεῶν ὀλιγώρως ἔχειν, ὡς οὐδεμία παροικοῦσα τὰς ἐσχατιὰς τοῦ Πόντου κώμη, μυρίους κλήρους γῆς ἰδίας κεκτημένη, τῷ πατρίῳ Θεῷ νῦν πρῶτον ἐπιστάσης ἑορτῆς ἐνιαυσίου, ἐπειδὴ διεσκέδασαν οἱ θεοὶ τῆς ἀθεότητος τὴν νεφέλην, ὄρνιν ὑπὲρ αὐτῆς οὐ προσάγειν, ἣν ἐχρῆν μάλιστα καὶ κατὰ φυλὰς βουθυτεῖν. εἰ δὲ μὴ ῥᾴδιον, ἕνα κοινῇ πᾶσαν

templo tum animis digniſſimè Deo compoſitos, tum veſte candida elegantique illuſtres, intuebar. Ingreſſus autem in templum, neque thura, neque placentam, neque victimam ullam reperi. Itaque continuo miratus ſum, voſque extra templum eſſe ſuſpicabar, ſed honoris cauſſa ſignum à me, tanquam Pontifice, expectare. Percontatus autem de ſacerdote, quid eſſet civitas in ſolennibus illis feriis Deo ſacrificatura: Ego, inquit ille, domo anſerem iſtum Deo affero: civitas enim nihil hoc tempore apparavit. Hic ego (ô me pacis & gratiæ inimicum!) cum ſenatu gravibus verbis expoſtulavi, quæ non ſit fortaſſe incommodum hoc tempore referre: Grave profecto, inquam ego, videtur, tantam civitatem ſic Deos contemnere, ut ne in extremis quidem Ponti finibus vicus ullus faceret: & cum agrum infinitum poſſideat, inſtantibus patrii Dei ſolennibus feriis, diſſipata à Diis impietatis nebula, autem pro ſe minime attuliſſe, cum deceret eam imprimis boves tributim immolare. Quod ſi uni difficile erat, at certè univerſa

ὑπὲρ αὐτῆς προσφέρειν τῷ Θεῷ ταῦρον.
ὑμῶν δ' ἕκαστος, ἰδίᾳ μὲν εἰς τὰ δεῖπνα καὶ
τὰς ἑορτὰς χαίρει δαπανώμενος· καὶ εὖ οἶδα
πολλοὺς ὑμῶν πλεῖστα εἰς τὰ δεῖπνα τοῦ
Μαϊουμᾶ χρήματα ἀπολέσαντας, ὑπὲρ
δὲ ὑμῶν αὐτῶν καὶ τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως
οὐδεὶς θύει, οὔτε ἰδίᾳ τῶν πολιτῶν, οὔτε ἡ πόλις
κοινῇ. μόνος δὲ ὁ ἱερεύς, ὅν, οἶμαι, δικαιό-
τερον ἦν ἀπὸ τοῦ πλήθους τῶν προσφερομέ-
νων τῷ Θεῷ παρ' ὑμῶν, οἴκαδε ἀπιέναι
μερίδας ἔχοντα. τοῖς μὲν γὰρ ἱερεῦσιν οἱ
θεοὶ καλοκαγαθίᾳ τιμᾶν αὐτοὺς, καὶ ἀρετῆς
ἐπιτηδεύσει προσέταξαν, καὶ λειτουργεῖν
σφίσι τὰ εἰκότα. πρέπειν δ' οἶμαι, τῇ πό-
λει θύειν ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ· νυνὶ δὲ ὑμῶν
ἕκαστος, ἐπιτρέπει μὲν τῇ γυναικὶ πάντα
ἐκφέρειν ἔνδοθεν εἰς τοὺς Γαλιλαίους, καὶ
τρέφουσαι ἀπὸ τῶν ὑμετέρων ἐκεῖναι τοὺς
πένητας, πολὺ τῆς ἀθεότητος ἐργάζονται θαῦ-
μα πρὸς τοὺς τῶν τοιούτων δεομένους· ἔστι δ',
οἶμαι, τοιοῦτον τὸ πλεῖστον τῶν ἀνθρώπων
γένος· ὑμεῖς δὲ αὐτοί, πρῶτον μὲν τοὺς εἰς
τοὺς θεοὺς τιμῶν ἀμελῶς ἔχοντες, πράτ-
τειν οὐδὲν ἄτοπον ὑπολαμβάνετε. προσ-
ίασι δ' οὐδεὶς τῶν δεομένων τοῖς ἱεροῖς. οὐ γὰρ

verſa. civitas debuit, & potuit Deo taurum offerre. Unuſquiſque veſtrum privatim in convivia & feſta libens ſumptus facit: ſed & pleroſque ſcio in convivia Maïumæ pecuniam effundere; pro vobis autem ipſis & communi ſalute, neque privatim, neque publice ſacrificatis: ſolus ſacerdos, qui, ut legitimum eſt, ex multitudine veſtrarum victimarum debuit auctus parte aliqua domum redire, ſacrificavit: At Dii ſacerdotibus tantùm honeſtam, ac virtuti conſentaneam vitam pro omni cultu imperarunt, itemque ut ſacra munera, ut decet, obirent: veſtrum autem erat, opinor, publice privatimque ſacrificare: Nunc vero unuſquiſque veſtrum permittit uxori, ut omnia Galilæis largiatur; quæ ubi pauperes facultatibus veſtris aluerunt, egregium impietatis miraculum egentibus (quorum plena ſunt omnia) oſtentant. Vos autem primum, cum Dei cultum honoremque contemnitis, nihil offendere arbitramini. Nemo autem affert res ad ſacra neceſſarias:

ἐστιν, οἶμαι, πόθεν διατραφῇ. καὶ γενέθλια μέν τις ἑστιῶν, ἱκανῶς παρασκευάζει δεῖπνον, καὶ ἄριστον, ἐπὶ πολυτελῆ τράπεζαν τοὺς φίλους παραλαμβάνων· ἐνιαυσίου δ' ἑορτῆς οὔσης, οὐδεὶς ἐκόμισεν ἔλαιον εἰς λύχνον τῷ θεῷ, οὐδὲ σπονδήν, οὐδ' ἱερεῖον, οὐδὲ λιβανωτόν. ἐγὼ μὲν οὐκ οἶδα ὅπως ἄν τις ταῦτα ἀνὴρ ἀγαθὸς ὁρῶν παρ' ὑμῖν, ἀποδέξαιτο· νομίζω δ' ἔγωγε μηδὲ τοῖς θεοῖς ἀρέσκειν. τοιαῦτα εἰπὼν τότε μέμνημαι· καὶ ὁ μὲν θεὸς ἐμαρτύρησέ μου τοῖς λόγοις, ὡς μήποτε ὤφελεν ἐκλιπὼν τὸ προάστειον, ὃ πολὺν ἐτήρησε χρόνον, ἐν ἐκείνῃ τῇ ζάλῃ τρέψας ἀλλαχοῦ τῶν κρατούντων τὴν διάνοιαν. καὶ τὼ χεῖρε βιασάμενος. ὑμῖν δ' ἀπηχθόμην ἐγὼ ποιῶν ἀνοήτως. ἐχρῆν γὰρ σιωπᾶν. ὥσπερ, οἶμαι, πολλοὶ μὲν ἄλλοι τῶν συνεισελθόντων ἐμοί, καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν, μηδ' ἐπιτιμᾶν. ἀλλ' ὑπὸ προπετείας ἐγώ, καὶ τῆς καταγελάστου κολακείας· οὐ γὰρ δὴ νομιστέον ὑπ' εὐνοίας ἐμοὶ τότε εἰρῆσθαι τοὺς πρὸς ὑμᾶς λόγους· ἀλλ', οἶμαι, δόξαν θηρεύων εὐλαβείας τε εἰς τοὺς θεούς, καὶ εἰς ὑμᾶς εὐνοίας ἀδόλου· τοῦτο δ' ἐστίν, οἶμαι, παγγέλοιος κολακεία. πολλὰ

quod, credo, non ſit ei unde alatur. Cum quiſpiam veſtrum dat natalitia, magnificum apparat convivium, & amicos lautiſſimis menſis excipit; & tamen in feriis Deorum ſolennibus nemo oleum in Dei lampada, nemo libamentum, non thus, non victimam attulit. Ego vero quemadmodum hæc à bonis viris iſtic accipiantur, neſcio: illud credo, Diis ea minime placere. Talia me tum dixiſſe commemini, meamque orationem Deus teſtimonio ſuo confirmavit: quod utinam nunquam feciſſet, neque ſubucerium tam multis annis ſervatum deſeruiſſet, ac potius in illa tempeſtate ac procella mentes potentiorum avertiſſet, manuſque cohibuiſſet. At ego vobis ſtulte ſuccenſui: tacere enim potius debui, ſicut multi, opinor, eorum, qui mecum ingreſſi ſunt, neque curiosè inquirere, aut objurgare. Sed ego præcipiti temeritate, & ridicula adulatione (non enim eſt exiſtimandum me amicitia adductum orationem eam apud vos habuiſſe, ſed inani potius gloriæ cupiditate, quo religionis veſtrique cupidus viderer, quæ, opinor, perridicula eſt adulatio) multa

ὑμῶν μάτην κατέχεα. δίκαια τοίνυν ἐργάζεσθέ με τῆς ἐπιτιμήσεως ἐκείνων ἀμυνόμενοι, καὶ ἐναλλάττοντες τὰ χωρία. ἐγὼ μὲν γὰρ ὑπὸ τῷ θεῷ, πρὸς τῷ βωμῷ καὶ τοῖς τοῦ ἀγάλματος ἴχνεσιν, ἐν ὀλίγοις ὑμῶν κατέδραμον· ὑμεῖς δ᾽ ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς, ἐν τῷ δήμῳ, διὰ τῶν ἱκανῶν τὰ τοιαῦτα χαριεντίζεσθε πολιτῶν. εὖ γὰρ ἴστε, πάντες οἱ λέγοντες κοινοῦνται πρὸς τοὺς ἀκούοντας τοὺς λόγους· καὶ ὁ ξὺν ἡδονῇ βλασφημιῶν ἀκροασάμενος, μετέχων τῆς ἴσης ἡδονῆς ἀπραγμονέστερον τοῦ λέγοντος, κοινωνός ἐστι τῆς αἰτίας. εἴρηται οὖν ὑμῖν δι᾽ ὅλης καὶ ἠκρόαται τῆς πόλεως, ὁπόσα εἰς τουτονὶ πέπαικται τὸν φαῦλον πώγωνα, καὶ τὸν οὐδὲν ἐπιδειξάμενον ὑμῖν καλὸν, οὐδὲ ἐπιδείξοντα τρόπον. οὐ γὰρ ἐπιδείξει βίον ὑμῖν, ὁποῖον ὑμεῖς ἀεὶ μὲν ζητεῖτε, ποθεῖτε δὲ ὁρᾶν καὶ ἐν τοῖς ἄρχουσιν. ὑπὲρ μὲν δὴ τῶν βλασφημιῶν, ἃς ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ κατεχέατέ μου, παίζοντες ἐν τοῖς ἀναπαίστοις, ἐμαυτοῦ προσκατηγορήσας, ὑμῖν ἐπιτρέπω χρῆσθαι μετὰ μείζονος αὐτῷ παρρησίας. ὡς οὐδὲν ὑμᾶς ἐγὼ διὰ τοῦτο πώποτε δεινὸν ἐργάσομαι, σφάττων, ἢ τύπτων, ἢ δέων, ἢ ἀποκλείων, ἢ κολάζων. πῶς γάρ; ὡς ἐπει-

in vos temere effudi. Iure igitur reprehenſionum illarum injurias nunc perſequimini, locis etiam commutatis. Ego enim coram ipſo Deo, ad aram & ſimulachri pedes, inter paucos vos reprehendi: vos in foro, inſpectante populo, per idoneos cives, tales ludos facitis. Nam, mihi credite, qui dicunt, ſermones cum audientibus communicant; qui vero libenter audit contumelias, cùm minore periculo pari voluptate fruatur, atque is, qui dicit, in eadem cauſſa eſt. Sunt igitur vobis per univerſam urbem dicta & audita, quæcunque in miſeram hanc barbam luſa ſunt, & in eum, qui nullos unquam vobis bonos mores oſtendit, neque oſtendet. Non enim eam vitam vobis monſtrabit, quam ſemper vivitis, & in principibus requiritis. Quod vero attinet ad contumelias, quas in me privatim & publice anapæſtis ludentes jeciſtis, ego me præterea accuſo, vobiſque liberam ejus rei facultatem permitto: nam nunquam vobis eo nomine periculum creabo jugulando, verberando, conſtringendo, cuſtodiendo, puniendo. quomodo enim? Nam poſtea-

 quam

περ ὑμῖν ἐμαυτὸν ἐπιδείξας μετὰ τῶν φίλων σωφρονοῦντα, φαυλότατον ἰδεῖν ὑμῖν καὶ ἀηδέστατον, οὐδὲν δ᾽ ἐπιδείξας καλὸν θέαμα, μεταστῆναι τὴν πόλιν ἔγνωκα καὶ ὑποχωρῆσαι, πεπεισμένος μὲν οὐδαμῶς, ὅτι πάντως ἐκείνοις ἀρέσω, πρὸς οὓς πορεύομαι· κρίνων δ᾽ αἱρετώτερον, εἰ διαμάρτοιμι τῆς δόξαι γοῦν ἐκείνοις καλὸς καὶ ἀγαθὸς, ἐν μέρει μεταδοῦναι πᾶσι τῆς ἀηδίας τῆς ἐμαυτοῦ, καὶ μὴ τὴν εὐδαίμονα ταύτην ἀποκναῖσαι πόλιν, ὥσπερ ὑπὸ δυσωδίας τῆς ἐμῆς μετριότητος, καὶ τῶν ἐμῶν ἐπιτηδείων τῆς σωφροσύνης. ἡμῶν γὰρ οὐδεὶς ἀγρὸν, οὐδὲ κῆπον ἐπρίατο παρ᾽ ὑμῖν, οὐδὲ οἰκίαν ᾠκοδόμησεν, οὐδ᾽ ἔγημε παρ᾽ ὑμῶν, οὐδ᾽ ἐξέδωκεν εἰς ὑμᾶς, οὐδὲ ἠράσθημεν τῶν παρ᾽ ὑμῖν καλῶν· οὐδ᾽ ἐζηλώσαμεν Ἀσσύριον πλοῦτον, οὐδ᾽ ἐνεμάμεθα τὰς προστασίας, οὐδὲ παραδυναστεύειν ὑμῖν ἀνεσχόμεθά τινας τῶν ἐν τέλει, οὐδ᾽ ἐπείσαμεν τὸν δῆμον εἰς παρασκευὰς δείπνων ἢ θεάτρων, ὃν οὕτως ἐποιήσαμεν τρυφᾶν, ὥστε ἄγων σχολὴν ἀπὸ ἐνδείας τῶν ἀναπαύσεων εἰς τοὺς αἰτίους αὐτῶν τῆς εὐθηνίας ξυνέθηκεν. οὐδ᾽ ἐπεχαράξαμεν

ψάμεν

quam me apud vos, una cum amicis, moderatum atque temperantem, id eſt, importuniſſimum & ingratiſſimum oſtendi, nullumque vobis pulchrum ſpectaculum exhibui, migrare ex hac urbe ſtatui ac diſcedere, non quod exiſtimem jucundiorem me ad alios venturum eſſe; ſed quod melius fore arbitrer, ſi hac ſpe dejicior, pulchritudinem bonitatemque meam illis probandi; ſaltem omnibus meæ inſuavitatis aliquid impertire, neque hanc beatam civitatem prorſus tanquam fœtore modeſtiæ meæ, meorumque familiarium temperantia conficere. Noſtrum enim nemo agrum, nemo hortum apud vos coëmit, neque uxorem à vobis duxit, aut dedit, neque ea, quæ apud vos pulchra ſunt, amavimus; neque Aſſyrias opes expetimus, neque præfecturas depaſti ſumus, neque abuti poteſtate ſua erga vos magiſtratum aliquem paſſi ſumus, neque populo ſplendidorum conviviorum, theatrorumve auctores fuimus: imò tantam ei immunitatem & ubertatem rerum omnium dedimus, ut liber ab inopiæ metu, anapæſtis luſerit in eos, qui tantum bonorum ei largiti ſunt. Non aurum imperavimus,

ψάμην χρυσίον, οὐδὲ ᾐτησάμην ἀργύριον, οὐδὲ ηὐξήσαμεν φόρους· ἀλλὰ πρὸς τοῖς ἐλλείμμασιν ἀνεῖται πᾶσι τῶν εἰθισμένων εἰσφορῶν τὸ πέμπτον. οὐκ οἶμαι δὲ ἐξαρκεῖν τὸ σωφρονεῖν ἐμέ, μέτριον ἔχω ναὶ μὰ Δία καὶ θεούς, ὡς ἐμαυτὸν πείθω, τὸν εἰσαγγελέα, καλῶς ὑφ' ὑμῶν ἐπιλημφθέντα, διότι γέρων ὢν καὶ φαλακρὸς ἠρέμα τὰ πρόσω, διὰ δυστροπίαν οὐκ αἰσχύνεται, κομῶν τὰ ἐξόπισθεν, ὥσπερ Ὅμηρος ἐποίησε τοὺς Ἄβαντας. οὐδ' ἐκείνους φαυλοτέρους ἔχω ἄνδρας οἴκοι παρ' ἐμαυτῷ δύο καὶ τρεῖς, ἀλλὰ καὶ τέτταρας εἰ βούλεσθε· δὲ νυνὶ καὶ πέμπτον, ὅδ' ἐμοὶ θεῖος καὶ ὁμώνυμος, ὃς δικαιότατα μὲν ὑμῶν προὔστη, μέχρις ἐπέτρεπον οἱ θεοὶ ξυνεῖναι ἡμῖν αὐτὸν καὶ συμπράττειν, ὁ προμηθέστατα δὲ πάσαις ἐπέστη ταῖς οἰκονομίαις τῆς πόλεως. ἡμῖν μὲν οὖν ἐδόκει ταῦτα καλά, πρᾳότερα ἄρχειν τῶν πολιτῶν μετὰ σωφροσύνης, ᾠόμεθά τε ὑμῖν ἱκανῶς διὰ τούτων καλοὶ φανεῖσθαι τῶν ἐπιτηδευμάτων. ἐπεὶ δὲ ὑμᾶς ἥ τε βαθύτης ἀπαρέσκει τοῦ γενείου, καὶ τὸ ἀτημέλητον τῶν τριχῶν, καὶ τὸ μὴ παραβάλ-

ravimus, non argentum exegimus, neque tributa amplificavimus: ſed præter reſiduum nondum perſolutum, quintam de conſuetis vectigalibus partem remiſimus. Nec vero ſatis eſſe putavi, me temperantem eſſe, procuratorem habeo præterea abſtinentiſſimum per Deos, ac moderatiſſimum, ut equidem mihi perſuadeo, quem tamen vos acerbe accuſaſtis, quod ſenex, & fronte ſenſim calueſcens, tamen pro inſita mentis duritie non erubeſcat, cùm comam geſtet in occipitio, ſicuti Homerus facit Abantas. Neque illo deteriores duos treſve domi apud me habeo, imo quatuor: ac ſi quintum etiam vultis, is eſt avunculus meus, eodem mecum nomine, qui vobis præfuit æquiſſime, quandiu ei Dii dederunt una nobiſcum eſſe, remque publicam adminiſtrare, tametſi non magna prudentia civitatis res procuraverit. Ac nobis quidem præclara hæc videbantur, imperare civibus manſuete ac leniter, atque his rationibus pulchros nos ſatis viſum iri vobis ſperabamus. Verùm poſteaquam barbæ prolixitas, comæ neglectio, odium

ſpecta-

λεῖν τοῖς θεάτροις, καὶ τὸ ἀξιοῦν ἐν τοῖς ἱεροῖς εἶναι σεμνοὺς, καὶ περὶ τούτων ἁπάντων ἢ περὶ τὰς κρίσεις ἡμῶν ἀσχολία, καὶ τὸ τῆς ἀγορᾶς εἴργειν τὴν πλεονεξίαν, ἑκόντες ὑμῖν ἐξιστάμεθα τῆς πόλεως. οὐ γὰρ, οἶμαι, ῥᾴδιον ἐν γήρᾳ μεταθεμένῳ διαφυγεῖν τὸν λεγόμενον ὑπὲρ τοῦ ἰκτῖνος μῦθον. λέγεται γάρ τοι καὶ τὴν ἰκτῖνα, φωνὴν ἔχοντα παραπλησίαν τοῖς ἄλλοις ὄρνισιν, ἐπιθέσθαι τῷ χρεμετίζειν, ὥσπερ οἱ γενναῖοι τῶν ἵππων, εἶτα τῆς μὲν ἐπιλαθόμενον, τὸ δὲ μὴ δυνηθέντα ἑλεῖν ἱκανῶς, ἀμφοῖν θέρεσθαι, καὶ φαυλότερον εἶναι τῶν ἄλλων ὀρνίθων τὴν φωνήν. ὃ δὴ καὶ αὐτὸς εὐλαβοῦμαι παθεῖν, ἀγροικίας τε ἅμα καὶ δεξιότητος ἁμαρτεῖν. ἤδη γάρ· ὡς καὶ ὑμεῖς αὐτοὶ συνορᾶτε· πλησίον ἐσμὲν, ἐθελόντων θεῶν,

Εὖτέ μοι λευκαὶ μελαίναις ἀναμεμίξονται τρίχες,

ὁ Τήιος ἔφη ποιητής. Εἶεν, ἀλλὰ τῆς ἀχαρισίας, πρὸς θεῶν καὶ Διὸς ἀγοραίου καὶ πολιούχου, ὑπόσχετε λόγον· ἠδίκησθέ τι παρ' ἐμοῦ κοινῇ πώποτε καὶ ἰδίᾳ, καὶ δίκην ὑπὲρ τούτου λαβεῖν οὐ δυνάμενοι φανερῶς, διὰ τῶν ἀναπαί-

ſpectaculorum, ſtudium gravitatis in templis conſervandæ, cura æquitatis in judiciis tuendæ, ſummum avaritiæ foro pellendæ deſiderium; vos in me tantopere commovet, cedam urbe perlibenter. Neque enim eſſet facile, ſi in ſenectute mores commutarem, fabulam de milvo tritam effugere. Aiunt enim milvum, cum vocem ſimilem haberet cæteris avibus, hinnitum inſtar equorum nobilium appetiiſſe: poſtea cùm illam amiſiſſet, neque hunc ſatis conſequi poſſet, utroque excidiſſe, atque omnium avium poſtremam in canendo extitiſſe. Quod ne mihi accidat, valde vereor, nempe ut ab ruſticitate & urbanitate ſimul aberrem. Iam enim, ſicut ipſi videtis, ad id tempus pervenimus, Diis volentibus,

Quo mihi cani capilli ſociabuntur cum nigris,

ut ait Teïus Poëta. Verumenimvero per Deos immortales, per Iovem fori præſidem, atque hujus urbis cuſtodem, quænam tam ingrati, tamque offenſi in nos animi cauſſa eſt? an injuria aliqua publicè, aut privatim à me unquã affecti eſtis, quam cum aperte ulciſci non poſſitis, anapæ-

ἀναπαύσων ἡμᾶς, ὥσπερ οἱ κωμῳδοὶ τὸν
Ἡρακλέα, καὶ τὸν Διόνυσον ἕλκουσι καὶ περι-
φέρουσιν· οὕτω δὴ καὶ ὑμεῖς ἐν ταῖς ἀγοραῖς
ἐπιτρίβετε λοιδοροῦντες; ἢ τοῦ μὲν ποιεῖν τι
χαλεπὸν εἰς ὑμᾶς ἀπεχόμενον, τοῦ λέγειν δὲ
κακῶς οὐκ ἀπεχόμενον, ἵνα με καὶ ὑμεῖς
[ἐξεβιάσθητε] διὰ τῶν αὐτῶν ἰόντες ἀμύ-
νησθε; τίς ὅθεν ὑμῖν ἐστὶν αἰτία τοῦ πρὸς ἡμᾶς
προσκρούσματος καὶ τῆς ἀπεχθείας; ἐγὼ γὰρ
οἶδα δεινὸν οὐδένα ὑμῶν οὐδὲν οὐδὲ ἀνήκε-
στον ἐργασάμενος, οὔτε ἰδίᾳ τοὺς ἄνδρας, οὔτε
κοινῇ τὴν πόλιν, εἰπὼν οὐδὲν φλαῦρον. ἀλλὰ
καὶ ἐπαινέσας, ὡς ἔδοξέ μοι προσήκειν, καὶ
μεταδοὺς χρηστοῦ τινος, ὅσον εἰκὸς ἦν τὸν
ἐπιθυμοῦντα μὲν τοῦ δύνασθαι πολλοὺς εὖ ποι-
εῖν ἀνθρώπους. ἀδύνατον δὲ, εὖ ἴστε, καὶ τοῖς
εἰσφέρουσι συγχωρεῖν ἅπαντα, καὶ διδόναι
πάντα τοῖς εἰωθόσι λαμβάνειν. ὅταν οὖν
φανῶ μηδὲν ἐλαττώσας τῶν δημοσίων
συντάξεων, ὅσα εἴωθεν ἡ βασιλικὴ νέμειν
δαπάνη· ὑμῖν δὲ ἀνεὶς τῶν εἰσφορῶν οὐκ ὀλί-
γα, ἆρ' οὐκ αἴνιγμα τὸ πρᾶγμα ἔοικεν;
ἀλλ' ὁπόσα μὲν κοινῇ πρὸς πάντας πε-
ποίηται σοῦ ἀρχομένους ὑπ' ἐμοῦ, πρέποι
ἂν σιωπᾶν, ἵνα μὴ δοκοίην, ὥσπερ ἐξεπί-

anapæſtis in nos, ſicut Comici Dionyſium & Herculem ferunt, aguntque: ſic, inquam, vos in foro conviciis aſſidue in nos debacchamini? An vero me continui quidem, ne quid mali vobis facerem: à maledicto verò non continui, ut & vos iiſdem me modis ulciſcamini? Quænam eſt igitur cauſſa veſtræ in nos offenſionis atque invidiæ? Ego enim certo ſcio nihil à me in vos commiſſum eſſe durius, aut gravius, neque privatim in ſingulos, neque publice in univerſos ullo genere maledicti: imò & laude affeci, quantum viſum eſt convenire, & boni aliquid contuli, quantum erat æquum ei, qui pro viribus cupit de multis bene mereri. Fieri autem non poteſt, mihi credite, ut & iis qui vectigalia pendunt, omnia condonentur; & qui accipere conſueverunt, dentur omnia. Cùm igitur videar publicas largitiones, quas regius ſumptus facere conſuevit, nihil imminuiſſe; tributa autem vobis non pauca remiſiſſe, nonne res admirabilis, atque ænigmati ſimilis videatur? Sed quæ fuerint noſtra in omnes cives merita, nihil attinet hoc tempore referre, ut ne videar

τηδες, αὐτοπρόσωπος ἐπαίνους ᾄδειν ἐμαυτοῦ, καὶ ταῦτα ἐπαγγελλόμενος πολλὰς καὶ ἀσελγεστάτας ὕβρεις καταχέαι. τὰ δὲ ἰδίᾳ μοι πρὸς ὑμᾶς προπετῶς πεποιημένα καὶ ἀνοήτως, ἥκιστα μὲν ὑφ᾽ ὑμῶν ἄξια ἀχαριστεῖσθαι, πρέποι δ᾽ ἄν, οἶμαι, προφέρειν, ὥσπερ ἵνα ἐμὰ ὀνείδη τοσούτῳ τῶν ἔμπροσθεν χαλεπώτερα, τοῦτε αὐχμοῦ τοῦ περὶ τὸ πρόσωπον, καὶ τῆς ἀναφροδισίαν, ὅσῳ καὶ ἀληθέστερα ὄντα τῇ ψυχῇ μάλιστα προσήκει. καὶ δὴ πρότερον ἐπῄνουν ὑμᾶς, ὡς ἐνεδέχετό μοι φιλοτίμως, οὐκ ἀναμείνας τὴν πεῖραν, οὐδ᾽ ὅπως ἕξομεν πρὸς ἀλλήλους ἐνθυμηθεὶς, ἀλλὰ νομίσας ὑμᾶς μὲν Ἑλλήνων παῖδας, ἐμαυτὸν δὲ, εἰ καὶ γένος μοι ἐστὶ Θράκιον, Ἕλληνα τοῖς ἐπιτηδεύμασιν· ὑπελάμβανον οὖν ὅ, τι μάλιστα ἀλλήλους ἡμᾶς ἀγαπήσειν. ἓν μὲν δὴ τοῦτο ἔσω μοὶ τῆς προπετείας ὄνειδος. ἔπειτα πρεσβευσαμένοις ὑμῖν παρ᾽ ἐμὲ, καὶ ἀφικομένοις ὑστέροις οὐ τῶν ἄλλων μόνον, ἀλλὰ καὶ Ἀλεξανδρέων τῶν ἐπ᾽ Αἰγύπτῳ, πολὺ μὲν ἀνῆκα χρυσίον, πολὺ δ᾽ ἀργύριον, φόρους δὲ παμπληθεῖς ἰδίᾳ παρὰ τὰς ἄλλας πόλεις, ἔπειτα τοῦ βουλευτηρίου

dear tanquam de induſtria meas laudes ore proprio commemorare, cum præſertim contumelias & probra in me conjicere ſtatuerim: At quæ temere, & imprudenter erga vos geſſi, quanquam odio veſtro, ut arbitror, digna non erant: tamen non alienum fuerit proferre, quod probra mea ſint, tantoque ſuperioribus, ſqualorem vultus dico, & Veneris odium, majora, quanto veriora ſunt, animumque attingunt. Ac primum vos laudabam, quoad poteram cupide & vehementer, cùm neque periculum veſtri feciſſem, neque quemadmodum inter vos convenire poſſet, cogitaſſem, ſola hac fretus opinione, quod & vos genere Græci eſſetis, ego vero etſi Thrax origine, attamen vita & factis Græcus eſſem. Itaque ſuſpicabar fore, ut inter nos amaremus. Ergo hoc unum temeritatis meæ vitium eſto. Deinde, cum legatos ad me omnium poſtremi miſiſſetis, etiam Alexandrinorum, qui ſunt ad Ægyptum, tamen multum vobis auri & argenti, multa vectigalia peculiari beneficio præter alias civitates remiſi: præterea Senatorum nume-

τὸν κατάλογον διακοσίοις βουλευταῖς ἀνεπλήρωσα, φεισάμενος οὐδενός· ἐσκόπουν γὰρ, ὅπως ἡ πόλις ὑμῶν ἔσται μείζων καὶ δυνατωτέρα. δέδωκα οὖν ὑμῖν καὶ ἀπὸ τῶν ἐπιτροπευσάντων τοὺς θησαυροὺς τοὺς ἐμοὺς, καὶ ἀπὸ τῶν ἐργασαμένων τὸ νόμισμα, τοὺς πλουσιωτάτους ἑλομένους ἔχειν· ὑμεῖς δ' ἐκείνων μὲν οὐ τοὺς δυναμένους εἵλεσθε, λαβόμενοι δὲ τῆς ἀφορμῆς, εἰργάσασθε παραπλήσια, πόλει μὲν οὐδαμῶς εὐνομουμένῃ, πρέποντα δὲ ὑμῶν ἄλλως τῷ τρόπῳ. βούλεσθε ἑνὸς ὑμᾶς ὑπομνήσω; βουλευτὴν ὀνομάσαντες, πρὶν προσγραφῆναι τῷ καταλόγῳ, μετεώρου τῆς δίκης οὔσης, ὑπεβάλλετε λειτουργίᾳ τὸν ἄνθρωπον. ἄλλον ἀπ' ἀγορᾶς εἱλκύσατε πένητα καὶ ἐκ τῶν ἁπανταχοῦ μὲν ἀπολελυμένων, παρ' ὑμῖν δὲ διὰ περιττὴν φρόνησιν ἀμειβομένων πρὸς χρυσίον συρφετὸν ἀποροῦντα, μετρίας οὐσίας εἵλεσθε κοινωνόν. πολλὰ τοιαῦτα περὶ τὰς ὀνομασίας κακουργούντων ὑμῶν, ἐπειδὴ μὴ τὰ πρὸς ἅπαντας συνεχωρήσαμεν, ὧν τε εὖ εἰργασάμεθα τὴν χάριν ἀπεστερήθημεν, καὶ ὧν ἀπεχόμεθα σὺν δίκῃ πρᾶξαι, παρ' ὑμῶν δυσχεραινόμεθα. καὶ

numerum ad ducentos auxi, neque ulli rei peperci: id enim unum ſpectabam, ut majorem, potentioremque civitatem veſtram redderem. Itaque dedi vobis ex iis, qui theſauros meos procuraverant, & qui nummum fecerant, locupletiſſimos, ut eis uteremini: At vos non eos, qui poterant, accepiſtis; ſed occaſione captà ea feciſtis, quæ neque à malè inſtituta civitate, neque à veſtris moribus aliena erant. Vultis unum ex iis vobis in memoriam revocem? Cùm Senatorem quendam nominaviſſetis, antequam numero adſcriberetur, cauſa adhuc dubia, eum accepiſtis, & aliorum quorundam hominum opera in forum pertraxiſtis, egentem, ab omnibus derelictum, ex eorum grege, qui vobis ob ſingularem prudentiam vendunt inopem plebeculam, tenuis fortunæ hominem, vobis ſocium, adjunxiſtis. Atque ejuſmodi alia multa in nominando cùm peccaretis, neque omnia vobis concederemus, tum ſuperiorum benefactorum gratiam perdidimus, tum ob ea, quæ vobis remiſimus, atque condonavimus, irati nobis eſtis. Verùm
hæc

ταῦτα μὲν ἦν τῶν μικρῶν πάνυ, καὶ οὔπω δυ-
νάμενα τὴν πόλιν ἐκπολεμῶσαι. τόδε δὴ
μέγιστον, ἐξ οὗ τὸ μέγα ἤρθη μῖσος· ἀφικο-
μένου μου πρὸς ὑμᾶς, ὁ δῆμος ἐν τῷ θεά-
τρῳ πνιγόμενος ὑπὸ τῶν πλουσίων, ἀφῆκε
φωνὴν πρῶτον ταύτην· Πάντα γέμει,
πάντα πολλοῦ. τῆς ἐπιούσης διελέχθην ἐγὼ
τοῖς δυνατοῖς ὑμῶν, ἐπιχειρῶν πείθειν, ὅτι
κρεῖττόν ἐστιν ὑπεριδόντας ἀδίκου κτήσεως,
εὖ ποιῆσαι πολίτας καὶ ξένους.. οἱ δὲ ἐπαγ-
γειλάμενοι τοῦ πράγματος ἐπιμελήσεσθαι·
μηνῶν ἑξῆς τριῶν ὑπεριδόντος μου καὶ
περιμείναντος, οὕτως ὀλιγώρως ἔσχον τοῦ
πράγματος, ὡς οὐδεὶς ἂν ἤλπισεν. ἐπεὶ
δὲ ἑώρων ἀληθῆ τὴν τοῦ δήμου φωνήν, καὶ τὴν
ἀγορὰν οὐκ ἀπ' ἐνδείας, ἀλλ' ὑπ' ἀπλη-
στίας τῶν κεκτημένων στενοχωρουμένην ἔταξα
μέτριον ἑκάστου τίμημα, καὶ δῆλον ἐποί-
ησα πᾶσιν. ἐπεὶ δὲ ἦν τὰ μὲν ἄλλα πολ-
λὰ παρ' αὐτοῖς πάνυ· καὶ γὰρ ἦν οἶνος καὶ
ἔλαιον, καὶ τὰ λοιπὰ πάντα· σίτου δὲ ἐνδε-
ῶς εἶχον, ἀφορίας δεινῆς ὑπὸ τῶν ἔμπροσ-
θεν αὐχμῶν γενομένης, ἔδοξέ μοι πέμ-
πειν εἰς Χαλκίδα, καὶ Ἱεράπολιν, καὶ πόλεις
τὰς

hæc & parva erant, & ad civitatem in nos concitandam non ſatis virium habere videbantur. Hoc autem maximum fuit, & magnæ invidiæ argumentum: Cùm ego ad vos veniſſem, populus in theatro à divitibus oppreſſus, vocem primùm iſtam emiſit, Omnia plena ſunt; omnia magno conſtant. Poſtero die cum veſtris divitibus collocutus ſum, & magnopere eis perſuadere conatus, ut ſpreto iniquo quæſtu, civibus atque exteris conſulere vellent. Illi rem ſe curaturos polliciti, cùm ego ſuperſediſſem eo labore, tertiumque menſem exſpectaſſem, adeò negligentes fuerunt, ut nullus id ſperare potuiſſet. At ego cùm viderem populi vocem veram eſſe, neque forum inopiâ, ſed locupletum avaritiâ premi, moderatius rei cuique pretium conſtitui, atque id omnibus notum feci. Cumque cæterarum rerum magna eſſet copia (erat enim vinum, oleum, cæteraque omnia) frumenti autem inopia, propterea quod ſuperior anni tempeſtas paulo aridior, magnam agrorum ſterilitatem effecerat, mittendum in Chalcidem, Hierapolin, cæteraſque finitimas

τὰς πέριξ. ἔνθεν εἰσήγαγον ὑμῖν μέτρων τετταράκοντα μυριάδας. ὡς δὲ ἀνάλωτο καὶ τοῦτο, πρότερον μὲν πεντάκις χιλίους, ἑπτάκις χιλίους δ' ὕστερον, εἶτα νῦν μυρίους, οὓς ἐπιχώριόν ἐστι λοιπὸν ὀνομάζειν μοδίους, πάντα οἴκοθεν ἔχων ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου κομισθέντα μοι σῖτον, ἔδωκα τῇ πόλει, πραττόμενος ἀργύριον οὐ τὸ τῶν δέκα μέτρων, ἀλλὰ πεντεκαίδεκα τοσοῦτον, ὅσον ἐπὶ τῶν δέκα πρότερον. εἰ δὲ τοσαῦτα μέτρα θέρους ἦν παρ' ὑμῖν τοῦ νομίσματος, τί προσδοκᾶν ἔδει τηνικαῦτα, ἡνίκα· φησὶν ὁ Βοιώτιος ποιητὴς χαλεπὸν γίγνεσθαι τὸν λιμὸν ἐπὶ δώματι; ἆρ' οὐ πέντε μόγις καὶ ἀγαπητῶς, ἄλλως τε καὶ τηλικούτου χειμῶνος ἐπιγενομένου; τί οὖν ὑμῶν οἱ πλούσιοι; τὸν μὲν ἐπὶ τῶν ἀγρῶν σῖτον λάθρα ἀπέδοντο, ἐβάρυναν δὲ τὸ κοινὸν τοῖς ἰδίοις ἀναλώμασι; καὶ οὐχὶ πόλις μόνον ἐπὶ τούτῳ συρρεῖ, οἱ πλεῖστοι δὲ καὶ ἐκ τῶν ἀγρῶν συντρέχουσιν, ὃ μόνον ἐστὶν εὑρεῖν πολὺ καὶ εὔωνον, ἄρτους ὠνούμενοι. καίτοι τίς μέμνηται παρ' ὑμῖν εὐθηνουμένης τῆς πόλεως πεντεκαίδεκα μέτρα σίτου πραθέντα τοῦ χρυσοῦ;

ταύτης

urbes putavi. Inde vobis menſuratum quadringenta millia intuli : quo conſumpto numero, primùm quinque millia, deinde ſeptem millia, poſtremò nunc decem millia modiûm, ut vos jam nominare conſueviſtis, quod omne triticum ex Ægypto allatum ad me fuerat, domo mea eductum civitati donavi, neque pro decem menſuris, ſed pro quindecim tantum argenti, quantum antea pro decem accipi ſolebat, exegi. Quod ſi tot menſuræ nomiſmate apud vos jam tum in æſtate conſtabant, quid ſperandum erat fore tùm, cùm (ut ait Bæotius Poëta) fames ſæva eſt in ædibus ? Nonne quinque menſuras vix, & perlibenter accepiſſetis, tantâ præſertim hyeme, quanta deinceps conſecuta eſt ? Cur igitur veſtri divites frumentum, quod in agris habebant, clam vendebant, Rempublicam autem ſuis ſumptibus vexabant? Neque verò civitas tantum, ſed etiam plebs ex agris undique confluit ad panem, cujus unius magna eſt & copia, & vilitas, coëmendum. Quanquam quis unquam veſtiûm, abundanti etiam copioſaque civitate, meminit quindecim tritici menſuras aureo vænire?

k 2 Hanc

ταύτης ἕνεκεν ὑμῖν ἀπηχθόμην ἐγὼ τῆς
πράξεως, ὅτι τὸν οἶνον ὑμῖν οὐκ ἐπέτρεψα, καὶ
τὰ λάχανα, καὶ τὰς ὀπώρας ἀποδίδοσθαι
χρυσοῦ, καὶ τὸν ὑπὸ τῶν πλουσίων ἀποκεκλεισ-
μένον ἐν ταῖς ἀποθήκαις σῖτον, ἄργυρον αὐ-
τοῖς καὶ χρυσὸν ἐξαίφνης παρ' ὑμῶν γενέσθαι.
ἐκεῖνοι μὲν γὰρ αὐτὸν ἔξω τῆς πόλεως διέ-
θεντο καλῶς, ἐργασάμενοι τοῖς ἀνθρώποις
λιμὸν ἀλιτῆρα βροτείων, ὡς ὁ Θεὸς ἔφη,
τοὺς ταῦτα ἐπιτηδεύοντας ἐξελέγχων. ἡ
πόλις δ' ἐν ἀφθονίᾳ γέγονεν ἄρτων ἕνεκα
μόνον, ἄλλου δ' οὐδενός. τοῦτο συνίην μὲν
οὖν καὶ τότε ταῦτα ποιῶν, ὅτι μὴ πᾶσιν ἀρέ-
σκοιμι, πλὴν ἔμελεν οὐδὲν ἐμοί. τῷ γὰρ
ἀδικουμένῳ πλήθει βοηθεῖν ᾤμην χρῆ-
ναι, καὶ τοῖς ἀφικνουμένοις ξένοις, ἐμοῦ τε
ἕνεκα, καὶ τῶν συνόντων ἡμῖν ἀρχόντων. ἐπεὶ
δ' οἶμαι, συμβαίνει τοὺς μὲν ἀπιέναι, τὴν
πόλιν δ' εἶναι τὰ πρὸς ἐμὲ γνώμης μιᾶς·
οἱ μὲν γὰρ μισοῦσιν, οἱ δ' ὑπ' ἐμοῦ τραφέν-
τες ἀχαριστοῦσιν· ἀδραστείᾳ πάντα ἐπι-
τρέψας, εἰς ἄλλο ἔθνος οἰχήσομαι, καὶ δῆ-
μον ἕτερον, οὐδὲν ὑμᾶς ὑπομνήσας, ὧν
ἐνιαυτοῖς ἔμπροσθεν ἐννέα, δίκαια δρῶν-
τες, εἰς ἀλλήλους εἰργάσασθε, φέρων μὲν ὁ

Hanc ob cauſſam ego vobis eram invíſus, quod non ſum paſſus vinum, olera, & fructus autumnales aцro vendi, neque frumentum à divitibus in horrea concluſum, repente illis in argentum & aurum converti. Illi enim pulchre id extra urbem vendiderunt, & hominibus attulere famem vexatricem mortalium, ut Deus cecinit, hujus generis homines arguens: At civitas pane quidem abundabat, præterea nihil habebat. Atque id equidem jam tum, cum illas res agerem, proſpiciebam, nonnullis me parum gratum fore, verum nihil ea res mihi curæ erat, quod in animo haberem plebi oppreſſæ, & exteris, qui mecum venerant, tum mea cauſſa, tum magiſtratuum, qui mecum erant, opem ferre. Verum quando ita tulit caſus, ut & illi abierint, & civitas in me tota conſenſerit (alii ſiquidem odio, alii à me nutriti, ingrato animo me proſequuntur) fatis omnia committens, ad aliam gentem & populum me confero, nihil vobis commemorans eorum, quæ ante annos decem juſte in vos ipſi perpetraſtis, cum populus in

 locu-

δῆμος ἐπὶ τὰς οἰκίας τῶν δυνατῶν σὺν βοῇ
τὴν φλόγα, καὶ ἀποκτιννὺς τὸν ἄρχον, δίκην
δὲ ἀποτίνων αὖθις ὑπὲρ τούτων, ὧν ὀργι-
ζόμενος δικαίως ἔπραξεν, οὐκέτι μετρίως.
ὑπὲρ τίνος οὖν πρὸς θεῶν ἀχαριςούμεθα; ὅτι τρέφομεν ὑμᾶς οἴκοθεν, ὃ μέ-
χρι σήμερον ὑπῆρξεν οὐδεμιᾷ πόλει, καὶ
τρέφομεν οὕτω λαμπρῶς; ὅτι τὸν κατά-
λογον ὑμῶν ηὐξήσαμεν; ὅτι κλέπτοντας
ἑλόντες, οὐκ ἐπεξήλθομεν; ἑνὸς ἢ δύο
βούλεσθε ὑμᾶς ὑπομνήσω; μή τις ὑπο-
λάβοι σχῆμα, καὶ ῥητορείαν εἶναι καὶ προσ-
ποίησιν τὸ πρᾶγμα; Γῆς κλήρους, οἶμαι,
τρισχιλίους ἔφατε ἀπόρους εἶναι, καὶ ᾐτή-
σασθε λαβεῖν· λαβόντες δὲ ἐνείμασθε
πάντες οἱ μὴ δεόμενοι. τοῦτο ἀνεξετασθὲν
ἀνεφάνη σαφῶς. ἀφελόμενος δὲ αὐτοὺς
ἐγὼ τῶν ἐχόντων οὐ δικαίως, καὶ πολυπραγ-
μονήσας οὐδὲν ὑπὲρ τῶν ἔμπροσθεν, ὧν
εἶχον ἀτελεῖς, οὓς μάλιστα ἐχρῆν ὑποτε-
λεῖς εἶναι, τῶν βαρυτάτης ἔνειμα λειτουρ-
γίαις αὐτοὺς τῆς πόλεως. καὶ νῦν ἀτελεῖς
ἔχουσιν οἱ καθ᾽ ἕκαστον ὑμῖν ἐνιαυτὸν ἱπ-
ποτροφοῦντες, γῆς κλήρους ἐγγὺς τρισχι-
λίους,

locupletum domus cum clamore flammas inferret, magiſtratum necaret: viciſſimque ob hæc ipſa, quæ iratus juſtè, ſed immoderatè geſſerat, pœnas ſuſciperet. Quam tandem igitur ob cauſſam tantopere nobis infenſi eſtis? An quia vos domo noſtra alimus, quod civitati adhuc contigit nemini, & alimus tam liberaliter ac magnificè? An quod numerum veſtrum auximus? An quod fures, quos deprehenderamus, minimè ulti fuimus? Vultis unum aut alterum commemorem, ne quis forte rhetoricum colorem, fictionemque eſſe arbitretur? Agri jugerum tria millia infructuoſa eſſe dixiſtis, vobiſque concedi poſtulaſtis: cum verò id obtinuiſtis, divites ſoli cæteris fraudatis ea uſurpaſtis. Hoc à me inquiſitum, plane compertum eſt. Ego autem illos agros injuſtis poſſeſſoribus ereptos, nihilque de ſuperiore immunitate inquirens eorum, quos vectigales maxime eſſe oportebat, graviſſimis civitatis rebus adminiſtrandis attribui. Et nunc, qui apud vos quotannis equos alunt, habent immunia tria prope millia jugerum, partim patrui & cognominis mei prudentia,

λίας, ἐπινοίᾳ μὲν καὶ οἰκονομίᾳ τοῦ θείου τοῦ-
μοῦ καὶ ὁμωνύμου, χάριτι δὲ ἐμῇ, ὃς δὴ
τοὺς πανούργους καὶ κλέπτας οὕτω κολά-
ζων, εἰκότως ὑμῖν φαίνομαι τὸν κόσμον
ἀνατρέπειν. οὐ γὰρ ἴστε ὅτι ἡ πρὸς τοὺς
τοιούτους ἡ πρᾳότης, αὔξει καὶ τρέφει τὴν
ἐν τοῖς ἀνθρώποις κακίαν. Ο λόγος οὖν
μοι καὶ ἐνταυθοῖ περιίσταται πάλιν εἰς ὅ,
περ βούλομαι. πάντων γὰρ τῶν κακῶν ἐμαυ-
τῷ γίνομαι αἴτιος, εἰς ἀχαρίστα καταθέ-
μενος ἤδη τὰς χάριτας. ἀνοίας οὖν
ἐστὶ τῆς ἐμῆς τοῦτο, καὶ οὐ τῆς ὑμετέρας ἐλευ-
θερίας. ἐγὼ μέντοι τὰ πρὸς ὑμᾶς, εἶναι
πειράσομαι τοῦ λοιποῦ συνετώτερος· ὑμῖν
δὲ οἱ θεοὶ τῆς εἰς ὑμᾶς εὐνοίας καὶ τιμῆς,
ἣν ἐτιμήσατε δημοσίᾳ, τὰς ἀμοιβὰς
ἀποδοῖεν.

dentia, ac diligentia, partim meo beneficio, qui furibus, atque impoſtoribus ſic caſtigatis, jure vobis mundum videor evertere. Nam lenitas in iſtos & clementia, mihi credite, hominum improbitatem alit. & corroborat.

Quamobrem ad id ipſum, quod volebam, jam redit oratio mea. Omnium etenim malorum ipſe mihi author ſum, cùm in animos ingratos beneficia mea contulerim. Meæ igitur ſtultitiæ, non veſtræ libertati hoc attribuendum eſt. Quapropter ego deinceps apud vos prudentior cautiorque eſſe nitar: vobis vero pro honore & benevolentia, quam mihi publicè tribuiſtis, Dii parem gratiam retribuant.

L. ANNÆI

L. ANNÆI SENECÆ CLAVDII CÆSARIS APOCOLOCYNTOSIS.

QUID actum ſit in cœlo ante diem tertium eidus Octobris Aſinio Marcello, Acilio Auiola Coſſ. anno novo, initio ſæculi feliciſſimi, volo memoriæ tradere. Nihil offenſæ vel gratiæ dabitur. Hæc ita vera ſi quis quæſierit unde ſciam: primum, ſi noluero, non reſpondebo. Quis coacturus eſt? Ego ſcio me liberum factum, ex quo ſuum diem obiit ille, qui verum proverbium fecerat, Aut regem, aut fatuum naſci oportere. Si libuerit reſpondere, dicam qüod mihi in buccam venerit. Quis unquam ab hiſtorico jurato res exegit? Tamen ſi neceſſe fuerit auctorem producere, quærite ab eo, qui Druſillam euntem in cœlum vidit. Idem Claudium vidiſſe ſe dicet iter facientem, non paſſibus æquis. Velit nolit, neceſſe eſt illi omnia videre, quæ in cœlo agantur. Appiæ viæ curator eſt: qua ſcis & divum Auguſtum, & Tiberium Cæſarem ad deos iſſe. Nunc ſi interrogaveris, ſoli narrabit: coram pluribus nunquam verbum

bum faciet. Nam poſteaquam in ſenatu juravit ſe Druſillam vidiſſe cœlum aſcendentem, & illi pro tam bono nuntio nemo credidit, verbis conceptis affirmavit, ſe non judicaturum etiam ſi in medio foro hominem vidiſſet occiſum. Ab hoc ego quæcunque audivi, certa claraque affero: ita illum ſalvum & felicem habeam.

Iam Phœbus breviore via contraxerat ortum
Lucis, & obſcuri creſcebant tẽpora ſomni:
Iamque ſuum victrix augebat Cynthia regnum,
Et deformis hiems gratos carpebat honores
Divitis autumni, viſoq; ſeneſcere Baccho
Carpebat raras ſerus vindemitor uvas,

Puto magis intelligi, ſi dixero, menſis erat October, dies tertius eidus Octobris. Horam non poſſum tibi certam dicere, facilius inter philoſophos, quam inter horologia conveniet. Tamen inter ſextam & ſeptimam erat. Nimis ruſtice acquieſcunt oneri poetæ, non contenti ortus & occaſus deſcribere, ut etiam medium diem inquietent. Tu ſic tranſibis horam tam bonam?

Iam medium curſu Phœbus diviſerat orbem,
Et proprior nocti feſſas quatiebat habenas,

Obliquo flexam deducens tramite lucem.

Claudius animam agere cœpit, nec invenire exitum poterat. Tum Mercurius, qui ſemper ingenio ejus delectatus eſſet, unam de tribus Parcis educit, & ait: Quid fœmina crudeliſſima hominem miſerum torqueri pateris, nunquam meritum, ut tamdiu cruciaretur. Annus ſexageſimus & quartus eſt, ex quo cum anima luctatur. Quid huic invides? Patere mathematicos aliquando verum dicere, qui illum poſtquã princeps factus eſt, omnibus annis, omnibus menſibus efferunt. Et tamen non eſt mirum, ſi errant, horam ejus nemo novit. Nemo enim illum unquam natum putavit. Fac quod faciendum eſt,

Dede neci: melior vacua ſine regnet in aula.

Sed Clotho: Ego mehercule, inquit, puſillum temporis adjicere illi volebam, dum hos pauculos, qui ſuperſunt, civitate donaret. Conſtituerat enim omnes Græcos, Gallos, Hiſpanos, Britannos, Sauromatas, & ſi qui ultra glacialem Boream incolunt Barbari, togatos videre. Sed quoniam placet aliquos peregrinos in ſemen relinqui, & tu ita jubes fieri, fiat. Aperit tum capſulam & treis fuſos profert. Unus erat Augurini, alter Babæ,

Babæ, tertius Claudii. Hos, inquit, treis uno anno exiguis intervallis temporum diviſos mori jubebo, nec illum incomitatum dimittam. Non oportet enim eum, qui modo ſe tot millia hominum ſequentia videbat, tot præcedentia, tot circumfuſa, ſubito ſolum deſtitui. Contentus erit hîs interim convictoribus.

Hæc ait: & turpi cõvoluens ſtamina fuſi,
Abrupit ſtolidæ regalia tempora vitæ.
At Lacheſis redimita comas, ornata capillos,
Pieria crinem lauro frontemq; coronans,
Candida de niveo ſubtegmina vellere ſumit,
Felici moderanda manu: quæ ducta colorē
Aſſumpſere novum: mirantur penſa ſorores.
Mutatur vilis pretioſo lana metallo.
Aurea formoſo deſcendunt ſecula filo.
Nec modus eſt illis, felicia vellera ducunt,
Et gaudent implere manus, ſunt dulcia penſa.
Sponte ſua feſtinat opus, nulloque labore
Mollia contorto deſcendunt ſtamina fuſo.
Vincunt Tithoni, vincunt & Neſtoris annos.
Phœbus adeſt, cantuque juvat, gaudetque futuris:
Et lætus nunc plectra movet, nunc penſa miniſtrat. Deti-

Detinet intentas cantu, fallitque laborẽ.
Dumque nimis citharam fraternaque carmina laudant,
Plus ſolito nevere manus, humanaque fata,
Laudatum tranſcendit opus: Ne demite Parcæ;
Ille mihi ſimilis vultu, ſimiliſque decore,
Nec cantu, nec voce minor. felicia laſſis
Sæcula præſtabit, legumq́ſ ſilentia rumpet.
Qualis diſcutiens fugientia lucifer aſtra:
Aut qualis ſurgit redeuntibus heſperus aſtris:
Qualis cum primum tenebris aurora ſolutis
Induxit rubicunda diem, ſol aſpicit orbem
Lucidus, & primos à carcere concitat axes:
Talis Cæſar adeſt, talẽ jam Roma Neronẽ
Aſpiciet, flagrat nitidus fulgore remiſſo
Vultus, & affuſo cervix formoſa capillo.

Hæc Apollo. At Lacheſis, quæ & ipſa homini formoſiſſimo faveret, fecit, & plena orditur manu, & Neroni multos annos de ſuo donat. Claudium autem jubent omnes χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων. Et ille quidem animam ebullit, & eo deſiit vivere videri. Expiravit autem, dum comœdos audit, ut ſcias me non ſine cauſa eos timere. Ultima vox

ejus

ejus hæc inter homines audita eſt, cum majorem ſonitum emiſiſſet illa parte, qua facilius loquebatur: Væ me, puto, concacavi me. Quid autem fecerit, neſcio: omnia certe concacavit, nec poſt boletum opipare medicamentis conditum, plus cibi ſumpſit. Qui poſtea in terris ſint acta, ſupervacuum eſt referre. Scitis enim optime: nec periculum eſt, ne excidant, quæ memoriæ publicum gaudium impreſſerunt. Nemo felicitatis ſuæ obliviſcitur. In cœlo quæ acta ſint, audite: fides penes auctorem erit. Nuntiatur Iovi, veniſſe quendam bonæ ſtaturæ, bene canum, neſcio quid illum minari: aſſidue enim caput movere, pedem dextrum trahere. quæſiſſe ſe, cujus nationis eſſet? reſpondiſſe illum neſcio quid perturbato ſono, & voce confuſa: non intelligere ſe linguam ejus: nec Græcum eſſe, nec Romanum, nec ullius gentis notæ. Tum Iupiter Herculem, quia tantum orbem terrarum pererraverat, & noſſe videbatur omnes nationes, jubet ire & explorare, quorum hominum eſſet. Tum Hercules, primo aſpectu ſane perturbatus eſt, ut qui etiam non omnia monſtra domuerit: ut vidit novi generis faciem, inſolitum inceſſum, vocem nullius terreſtris animalis, ſed

(qua-

(qualis eſſe marinis belluis ſolet)raucam & implicatam, putavit ſibi tertiumdecimum laborem veniſſe. Diligentius autem intuenti,viſus eſt quaſi homo. Acceſſit itaque, & quod facillimum fuit Græculo, ait, τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις; Ubi hæc Claudius, gaudet eſſe illic philologos homines, ſperat futurum aliquem hiſtoriis ſuis locum. Itaque & ipſe Homerico verſu Cæſarem ſe eſſe ſignificans, ait

Ἰλιόθεν μὲ φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσεν.

Erat autem ſequens verſus verior, æque Homericus:

---ἔνθα δ' ἐγὼ πόλιν ἔπραθον, ὤλεσα δ' αὐτούς.

Et impoſuerat Herculi homini minime vafro, niſi fuiſſet illic Febris, quæ fano ſuo relicto, ſola cum illo venerat: ceteros omnes deos Romæ reliquerat. Iſte, inquit, mera mendacia narrat. Ego tibi dico, quæ cum ipſo tot annos vixi: Lugduni natus eſt: Munatii municipem audis: quod tibi narro, ad ſextumdecimum lapidem à Vienna natus eſt, Gallus germanus. Itaque quod Gallum facere oportebat, Romam cepit. Hunc ego reddo tibi Lugduni natum, ubi L. Licinius multos annos regnavit. Tu autem, qui plura loca calcaſti, quam ullus mulio perpetuarius, Lugdunenſes ſcire

debes,

debes, & multa millia inter Xanthum & Rhodanum intereſſe. Excandeſcit hoc loco Claudius, & quanto poteſt murmure iraſcitur. Quid diceret, nemo intelligebat. Ille autem Febrim duci jubebat, illo geſtu ſolutæ manus, & ad hoc unum ſatis firmæ quo decollare homines ſolebat. Iuſſerat, illi collum præcidi. Putares omnes illius eſſe libertos: adeo illum nemo curabat. Tum Hercules: Audi me, inquit, tu, & deſine fatuari: veniſti huc, ubi mures ferrum rodunt. Citius mihi verum, ne tibi alogias excutiam. Et quo terribilior eſſet, tragicus fit, & ait:

Exprome propere, ſede qua genitus cluas,
Hoc ne peremptus ſtipite ad terrã accidas:
Hæc clava reges ſæpe mactavit feros.
Quid nunc profatu vocis incerto ſonas?
Quæ patria, quæ gens mobile edux et caput,
Ediſſere. equidem regna tergemini petens
Longinqua regis, unde ab Heſperio mari
Inachiam ad urbem nobile advexi pecus,
Vidi duobus imminens fluviis jugum,
Quod Phœbus ortu ſemper obverſo videt:
Vbi Rhodanus ingens amne prærapido fluit,
Ararque dubitans quo ſuos curſus agat,
Tacitus quietis alluit ripas vadis:

Eſtne

Eſtne illa tellus ſpiritus altrix tui?

Hæc ſatis animoſe & fortiter. Nihilominus mentis ſuæ non eſt, & timet μωρᾶ πληγῇ. Claudius ut vidit virum valentem, oblitus nugarum, intellexit neminem parem ſibi Romæ fuiſſe: illic non habere ſe idem gratiæ: gallum in ſuo ſterquilinio plurimum poſſe. Itaque quantum intelligi potuit, hæc viſus eſt dicere: Ego te, fortiſſime deorum Hercules, ſperavi mihi affuturum apud alios: & ſi quis à me notorem petiſſet, te fui nominaturus, qui me optime noſti. Nam ſi memoria repetis, ego eram qui tibi ante templum tuum jus dicebam totis diebus menſe Iulio & Auguſto. Tu ſcis quantum illic miſeriarum pertulerim, quum cauſidicos audirem, & diem & noctem, in quos ſi incidiſſes, valde fortis licet tibi videaris, maluiſſes cloacas Augiæ purgare: multo plus ego ſtercoris exhauſi. Sed quoniam volo, non mirum, quod impetum in curiam feciſti, nihil tibi clauſi eſt. Modo dic nobis qualem deum iſtum fieri velis. Ἐπικούρειος θεὸς non poteſt eſſe: οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, οὔτε ἄλλοις παρέχει. Stoicus quomodo poteſt rotundus eſſe (ut ait Varro) ſine capite, ſine præputio? Eſt aliquid in eo Stoici dei: jam videt, nec cor, nec caput habet.

Si me-

Si mehercules à Saturno petiſſet hoc beneficium, cujus menſam toto anno celebravit, non tuliſſet. Illum deum apage, qui quantum quidem in illo fuit, damnatum inceſti L. Syllanum, generum ſuum occidit: Oropenque ſororem ſuam, feſtiviſſimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Iunonem vocare. Quare, inquit, quæro tantum ſororem ſuam ſtultè ſtudere, Athenis dimidium licet, Alexandriæ totum? Quia Romæ, inquit, mures molas lingunt: hic nobis curva corrigit. Quid in cubiculo ſuo faciat, neſcio: etiam cœli ſcrutatur plagas, deus fieri vult. Parum eſt quod templum in Britannia habet, quod nunc barbari colunt, & ut deum orant. Ἀλλόρκ φιλάτω χεῖν. Tandem Iovi venit in mentem, privatis intra curiam morantibus ſententiam dicere, nec diſputare. Ego, inquit, P. C. interrogare vobis permiſeram, vos mera mapalia feciſtis. Volo ſervetis diſciplinam curiæ. Hic qualiſcunque eſt, quid de nobis exiſtimabit? Illo dimiſſo, primus interrogatur ſententiam Ianus pater: is deſignatus erat in Calend. Iulias poſtmeridianus Coſ. homo quantumvis vafer, qui ſemper videt ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω. Is multa diſerte, quod in foro vivat, dixit, quæ notarius

tarius perſequi non potuit: & ideo non refero: ne aliis verbis ponam, quæ ab illo dicta ſunt. Multa dixit de magnitudine deorum: non debere hunc vulgo dari honorem. Olim, inquit, magna res erat, deum fieri: jam fama minimum fecit, & jam peſſimum quemque illum affectare. Itaque ne videar in perſonam, non in rem ſententiam dicere, cenſeo ne quis poſt hunc diem, deus fiat ex his, qui ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν, aut ex his quos ait ζείδωρος ἄρουρα. Qui contra hoc S. C. deus factus, pictuſve erit, eum dedi larvis, & proximo munere inter autoratos novos, ferulis vapulare placet. Proximus interrogatur ſententiam Dieſpiter Vicæpotæ filius, & ipſe deſitus Coſſ. nummulariolus. Hic quæſtu ſe ſuſtinebat, vendere civitatulas ſolebat. Ad huncce belle acceſſit Hercules, & auriculam ei tetigit. Itaque in hæc verba cenſet: Cum divus Claudius divum Auguſtum ſanguine contingat; nec minus divam Auguſtam aviam ſuam, quam ipſe deam eſſe juſſit, longeque omnes mortales ſapientia antecellat, ſitque è Reip. eſſe aliquem, qui cum Romulo

---- *Poſſit ferventia rapa vorare:*

cenſeo ut D. Claudius ex hac die deus fiat, ita uti ante eum quis optimo jure

factus

factus ſit. Eamque rem ad μεταμορφώσεις Ovidii adjiciendam. Variæ erant ſententiæ, & videbatur Claudius ſententia una vincere. Hercules enim, qui videret ferrum ſuum in igne eſſe, modo huc, modo illuc curſabat, & aiebat: Noli mihi invidere: mea res agitur: deinde ſi quid volueris, invicem faciam: Manus manum lavat. Tum divus Auguſtus ſurrexit ſententiæ loco dicendæ, ſumma facundia diſſeruit. P. C. vos teſtes habeo, ex quo deus factus ſum, nullum verbum me feciſſe: ſemper meum negotium ago. Sed non poſſum amplius diſſimulare, & dolorem, quem graviorem pudor facit, continere. In hoc terra marique pacem peperi? ideo civilia bella compeſcui? ideo legibus urbem fundavi, operibus ornavi? Et quid dicam, P. C. non invenio: omnia infra indignationem verba ſunt. Confugiendum eſt itaque à me ad Meſſalæ Corvini diſertiſſimi viri illam ſententiam: Periit jus imperii. hic P. C. qui vobis non poſſe videtur muſcam excitare, tam facile homines occidebat quam canis exta edit. Sed quid ego de tot actibus viris dicam? Non vacat deplorare publicas clades, intuenti domeſtica mala. Itaque illa omittam, hæc referam. Nam τῆς ὀργῆς ægre ſeneſcit ἡ νόσος.

Πυρχ-

Πυργοπολυνίκης iſte, quem videris, per tot annos ſub meo nomine latens, hanc mihi gratiam retulit, ut duas amitas ſuas, proneptes meas, occideret, alteram fame, alteram ferro: unum abnepotem L. Syllanum. Videris Iupiter, an in cauſa mala, certe in tua, ſi hic inter nos futurus eſt. Dic mihi dive Claudi, quare quenquam ex his quos, quaſque occidiſti, antequam de cauſa cognoſceres, antequam audires, damnaſti? hoc fieri ſolet in cœlo? non fit. Ecce Iupiter, qui tot annos regnat, uni Vulcano crus fregit, quem

ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο.

& iratus fuit uxori, & ſuſpendit illam: nunquid occidit? Tu Meſſalinam, cujus æque avunculus major eram, quam tuus, occidiſti, Neſcio, inquis? Dii tibi malefaciant, adeo iſtud turpius eſt, quod neſcis, quam quod occidiſti. Iſte C. Cæſarem non deſiit mortuum proſequi. Occiderat ille ſocerum: hic & generum. Cajus Cæſar Craſſi filium vetuit Magnum vocari: hic nomen illi reddidit, caput tulit. Occidit in una domo Craſſum, Magnum, Scriboniam, Baſſioniam, Aſſarionem, nobiles tamen, Craſſum vero tam fatuum, ut etiam regnare poſſet. Cogitate P. C. quale portentum in numerum deorum ſe recipi cupiat. Principes

cipes pietate & juſtitia dii fiunt. Scilicet hic pius & juſtus, quoniam Dryidarum immanem religionem advexit: noſtram prorſus extirpavit, ut Romæ nuptiarum ſacra eſſent: quibus ipſe, cùm ſibi Agrippina nuberet, xxx. Senatoribus, innumeris Eq. R. mactatis, principium dedit. Hunc nunc deum facere vultis? Videte corpus ejus, diis iratis natum. Ad ſummam, tria verba cito dicat, & ſervum me ducat. Hunc Deum quis colet? quis credet? denique dum tales deos facitis, nemo vos deos credet. Summa rei P.C. ſi honeſte inter vos geſſi, ſi nulli durius reſpondi, vindicate injurias meas. Ego pro ſententia mea hoc cenſeo. Atque ita ex tabella recitavit: Quandoquidem divus Claudius occidit conſocerum ſuum Appium Syllanum, generos duos, Pompeium Magnum Antoniæ ex Petina, L. Syllanum Octaviæ ex Meſſalina, ſocerum filiæ ſuæ Craſſum, frugi hominem, tam ſimilem ſibi quam ovo ovum, Scriboniam ſocrum filiæ ſuæ, Meſſalinam uxorem ſuam, & cœteros, quorum numerus iniri non potuit: placet mihi in eum ſevere animadverti, nec illi rerum judicandarum vacationem dari, eumque quamprimum exportari, & cœlo intra dies xxx. excedere, olympo intra diem

tertium.

tertium. Pedibus in hanc ſententiam itum eſt. Nec mora, Cyllenius illum collo obtorto trahit ad inferos illuc, unde negant redire quenquam. Dum deſcendunt per viam ſacram, interrogat Mercurius, quid ſibi velit ille concurſus hominum, num Claudii funus eſſet? Et erat omnium formoſiſſimum, & impenſa cura plenum, ut ſcires deum efferri, tibicinum, cornicinum, omniſque generis æneatorum tanta turba, tantus conventus, ut etiam Claudius audire poſſet. Omnes læti, hilares: P.Rom. ambulabat tanquam liber. Agatho & pauci cauſidici plorabant, ſed plane ex animo. Iureconſulti è tenebris procedebant, pallidi, graciles, vix habentes animam, tanquam qui cum maxime reviviſcerent. Ex his unus cùm vidiſſet capita conferentes, & fortunas ſuas deplorantes cauſidicos, accedit, & ait: Dicebam vobis, Non ſemper Saturnalia erunt. Claudius ut vidit funus ſuum, intellexit ſe mortuum eſſe. Ingenti enim μεγαληγορίᾳ nænia cantabatur anapæſtis.

Fundite fletus, *Edite planctus,*
Fingite luctus, *Reſonet triſti*
Clamore forum: *Cecidit pulchro*
Cordatus homo, *Quo non alius*
Fuit in toto Fortior orbe. Ille citato

Vincere

Vincere curſu	*Poterat celeres:*
Ille rebellos	*Fundere Parthos.*
Levibuſque ſequi	*Perſida telis,*
Certaque manu	*Tendere nervum:*
Qui præcipites	*Vulnere parvo*
Figeret hoſtes,	*Pictaque Medi*
Terga fugacis.	*Ille Britannos*
Vltra noti	*Litora ponti,*
Et cæruleos	*Scuta Brigantas*
Dare Romuleis	*Colla cathenis*
Iuſſit, & ipſum	*Nova Romanæ*
Iura ſecuris	*TremereOceanum.*
Deflete virum,	*Quo non alius*
Potuit citius	*Diſcere cauſas,*
Vna tantum	*Parte audita,*
Sæpe & neutra.	*Quis nunc judex*
Toto lites	*Audiet anno?*
Tibi jam cedet	*Sede relicta,*
Qui dat populo	*Iura ſilenti,*
Cretæa tenens	*Oppida centum.*
Cædite mœſtis	*Pectora palmis,*
O cauſidici,	*Venale genus,*
Voſque poëtæ	*Lugete novi:*
Voſque in primis	*Qui concuſſo*
Magna paraſitis	*Lucra fritillo.*

Delectabatur laudibus ſuis Claudius, & cupiebat diutius ſpectare. Injicit illi manum Talthybius deorum nuntius, & trahit capite obvoluto, ne quis eum poſſit

agnoſcere per campum Martium: & in-
ter Tiberim & viam rectam deſcendit ad
inferos. Anteceſſerat jam compendiariâ
viâ Narciſſus libertus, dominus domi-
ni, ad patronum excipiendum, & venienti
nitidus, ut erat à balineo, occurrit, & ait:
Quid Dii ad homines? Celeriùs præ-
cedito, inquit Mercurius, & venire nos
nuncia: Ille autem patrono plura blan-
diri volebat. quem Mercurius iterum
feſtinare juſſit, & virga morantem impu-
lit. Dicto citius Narciſſus evolat. Omnia
procliva ſunt, facile deſcenditur. Itaque
quamvis podagricus eſſet, momento
temporis pervenit ad januam Ditis: ubi
jacebat, ut ait Horatius, bellua centi-
ceps, ſeſe movens, villosque horrendos
excutiens. puſillum ſuperturbatur, ut
illum vidit canem nigrum (nam album
canem in deliciis habere conſueverat)
villoſum ſanè: quem non velis tibi in te-
nebris occurrere. Et magna inquit voce:
Claudius Cæſar venit. Ecce extemplo
cum plauſu procedunt cantantes: εὑρή-
καμεν, συγχαίρομεν. Hic erat C. Silius Conſ.
deſig. Iunius Prætorius, Sex. Trallus, M.
Helvius Trogus, corio tectus, Valens,
Fuſidius, Eq. Rom. quos Narciſſus duci
juſſerat. Medius erat in hac cantantium
turba Mneſtor Pantomimus, quem
Clau-

Claudius decoris cauſa minorem fecerat. Necnon ad Meſſalinam cito rumor percrebuit, Claudium veniſſe. Convolarunt primum omnium liberti, Myron, Amphironas, Ampæus, Pheronas, Poſides, haſtâ purâ inſignis, Felix cum Pallante fratre, Harpocras, Polybius: quos Claudius omnes quæſtoriis prætoriiſq; muneribus, necubi imperitus eſſet, præmiſerat. Deinde præfecti duo, Iuſtus Catonius, & Rufus Pompeii F. Deinde amici, Saturnius Luſcius, & Pedo Pompejus, & Lupus, & celer Aſinius, conſulares. Noviſſimè fratris filia, ſororis filia, generi, ſoceri, ſocrus, omnes plane conſanguinei. Et agmine facto Claudio occurrunt. Quos cum vidiſſet Claudius, exclamat: πάντα φίλων πλήρη. Quomodo vos huc veniſtis? Tum Pedo Pompeius: Quid dicis homo crudeliſſime? Quæris quomodo? Quis enim nos alius huc miſit, quam tu, omnium amicorum interfector? In jus eamus: ego tibi hic ſellas oſtendam. Ducit illum ad tribunal Æaci. is lege Cornelia, quæ de ſicariis lata eſt, quærebat; poſtulat: poſtulat, nomen ejus recipit, edit ſubſcriptionem: Occiſos Senatores xxx. Equites Rom. cccxv. atque plures ceteros cccxxi. ὅσα ψάμμαθός τε κόνις τε. Exterritus Claudius

 oculos

oculos undecunque circumfert, veſtigat aliquem patronum, qui ſe defenderet. Advocatum non invenit. Tandem procedit P.Petronius, vetus convictor ejus, homo Claudiana lingua diſertus, & poſtulat advocationem. Non datur. Accuſat Pedo Pompeius magnis clamoribus. Incipit patronus velle reſpondere. Æacus, homo juſtiſſimus, vetat. Alterâ tantum parte auditâ condemnat: & ait, Εἴκε πάθοι τά τ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο. Ingens ſilentium factum eſt. Stupebant omnes, novitate rei attoniti: negabant hoc unquam factum. Claudio iniquum magis videbatur, quàm novum. De genere pœnæ diu diſputatum eſt, quid illum pati oporteret. Erant qui dicerent, ſi minus dii latura feciſſent, Tantalum ſiti periturum, niſi illi ſuccurreretur: non unquam Siſyphum onere relevari: aliquando Ixionis miſeri rotam ſufflaminandam. Non placuit ex veteranis miſſionem dari, ne vel Claudius unquam ſimile ſperaret. Placuit novam pœnam excogitari debere: inſtituendum illi laborem irritum, & alicujus cupiditatis ſpecies ſine fine & effectu. Tum Æacus jubet illum alea ludere pertuſo fritillo. Et cœperat fugientes ſemper teſſeras quærere, & nihil proficere.

Nam

Nam quoties miſſurus erat reſonante fritillo,
Vtraque ſubducto fugiebat teſſera fundo:
Cúmque recollectos auderet mittere talos,
Luſuro ſimilis ſemper, ſempérque petenti,
Decepere fidem: refugit, digitóſque per ipſos
Fallax aſſiduo dilabitur alea furto.
Sic cùm jam ſummi tanguntur culmina montis,
Irrita Siſyphio volvuntur pondera collo.

Apparuit ſubito C. Cæſar, & petere illum in ſervitutem cœpit: producit teſtes: qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis vapulantem. Adjudicatur C. Cæſari: illum Æacus donat. Is Menandro liberto ſuo tradidit, ut à cognitionibus eſſet.

FINIS.

PETRI NANNI
SOMNIUM;
Sive
PARALIPOMENA VIRGILI:
Res Inferæ à Poëta relictæ.

AMPLISSIMO VIRO
DOMINO
ENGELBERTO
MASIO,
CONCILII PRINCIPUM
SANCTIORIS
SENATORI,
VIRTUTE, DOCTRINA,
PRUDENTIA
INCLYTO,
VETERUM LITTERARUM
LINGVARVMQVE
FAUTORI ET PATRONO
EGREGIO,
PETRI NANNI
SOMNIUM
PALÆSTRA BONÆ MENTIS
DEDICAT,
LOVANII,
IV. EID. QVINCT.
CIↃ. IↃC. XL.

MACROBIUS
Lib. 1. in Somnium Scipionis, Cap. III.

SOMNIUM *propriè vocatur, quod tegit figuris, & velat ambagibus non niſi interpretatione intelligendam ſignificationem rei, quæ demonſtratur. Hujus quinque ſunt ſpecies. Aut enim Proprium, aut Alienum, aut Commune, aut Publicum, aut Generale eſt. Proprium eſt, cum ſe quis facientem patientemve aliquid ſomniat. Alienum, cum alium. Commune, cùm ſe unà cum alio. Publicum eſt, cum civitati, foróve, vel theatro, ſeu quibuſlibet publicis mœnibus, actibúsve triſte, vel lætum quid exiſtimat accidiſſe. Generale eſt, cùm circa Solis orbem, Lunarémve globum, ſeu alia Sidera, vel cælum, omnésve terras aliquid ſomniat innovatum.*

E. PUTEANUS LECTORI.

SOMNIUM *ſcribere, corruptoſque Laſciviæ ritus ſub imagine reprehendere, neque novum, neque malum eſt. Si Græcum atque Romanum ævum reſpicimus, exempla in promptu ſunt; ſed ſi & noſtrum. Quiſquis docto & amœno fuit ingenio, iſto ſcribendi genere ſe exercuit: & talis inter alios, qui nuper vixit,* PETRUS NANNIUS, *clari nominis & eruditionis Vir, optimeque de Litteris & Moribus Belgarum meritus. Is cum ſalſa amœnitate defricare juvenilem aliquem ſeculi ſui vellet luxum atque intemperiem, Somno duce, Manes adiit,*

---- domos Ditis vacuas, & inania regna.

& in Tenebris invenit quoque, quod reprehenderet. Parum eſt ad Cimmerios ire: hic jam quid apud Inferos agatur, quid peccetur, vides. Satira eſt, & de iis ſcripta, qui jam vita functi, ſed quorum poſtumi fortaſſis mores ſunt, VIRGILII PARALIPOMENA, *ſive* Res Inferas, à Poëta relictas, *Auctor nominavit, & ſeni tiutulo ridentem acerbitatem tegere voluit.*

voluit. Libellus in Collegio Trilingui repertus eſt, poſtquam injuria avi, LX. *& amplius annos delituiſſet: quem tamen tum temporis & publice recitavit* NANNIUS, *ut Academia commendaret; & edendum reliquit, ut ab omnibus videretur. Quia* SOMNIUM *eſt, quia feſtivum doctumque, denique quia* NANNII, *Typographi arbitrio commiſimus. Fruere igitur, bone Lector, & ſi quid in hac imagine veri, parentum avorumque noſtrorum mores cum noſtris compone. Studium ſi noſtrum tibi probabitur., operam dabimus, ut ſæpius Somniaſſe* NANNIUM *intelligas.*

CORNELI VALERI
JUDICIUM
De hoc SOMNIO.

ORATIO *jocoſa, dicta à* NANNIO *in mediâ enarratione lib.* VI. *Æneidos, non tantùm jucunda & feſtiva, ſed & utilis juventuti, ſi quis in eâ aut moribus diſſolutus ſit, aut amoribus luxúque diffluat.*

PETRI

Petri Nanni SOMNIUM,

Sive

PARALIPOMENA VIRGILI.

HESTERNA nocte ſeria animum cogitatio ſubiit, unde major peritia rerum infernalium Virgilio, quàm Homero: nam apud illum omnia ſunt diſtincta in novem manſiones, cum deſcriptione quinque fluviorum; apud iſtum omnia confuſa. Profluunt enim quaſi ex alveari examina mortuorum, ſed quas ſedes in alveari habeant, non depingitur. Hæc dum mecum revolvo, Morpheus Deus, Somniorum auctor, & nocturnæ quietis aſſecla, non per unam portam, ſive eburneam, ſive corneam, ut Homerus fabulatur, ſed per binas feneſtras, ſimul me ad inferos demittit, ſtatímque poſt ingreſſum meum illæ clauſæ ſunt, cuteis & propemodum cartilagineis foribus, non aliter, quam oculi palpebris clauduntur. Mox igitur deducor ad ipſum

Vir-

Virgilium, cui in proximo aſſidebat Horatius; ſiniſtrum latus Lucanus claudebat, qui mihi videbatur Horatio ſubinvidere, tanquam in loco digniori recubanti. Agnitus ab utroque & blandè acceptus, ſed præſertim à Virgilio, ob recentem atque adhuc durantem illius operum interpretationem, itineris cauſſas expono, rogans unà, ut mihi commonſtret, ſiquid in quartâ manſione omiſſum eſſet, ubi amatores ſua domicilia habent. Oportunè, atque adeò ex voto, inquit, te mihi offers; multa enim hîc novata ſunt, & egent fido & eloquente hiſtorico. Quamobrem neceſſarium eſt, ut quemadmodum Quintus Calaber ſcripſit Paralipomena Homeri, ita ſit aliquis, qui deſcribat à me omiſſa. Nam ex quo hîc vixi ad mille quingentos annos, multa deprehendi, quæ antè latebant, multa etiam ſingulis ætatibus acciderunt. Ingens materia, ſi ſit probus artifex: nec de ingenio tuo diffidimus, modo fidem colas, nec, ut ſolent Græci, in hiſtoriis græcizare velis. Promiſi diligentem operam; ſed quia mihi barba in itinere nonnihil accreverat, rogavi, mihi tonſtrinam commonſtraret, ne inferi ex barbâ me barbarum arbitrarentur. Ubi tecto ſucceſſi, occurrebat

Dalila

Dalila Sampſonis,cum novacula & forfice. Huic, quia Sampſonis capillitium totondit, pro pœnâ ab Inferis datum fuit, ut tonſtrinam exerceat, nec ſolum viros, ſed etiam camelos & hircos tondeat. Maximè autem illa conquerebatur, ſe apud ſuperos jam non eſſe: hoc tempore ingens emolumentum,& quæſtum fieri, præſertim in Galliâ, ubi audierat præter caput, & mentum, etiam alias corporis partes radi. Deinde rogat, quid velim. Reſpondeo, Me lippitudine laborare, (nam nullo modo à ſceleratâ meretriculâ radi volebam) ac proinde, ſi collyrium haberet, me libenter ab illâ etiam ſatis improbo pretio redempturum. Negavit ſe chirurgam, juſſitque ire ad Medæam Pharmacorum peritam, aut ſi expectare poſſem, ad Stephanum circulatorem, qui quotidiè ex equo Petrinum oleum vendit, & inter garriendum non minùs ſtrenuè bibit, quàm mentitur: nam utrumque ad æquilibrium facit. Hac cauſificatione eludo feminam, ſtatimque abſcedo. Inter procedendum, ad domunculam, inſtar ſcholæ trivialis, audio ploratum quaſi puerorum ſub ferulâ vapulantium: quæro ex Virgilio, ecquid ſibi illa lamentatio vellet? ajebat eſſe Pædagogium Omphales,ubi ſtultos
amatores

amatores Omphale ſandalio, ut quondam Herculem, verberabat. Atque adeò dum iſta loquimur, prodiit è ſcholâ Hercules, vultu lacrymis ſuffuſo, ſed tamen hilariori, ut ſcires eum de pœnâ gaudere. Progreſſus longiùs, ac jam itinere defatigatus, valdè optabam, vel currum, vel cymbam: nam equitationem, ut homo Batavus, exhorrebam. Utriuſque mihi copiam fecit Virgilius. Aderat enim Hippoſophiſta, amica quondam Ariſtotelis, quæ, quia tanti viri os frenare auſa eſt, & calcaribus tanquàm equum fodere, ad aurigationem damnata fuit. Mihi, ut paucis dicam, auriga non placuit. Quamobrem cymbam Jaſonis inſcendi: eſt enim ille apud Inferos nauclerus, proreta autem Leander, gubernator Alcæus, Orpheus, ut ſolet, celeuma cantat. Ibi ex Leandro didici, carmen, quod de ipſius amoribus Muſæo aſſcribitur, falſo titulo venditari: adjecit quoque Orpheus, Argonautica, quæ ſub ipſius nomine circumferuntur, nihil omninò habere Orphicum, multo adhuc minùs illud opus de lapidibus; petiitque, ut id tacitum apud Lovanienſes non haberem. Inter trajiciendum inveni, quod ab Ariſtophane deſcribitur, malos Poëtas in ranas mutari,

tari, atque in eo ſtagno perpetuo brekekekiſmo coaxare: certè audivi, ut paucos attingam, Mævium Zoilum, & Buſconium, ingenti ſtrepitu brekekekec acclamare, adeò, ut Virgilius impatiens ſtrepitus, inſtar Ulyſſis, aureis cerâ obturaverit: juſſitque idem à me fieri, ſi ſalvus eſſe vellem. Tranſmiſsâ palude, ubi in ripâ conſiſtimus, audio dulciſſimas modulationes, & Phonaſcum præ ceteris ſuavi voce utentem, ceterorumque cantus caſtigantem. Aderant ingentes greges puellarum; fiſtulæque circum circa Æoliis, Lydiis, Phrygiis modis reſonabant. Indicavit mihi Virgilius, hunc eſſe Neronem ex Imperatore jam ob paupertatem Muſicum factum. Nihil hic morati incidimus in Joannem Secundum, Batavum hominem, Hagenſem patriâ, inſignem Poëtam, ac parem propemodum Tibullo ac Propertio, & haud dubiè ſuperiorem futurum, niſi è vitâ adoleſcens ſurreptus fuiſſet. Hic, ut inter conterraneos, miri & arctiſſimi complexus; nec homo, ad oſcula pronus, ullum fecit baſiandi modum. Multum ille me interrogavit, non ſine lacrymis, de ſuis fratribus Grudio & Mario, utroque inſigni Poëta. Dixi, illos opibus florere, ſed eam rem obſtare ſummis eorum

rum ingeniis. Secundus, quia egregium opus de Baſiis, præter cæteros amatorios libellos edidit, habitat in loco, ſi quis certius & exactius cognoſcere velit, qui dictus eſt Græcè *Autophilomathion.* Eidem, quod in vita non contigerat, Julia ſua in uxorem data fuit. Omnia mihi in illâ puellâ placebant, niſi quod labiis erat nimium attenuatis, & quaſi attritis: credo id feciſſe Joannis Secundi in ſuaviando immodeſtiam. Minimùm deinde ulteriùs progreſſis ingens ſodalitium doctorum hominum occurrit; Ovidius cum ſuâ Corynnâ, quam multi etiamnum apud Inferos Juliam Auguſti arbitrantur; Propertius cum Hoſtia, quam Cynthiam vocavit; Getulicus item cum Ceſennia, Tibullus cum Plancia, quam ſub nòmine Deliæ deſcribit. ſolus ibi ſine amica fuit Catullus; nam Lesbia ob avaritiam juſſa eſt à Plutone, lanionis officium exercere, ut

Glubat magnanimos Remi nepotes.

Cum iſtis mihi breve colloquium, utpote cum hominibus alienioribus; credo, quod eorum ſtudia genuſque ſcribendi jam pridem deſeruiſſem, cum olim adoleſcens nihil æquè affectarim. Norunt enim inferi, quamvis ſejunctiſſimi à nobis ſint, quidquid ubique terrarum geratur,

ratur, nec mirum, cum quotidiè tam multi eo proficiſcantur, qui res novas annuncient. Pergentes deinde ad loca cultoribus vacua pervenimus, amœna tamen ſatis & luculenta, ut eſt earum regionum genius. Miranti mihi ſolitudinem, ait Virgilius, quatuor juvenes cum ſuis ſodalitiis expectari: qui, quia eſſent egregio ingenio, nec minori eruditione, ſed tamen plus, quàm oportet, amoribus ſeſe dederint, omnino futurum eſſe, ut ſint aſſcriptitii illius glebæ. Mira me hic aviditas eorum nomina cognoſcendi tenuit. Sed, inquit Virgilius, fruſtra tibi nomina dixero, cùm apud nos aliter vocentur, quàm apud ſuperos. quæcunque enim ſunt vocabula rancida, deſita & emortua, iis nos mortui in noſtra dialecto utimur. Nam nos bellum *Guerram*, pacem *Treugam*, frumentum *Bladum*, tributum *Gabalam*, concionem *Arengam* appellamus. Si tamen cupis noſtra vocabula, quæcunque inde tibi notitia parari poteſt, non invidebo. Eſt quidam giganteæ molis, vaſtis viribus, ac planè Hectoreis, animo excellenti, ingenio præclaro Abbatium Priamiden nos illum dicimus. Sæpe eſt in Acropoli, non apud Palladem, ſed apud ſuam Andromachen. Alter non minoris

minoris ſtaturæ, ſed gracilioris corporis, humanis excultiſque moribus, linguarum bene peritus, Daphnis apud nos appellatur, oriundus ex Laurolavinio; ſæpe commoratur in monte Oliveti. Fama eſt, illum ibi quandam nympham *Callicleam* deperire, quæ quia multos ſcholaſticos ſuâ venuſtate in ſui amorem illaqueat, voluit Pallas & impetravit à Plutone, ut apud inferos auceps eſſet: quod genus vitæ apud nos eſt contemptibiliſſimum, quaſi apud vos vel lictor, vel carnifex. Innovantur, ut dixi, apud nos plæraque vocabula, habemuſque fermè eaſdem res, ſed aliis nominibus: nam quod vos dicitis Lovanium, nos *Ludivanium*; quod vos Falas, nos *Hallas*; quod vos Pædagogium, nos Colonienſi vocabulo *Burſam* appellamus, ſiquando latinè loqui volumus; ſi græcè *Phrontiſterium*. quod vos turrim impenſorum perditorum, nos latinè *Frugiperdam*, græcè *Paranaloma* dicimus: quod vos pagum ſancti Job, nos latinè vocamus *terram Hus*, & græcè *Parthenopolin*, quia multæ puellæ ibi virgines eſſe deſinunt. Beroſus & Arrianus duo reliqui, inſignes ſunt Poëtæ, & ſuperarent omnes elegiographos, niſi alter equam Duriam (idem enim eſt, ac ſi diceres equum Dura-

Duratæum, quo Troïa capta eſt, nam fuit re vera equa, unde eſt illud, quod illi uterum attribuerim, qui in maribus non reperitur, cum dico

Vterumque armato milite complent.) alter juvencam nimis adamaret. Iſtis inſaniis fit, ut tam ſublimia ingenia, ac propemodum divina frugem non tam uberem ferant quàm debent. Illis (ô me miſerum, pars eſt meminiſſe doloris) pro pœna aſſignatum eſt, ut alter in equâ Duriâ perpetuo habitet. & vellet quidem ſolus, ſed non ſinunt Græci Principes, qui ante Troiam in hoc animali latuerunt. Arriano à Parcis adnetum eſt, ut, cum ad nos venerit, fiat ſacerdos Iſidis, atque deinde pro Arriano ex Sceria, vocetur Bubſequa ex Taurica Cherſoneſo. Puellæ pro ſupplicio attributum fuiſſet, ut piſcatrix fieret, quod genus quæſtus æque odioſum eſt, ac ipſum aucupium. Nos enim, ut homines mediterraneos, quales ſunt Hannonienſes, Burgundiones, aves appellamus: ita piſces vocamus maris accolas, ut Friſones, Hollandos, Zelandos, Flandros. Sed obſtitit gratia Apollinis, qui graviorem pœnam ſuis precibus mollivit. Statutum eſt enim, ut ſumma ſit inter pediſſequas Mellonicæ Deæ, cujus inven-

inventum eſt, ex bove putrefacto apes procreare, ut abundè à me deſcriptum eſt, in IV. Georgicon. Quintus eſt) quem pœne ſilentío prętereieram) Latmius Miſoparthenus, & ipſe quoque inſignis eruditionis, & vividi ingenii: qnod ipſum ne ad legitimos fructus ematureſcat, convivia & perpotationes cum amatoribus faciunt: nihil enim ipſe amat, ſed cum amatoribus aſſiduus eſt, & magno ſtudio Dianam ſequitur. Quamobrem illi nihil à morte durum expectandum. nam eſt illi locus aſſignandus apud Roſcium Comœdum, ut Hiſtrionicen exerceat, & habitu & oris diſtortu quidvis feliciter imitetur. Abbatius Priamides, de cujus pœna hactenus tacuimus, æternaliter damnatus eſt, quia dixit, ſe libidinem ſuam inferre velle pulvinaribus cujuſdam pulcherrimæ Deæ, ſemper in templo habitantis, & ſi voto potitus fuiſſet, nunquam ullam pœnitentiam ejus peccati admiſſurum: nunc miſer nec voto potitus eſt, & ad hanc pœnam damnatus, ut Phalanges Troianorum inſtruat, nunc Plutoni currum triumphalem adornet, nunc gladiatoriam tyrones doceat. In ſummâ, hæ ſedes vacuæ, ubi tantam incolarum ſolitudinem vides, Ludivanienſibus Scho-

laſticis

laſticis deputatæ ſunt, qui aut ocio aut amoribus, aut aliis nequitiis tempus perdunt, ingenia ſitu obducunt. Fac igitur, inquit, ut eis iſta vel publicè renuncies, ne veniant in hunc locum pœnarum: ac puto me jam impleviſſe fidem. Proceſſimus inde ulterius, ubi ingens turris ædificabatur, adeò, ut illam Babylonicam crederes, quam uſque ad cælum educere olim in campis Semnar ſatagebant: tanta erat hominum ligna, lapides, calcem, bitumina comportantium multitudo. Quæſivi nomen: reſponſum eſt, hanc turrim ad Lovanienſem illam perditarum impenſarum nomine inſignem ædificari, & apud ipſos Frugiperdam, ſive *Paranaloma* nuncupari, ut ante fuit memoratum. Bone Deus! quot ibi cohortes Scholaſticorum vidi, Syſiphi ſaxum volvere? quot Danaidum urnas illas perforatas geſtare? Alii calcem, alii bitumen, alii naphtam macerabant, non mehercule aquâ, ut fieri ſolet, ſed cereviſiâ & vino; quarum rerum illic mira eſt copia. Sunt ibi fontes partim vino, partim cereviſiâ ſcaturientes. Sed hoc eſt diſcriminis, quod labra, ſive crepidines fontium, unde vinum ebullit, auro inædificatæ ſunt; unde cereviſia, argento: crateres, per quos
defluit,

defluit humor, cum crepidinibus materiâ reſpondent: inferi ſuo vocabulo Crumenas appellant. fontes vero Epidamna. qui ſinguli Naiadas ſuas habent. Vidi fontem nomine Toxarim; aliquot Græculi mihi interpretabantur idem eſſe, ac ſi *Arcum* diceres. alium item Boucrenem, de *bove* nomen deductum ajebant. alium Eleopagen, quod oleo redundaret, præter aliorum fontium morem. Erat quoque lacuſtris immenſa quædam ſcaturigo: paludem Pollionis non pauci, plurimi tamen Ithyphalliam nominabant. Præterea fluvius ibi Rhodanus erat; quidam à roſâ, alii à rubicundis vinis Gallicis originem vocabuli deducebant. Nomina fontium nunquam recenſuero, quia quotidiè novi emergunt; adeo ut Homerico vocabulo verè illam regionem *Polypidaca* appellare liceat. Vidi quoque quoſdam fontes, non niſi cœnum eructantes; dira inde Mephitis ac teterrimus odor naſcebatur; aquæ Sextiæ ſive mortuæ dicebantur. Hæ ſuo concurſu ingentem fluvium efficiebant, qui ſeſe exonerabat in mare mortuum, juxta pagum S. Job, in terrâ Hus. Fontes Polypoſiam, Ebibium, Perbibium, Nauteam, atque inde non procul Emetida & Cephalalgiam,

& in

& in extremo fine *achrematian* in præſentia omittere placet. Vidi ibi multas gentes ſtrenuam operam navare, & in macerandâ calce nihil ſibi reliqui facere. Ceterùm ut fortitudine & robore facilè Principes erant Germani, ita quoque ibi Principatum gerebant; de tota natione non dubitabatur, quin palmariam mereretur; niſi quod dubium erat, Hollandine an Friſii præſtarent: ſed quia origo mea ad utramque gentem pertinet (ſum enim Friſobatavus) parum curabam, hi ne an illi in hoc ſtadio præcederent. Proceſſi ad ipſam crepidinem turris: ibi vidi Gallos perpetuò cantillare, nec ſine ſucceſſu: lapides enim ad illorum tam emodulatam muſicam ſeſe velut ad Amphionis vocem, in ordine ultro conſtruebant. Hiſpani, ut gens eſt magnanima, in altiſſimis pontibus circa laquearia turris intrepide hærebant, & ſcandulis, laminis lapideis, aliiſque tegulis ſummum culmen integebant: ad tantam audaciam incitabat eos amor virtutis & gloriæ: utriuſque enim ſunt ſtudioſiſſimi. Sed Italus, ut prævalet ingenio, architecti officium ſibi arrogabat, & facile conceſſum fuit: non enim habebat acres competitores. Hic audivi ex Virgilio, Daphnidem Laurolavi-

nianum à multis expectari : qui (ut eſt egregius calculator) rationes omnium ſupputaret, & cenſum diligentiſſime cogeret, quo pecunia tantis ſumptibus ſuppeteret. Aderant quoque quidam, ornatus & elegantiarum avidi, homines certe & ſerii, & ſobrii, qui pavimentum interius teſſelato opere conſtruebant. quamobrem ut aſarota illa excultiſſima eſſent, non niſi oſſiculis quaternatis, certo numero punctorum vermiculatis utebantur : nonnulli vocant teſſeras : ſunt etiam, qui cubos, ut in rebus natura conjunctis : inferi appellant nummiperdias. His artificibus, quia tantopere huic curæ inſudant, ut ſæpe etiam veſtes abjiciant, Gymnoſophiſtarum nomen inditur. Hactenus ſi non læta, ſed ſaltem non admodum triſtia vidi. Hic dum ad lævam reſpicio, video Cementarios, Lapicidas, Segmentarios, Quaternatores complures, quibus negotium datum fuit, ut lapides polirent, & ad normam quadrarent. Sed (me miſerum!) illi ſæpe dum lapides cædunt, ſe ipſi atrociſſime vulnerabant, idque tantâ inſaniâ, ut nunc manum, nunc aures, nunc pedes, atque adeo ipſa capita detruncarent. Membra ſtatim divulſa Stryges, Harpyiæ, Lamiæ & Furiæ rapiebant, atque ipſi

ipſi turri inædificabant, non aliter quam in quibuſdam templis ad ipſos parietes calvarias hominum infixas vides. Quærenti mihi, quinam illi veſani & excordes eſſent, reſponſum eſt, graſſatores nocturnos eſſe, apud inferos dictos nycticoraces; qui ob publicam maculam, publicum ſcortum, ad perniciem mutuam non raro depugnant. Dum me refero ab his diris & immanibus ſpectaculis, video quendam aqualiculo præpingui, marcidis oculis, cervice multis pulvinaribus ſuffulta, turgidis in ſpeciem hydropis membris, magno ſatellitio, multiſque apparitoribus circumſtipari: quæro quid hominis eſſet? aiunt eſſe Scholarchum vacantiarum, feriarum, juſtitiorum, ociorum, ludorum. *Cauſſasque & crimina diſcit*. Reum ibi vidi, qui accuſabatur ſacrilegii, quod provinciam Hus, atque adeo templum S. Job, omnibus ſuis gemmis & carbunculis ſpoliaſſet: negavit quidem ille ſtrenue factum; ſed inſpecto corpore, gemmatiſſimus apparuit, & papulis & puſtulis. re deprehenſa damnatus eſt, ut nunquam niſi duobus ſcipionibus incederet, & ſi quando ſaltare vellet, non ſaltaret, niſi in choreis, quas græci vocant *Baſtriaſmos*, quoſque claudi ſuis baculis,

pro ludicro aliquando in Bacchanalibus exhibent. Vidi in eadem ſtructura turris non minimum deberi pædagogis, qui aut male docerent, aut ingratos docerent. diligenter inſpexi, nunquid & ego opere in tanto aliquam partem haberem. Nihil meum vidi; nec mirum, qui nuper à clariſſimo oratore Imperatoris, Euſtathio Chapuſio, minerval bene opimum, ac ingens donarium, dignum illius amplitudine acceperim. Hic ego admonitus ſum, ut domum redirem: inſtare enim horam nonam, qua mihi apud Lovanienſes docendum eſſet, celeriter igitur percurri omnia, & in primis Rempublicam Platonis; latam mehercule ditionem, ubi Maſſagetæ & Nicolaïtæ habitant, eo quod habent communes uxores. Quendam autem amicum meum, juvenem in primis eruditum Nicodemum *Ornithion*, ob communionem nominis valde eò invitabant: ſed ille, ut eſt moribus integerrimis, omneſque ex ſuo ingenio metitur, adeo non patitur communes uxores eſſe, ut ſubægre videatur ferre, ſi ſua Iſis vel alium aſpiciat: ſed ut eſt vir bonus & docilis, ſpero, quod aliquando cum ſua Zelotypia in gratiam redibit. Abiturus deinde Lovanium, quærebam an per Bier-

bekiam

bekiam (Vlierbekiam dicerem) iter facerem. Reſpondit mihi carmine Virgilius,

Per Parcam recta carpe viator iter.

Et adjecit, ut vos quoque admonerem, ut per Parcam, per parſimoniam, per frugalitatem ſemper incederetis. Eas enim optimas eſſe vias & ad honores, & ad opes, & ad eruditionem. Jam finita iſta commentatione, quam addam coronidem mecum ſubdubito. Subjiciam plaudite? non eſt comœdia. Subjiciam dixi? non eſt oratio. Dicam nugatus ſum? ſed adſunt quædam gravia. Jam ſcio, quid ſubjicere debeam. Dicam enim Miſcellanea mea jam abſolvi.

Ite domum paſti, ſi quis pudor, ite juvenci.

Et ſi Athenienſes avidiſſime audierunt Demoſthenem de aſini umbra loquentem: me quoque de fabulis Poëtarum ludentem, ut diligenter auſcultaſtis, ita in bonam partem conſulite. Anno ∞. Iↄ. XLV. Apud Inferos.

FINIS.

Petri Nanni
Somnium
Alterum:
in lib. II. Lucreti
Præfatio.

Habita Lovanii, in Collegio Trilingui.

PETRI NANNI SOMNIUM ALTERUM:

IN LIB. II. LUCRETI PRÆFATIO.

NUPER auditores ornatiſſimi, cum valdè hærerem in caſtigando Lucretio, nec ulla exemplaria ſatisfacerent; ingenti deſiderio inardeſcere cœpi, vel conveniendi Ciceronis, qui olim hunc authorem emendaverat, vel ipſi Lucretii, ut alterutrius ore verum cognoſcerem. Totus jam eram ab illo tempore in cogitatione de adeundis vel Elyſiis campis, vel inſulis fortunatis, vel ipſa denique Paradiſo. Nam apud magnos ſcriptores legeram hæc eſſe domicilia beatarum animarum, & præcipuè doctorum hominum. Sed in hoc anxius eram, ne ſi in hoc loco, quos volebam, non invenirem, ad alias ſedes longiſſimè inde diſſitas recurrendum eſſet. Noſtis enim, quot paraſangis, (ut taceam de paſſibus, & ſtadiis) Fortunatæ inſulæ

 diſtent,

diſtent, fermè infra noſtrum hemiſphærium demerſæ ab altitudine Paradiſi, quam aiunt ipsâ Lunâ ſuperiorem eſſe. Quia ſi neutrubi illos invenirem, nihil reſtabat, niſi ut tranſmiſſis inferorum fluminibus Styge, Lethe, Cocyto, non ſolùm longum iter, ſed & impeditum & tenebricoſum emetirer. Magna ergo anxietate fluctuabam, quânam viâ potiſſimùm inſiſterem. Ibi dum ſollicitus, ut mœſti ſolent, cubito inniterer, & ſubrectâ palmâ caput ſuffulcirem, ſubitò abripior in extaſim; vos fortaſſe ſomnium arbitrabimini, ego extaſim fuiſſe certò ſcio, & id ita eſſe vel argumentis, vel teſtibus, vel juramento, ſi reliqua defuerint, affirmabo. Quamobrem ne quis me putet fabulam recenſere, hiſtoriam audietis; veráne ſit, an falſa, ipſa de ſe judicio erit: vos judices facio, nec dubito, quin vincam, modò diligenter auſcultetis. Cum igitur verſabar in hac, quam dixi, extaſi, viſus mihi ſum habere animan à corpore exemptilem, & rurſus, quando liberet, inſertilem, nec falſum eſſe, quod docet Plato, quorundam animas liberas à corpore oberrare, & ſubinde ad domicilia membrorum redire. Nec inanem rem eſſe, quod de Sagis in Daniâ ferunt, quæ cum à mercatoribus

peregrè

peregrè ibi hærentibus conducuntur, ut renuncient, quid in cujuſque provinciâ agatur; ſtatim emittunt ſuas animas, vel in Brabantiam, vel in Galliam, vel in Angliam, ac ibi inviſibiles, non aliter quàm ſi Gygis annulum haberent, omnia conſpicantur, quid uxor, quid liberi, quid concubina faciat, ac intra paucas horas remenſo itinere, ex fide ad mercatores referunt. Harum inſtar, mea quoque anima, exuta omnibus artubus, ſine ullo pondere velociſſimè cœpit per aërem diſcurrere. Ego lætus inſolitâ alacritate, dum longiùs, ac longiùs evolo, ſenſi me tandem extra limites noſtri orbis excurriſſe, ac jam in extramundanis regionibus verſari. Ecce ibi ſe nova res oculis noſtris ingeſſit, & quam diu ſpeculabundus, non ſine ingenti admiratione tranſmiſi. Videbam ibi immenſum inane infinities hoc noſtro aëre & latius, & ſpatioſius, & quod ad conſpectum perquam utile erat, longè hoc noſtro aëre & liquidius, & tenuius, ita ut nullæ nubes, nullæ nebulæ procurſum oculorum impedirent. Atque inde fiebat, ut rem infinitam infito ferme proſpectu procurreres. In hoc immenſo inani plurimi mundi perpetuo deſcenſu ſubſidebant, nec tamen inter cadendum ſeſe

mutuò offenſabant. Cadebant enim, ut græcè dicam *Stoilidòn,* hoc eſt, certis intervallis, ac eodem ſpacio diſtinctis, ut lineas parallelas in labendo deſcriberent: rurſus quia mundi & pares magnitudine, & pondere æquales erant, eadem celeritate deſcendebant, adeò ut ſequens mundus antecedentem mundum nequaquam apprehenderet, quamobrem nec supernè, nec à lateribus ulla colliſio timenda erat: mihi tamen res periculo non caruit, quippe qui medius inter tot orbes delabentes conſtiteram. Nam ipſa interſtitia cadentium mundorum, non ita laxa erant, quòd niſi verè medium tenuiſſem, facilè contuſus ac contritus fuiſſem. Non ſemel ibi timui, ne ut pediculus inter mundos, veluti inter duos ungues apprehenſus, in pulverem uſque minutiſſimum redigerer. Sed nihil mihi ita profuit, ut mea Parvitas: quod ſi juſtam granditatem vel Hollandi, vel Phriſonis habuiſſem, credite mihi, ibi veſter periiſſet NANNIUS. Audiſtis quæ me pericula circumſteterint. Audite nunc, quid in iſta non dicam *Apodemia,* hoc eſt, peregrinatione, ſed *Apocoſmia,* hoc eſt, ultramundana profectione contigerit. Qui enim *Apodemouſi*, gentem ſuam relinquunt; qui *Apocoſmouſi*, totum mundum

mundum deſerunt. Jam ego in tot periculis cupiebam ad noſtrum orbem redire, & viſendi Lucretii & Ciceronis cura planè refrixerat. Sed commodùm ibi Pegaſus ille alatus, qui incuſſu ungulæ fontem Hippocrenem excitavit, ſeſe obviam tulit. Jam ubi me videt, diligenter contemplatur, tandem planè jam agnoſcens intermiſſo gradu in hunc verſum erupit. Eſt enim Pegaſus Muſices non imperitus, qui tamdiu Muſis familiaris fuit. *Cur*, inquit, NANNI, *Novus his ſuccèſti ſedibus hoſpes.* Ego cùm me ſentiebam in notum incidiſſe, incredibile eſt, quàm geſtiebam, ſimulque iter noſtrum, & cauſas itineris enarravi: quo audito ſtatim ſe ducem in hac profectione pollicitus eſt, imò gratulabatur ſibi comitem datum. Nam ſe quoque eaſdem oras petere, vel potius eò tranſmigrationem, vel transfugium parare. Tædere eum cœli, ubi nunquam nec avenam, nec Lothon guſtaſſet. Unicum eſſe in cœlo præſæpe, ſed id aſinis Sileni datum: ſe ex quo ibi fuerit; nullum unquam ſtabulum habuiſſe, nihil unquam illic vidiſſe frumenti, prætérquam aliquot ſpicas in manu Virginis; nolle amplius iſtam inediam pati; imò nec copiam ibi aquæ eſſe; unum eſſe illic fluvium Eridanum; ſed illum proximis

ximis diebus canicularibus exſiccatum, deinde longiùs à ſe ſitum, quàm, ut inde facilis adaquatio eſſet; ſe hactenus coactum fuiſſe è nubibus exſugere omne id quo ſitim reſtingueret; non habere ſe proboſcidem vel muſcæ, vel Elephanti, nec cicadæ inſtar ſuctu vel linctu vivere poſſe. Quòd ſi quæ eſſent pluviæ, eas non ſursùm aſcendere, ſed in terras excidere, ad ſe interim nihil pervenire. Iam grandine, vel nive ſitim compeſcere, ſæpiùs ſe audiviſſe ex Æſculapio quàm ſit inſalubre, & periculoſum; ac proinde famelicum & ſiticuloſum, cœlum velle relinquere, & ad orbem Poëtarum redire. Ibi ſe ſuum fontem Caballinum, ibi Lothon, ibi avenam inventurum, ac proinde opportunè incidiſſe, quod ſocium itineris haberet, qui eodem tenderet. Quamobrem quod fælix fauſtúmque eſſet, jubebat tergum ſuum inſcendi. Ego qui conſcius eram quàm mali plerúmq; equites Hollandi eſſent, & quid Bellerophonti acciderat, pedes meos infra ventrem equi fortiſſimè alligavi, deinde pectus ſellæ & ephippio aſtrinxi. Cùm jam exiſtimarem illum vel Elyſios campos, vel fortunatas inſulas petiturum, aliò curſum deflexit: interrogatus cauſſam reſpondit, neutrobi nunc ibi doctos habitare.

bitare. Elyſios enim campos eſſe nunc turbulentiores ob Coloniam ibi deductam novorum ſcriptorum, perpetuò dogmatibus controverſis rixantium, ac proindè veteres ſcriptores ad novas ſedes quærendas exiiſſe, unáque ſecum Eraſmum & Budæum extuliſſe; quod illi ſoli digni eſſent, qui catalogo veterum authorum aſſcriberentur ex omnibus præſentis ætatis hominibus. Nec tamen auſos in fortunatis inſulis conſiſtere, eò quòd ea loca parum tuta viderentur ob navigationes Hiſpanorum; nec Paradiſi domicilium placuiſſe, idque ea de cauſa, quòd Mahumetus illuc tot malè olentes Turcas & Vaxos miſiſſet; alioquin & locum ipſum habere, quod meritò ſuſpectum ſit. Nam incertum eſſe, an ſerpens, qui Adam & Evam decepit, inde ejectus ſit; ſe quidem exilium Adæ & Evæ legiſſe, ſerpentis non legiſſe. Tandem placuit, ut in unum ex mundis Democriticis immigrarent; quales multos (inquit) vidiſti in hoc inverſo inani, uſus conſilio Lucretii in delectu mundorum. Nam ipſe iſtarum rerum peritiſſimus, mundum Apollinis Muſagetæ ad inhabitandum ſibi deſumpſit. Dum hęc loquimur, jam in proſpectu erant ſuburbana illius mundi: recepit deinde nos porta, quæ ad

polum

polum Arcticum vicina eſt: nam ſuperne involavimus, quo in loco obviam habuimus Anacharſin Scytham, & Empedoclem Siculum, qui ibi ſedes fixerant; quòd alter frigoribus aſſueverat, alter calores in Ætna acceptos ejus terræ gelicidio refrigerare cupiebat. Percunctante Pegaſo, ubi Socrates habitaret, reſpondêre, eum in Torridâ Zonâ verſari, ac Zenit habere ſub primo pede Cancri: conſilium habitationis tale eſſe, ut algôres cicutæ, quos Athenis biberat, æſtu ejus cœli concaleſcerent. Digreſſi ex colloquio iſtorum Philoſophorum, multas in medio civitates prætervecti ſumus. *Agrypnian, Didaſcalian, Meleten*, inſulas quoq; aliquot in circulum ſparſas, quas à ſitu Cycladas appellant: quarum prima eſt nomine Grammatice, ſecunda Dialectice, tertia Rhetorice: cæteras omitto nominare, quia iiſdem vocabulis, quibus artes liberales, appellantur. Metropolis iſtarum inſularum Cyclopædia eſt, in meditullio ipſo ſita. Hanc cùm intraſſemus, percuntantibus nobis de Lucretio, reſponſum eſt, eum ad forum nomine *Panepiſthenoe* iſſe ante regiam Apollinis, ibique cauſſam agere adverſus Virgilium. Eò conveniendi hominis cauſa progreſſi ſumus. Sed antequam

enarrem

enarrem, quæ illic vidi, quæſo reſpirate. Scio enim vos feſſos ex tanto itinere, quo mecum in novos uſque orbes percurriſtis. Cum jam in foro conſtiteram, abiit Pegaſus ad pabulum quærendum. Nolle enim aiebat ulterius iſtam eſuriem pati, & quamquam dies eo in orbe jejuniis dedicatus eſſet in honorem divæ Oligophagiæ,quæ tam ſobriè vixit, ut per omnem ætatem nunquam nec matulâ, nec latrinâ opus habuerit, non poſſe ſe tamen à cibo abſtinere, neque ſibi fraudi fore,quod neceſſitate legem violaret; & rectâ abiit ad Pandochæum Hippicum, ſive, ut dicam latinè equeſtre, ubi Conſus bonus vir, ut poſtea audivi, lautè equis pabulum præbet. Ego intereà in magnâ multitudine hominum, quæ ad judicia convenerat, Lucretium quæro. Ibi video tres reos mœſto vultu ſententiam judicis expectare: primus erat Virgilius,ſecundus Eraſmus,tertius Budęus. Eraſmo objectum, quòd erat novarum rerum ſtudioſus,& paci, & tranquillitati reipub. omnino infeſtus, & mirè inconſtans, ut qui cothurnis non in pedibus, ſed in mento uteretur, ac proinde par eſſe, ut in laminis illis ferreis, quæ circumactu ſuo ventos indicant, defigeretur: (appellant has laminas Teutones
Germa-

Germani Gallinaceos ventoſos.) eam enim pœnam dicebat accuſator condignam eſſe ipſius levitati, quò homo inconſtans & turbulentus perpetuo in motu, & agitatione, & ſub dio viveret. Alterum crimen quod non ſatis Ciceroniana verba faceret. In ſumma illum & malè ſentire, & malè loqui. Multa dicta ſunt ab Eraſmo contrà ſummâ cum facundiâ, & planè Eraſmicè; ſed gratiâ prævalebant accuſatores. Erant autem illi Caſcus Archigenes Monaſterienſis, cognomento Zelotes, & Itemnobanes Philociceronianus, Arpinas dictus; ſed falſo: natus eſt enim in inſula Pithecûſis, non procul ab Italiâ, ubi maxima copia eſt Simiarum. Ea de cauſſa factum eſt, ut damnaretur Eraſmus, non herclè ſine meis lachrymis: ſed ille callidus naturâ, qui novit ire per extentum funem, provoco (inquit) ad populum: quæ vox illi & ſalutem attulit, & mihi ſollicitudinem allevavit. Populus enim pro damnatione novos honores in Eraſmum contulit, eúmque epiſtolis Apollinis conſcribendis præfecit, quod officium homo in ea re mirè exercitatus, cupidiſſimè amplexus eſt. Ibi tum accipiebatur Budæus ab accuſatoribus: crimini datum, quòd majori pompa & ſplendore in oratione uteretur,

retur, quàm populari modeſtiæ conveniebat, ac nuſquam non cothurnatus ac purpuratus incederet, paſſibus ſupra modum divaricatis, atque in morem Græcum, Idque etiam in ipſo die Paraſceves. Deberi igitur hominem tam inſolentis greſſus hac pœna damnari, ut nunquam pedibus terram attingeret, ſed ſemper in altiſſimis Grallis inceſſum moliretur. Accuſator erat *Iſchnologos* Macer: accuſationi ſubſcripſit Scæus ab Amathia. Splendidè & magnificè reſponſum eſt à Budæo. ſed judices viſi ſunt parumper illius verba intelligere; quæ res illi imprimis nocuit. Quid multis? damnatus eſt ad Grallas, ſeu ut græcè dicam *Kalobathra.* Ille, qui provocationem rectè ceſſiſſe Eraſmo viderat, provoco & ego inquit. hîc quoq; populus damnationem judicum in honorem mutavit. Nam publicæ illi ædes in Theatro juxta Tragicum ſtylum aſſignatę ſunt, ac deinde Logiſta creatus eſt, ut præeſſet rationibus Quæſtorum ærariorum, ac videret, ne ulla fraus fieret publicis minis. Mirè gaviſus eſt Budæus hac dignitate, quæ & multum honoris, & parum ſollicitudinis haberet. Nam reditus & vectigalia Apollinis non admodum magna eſſe ſciebat, & ſe in arte calculatoria nulli cedere.

Tertius

Tertius reus Virgilius, quem judex non audebat tam cupidè condemnare, ne rurſus per populum ſua judicia contumelioſè reſcinderentur. Audite crimina: dicebat Lucretius plurima ſua carmina à Virgilio integra ſine ulla mutatione interverſa eſſe, ac proinde eum, ut in manifeſto furto deprehenſum, in quadruplum eſſe puniendum. plurima ab eodem interpolata, & fuco, & lenocinio eſſe defor-mata: hac in parte ſe agere crimine plagii, vel ſtellionatus, vel furti clandeſtini, ac planè vĕdicare ſua carmina, quò compilatorem pœna mutilum redderet. Interfatus eſt Prætor, ſe famoſam actionẽ adverſus Virgilium non recipere: ſi vellet agere de tigno injuncto, ſe libenter de cauſa cogniturum: ſin aliter eſſet animatus, alia tribunalia quæreret, ſe in quiete relinqueret. Neceſſariò igitur Lucretius civilem actionem inſtituit, & pervicit, quamquam omni genere eloquentiæ à Virgilio repugnatum ſit: ſed os impeditius, & verecundia in Virgilio nimia ejus pronunciationi gratiam ademerũt. Sententia autem iſta fuit, ſi Virgilius probare poſſit, & Lucretium aliena uſurpaſſe, non debere Lucretium conqueri, ſi ſibi fiat, quod aliis feciſſet. Sin ab alieno abſtinens fuiſſet, æquum eſſe eum ſua, vel in

ſpecie,

ſpecie, vel in precio recipere. Cęterū non in ſpecie, ne egregia Virgilii Poëmata, ſi tot trabes Lucretianæ eximerentur, in ruinam tenderent. Datum igitur negocium Macrobio fuit (nā is ab actis erat) ut diligenter notaret, quid Lucretio ſubtractum eſſet: qui certè ingentem ejus rei numerum conſcripſit: interpolata tamen vel inſcitiâ, vel malitiâ omiſit nimium deditus gratię Virgilianę. Æſtimatione igitur factâ ſingulorum verſuum, quandoquidem Choerilus pro ſingulis carminibus Philippum accepiſſet, ſtatutum eſt, ut Lucretius centum acciperet. Poſt ſententiam concilium dimiſſum. Virgilium major pars Poëtarum domum deduxit, Lucretius plures Philoſophos in comitatu habuit. Qui Authores fuere, ut æquales ſedes in theatro, aut certè proximas Virgilio peteret; nam ſe non dubitare ſecundum eam poſtulationem ſuffragia ferenda. Ego, qui Lucretii cauſa tantùm itineris non ſolùm in mundo, ſed extra mundum, imò inter tot mundos ſuſceperam, ubi nactus eram ſolitudinem, me in illius colloquium conjeci. Cæterùm quæ ibi dicta fuere, quæ maximè ad vos pertinent, tum dicā, cum denuò reſpiraveritis. Scio enim vos longâ iſtâ narratione defatigatos. Ille ubi

me

me vidit, ſtatim agnovit, & quod magis mirum erat, compertum habebat quicquid unquam Lovanii vel actum, vel dictum fuit. Unde autẽ id fiat, ut homines tam longè à nobis poſiti, ſine internunciis, aut epiſtolis omnia noſtra reſciſcant, paucis expediam. Ad portam *Phemian* (ruminalis dici poteſt non à rumine, ſed à rumore) quæ maximè ad noſtrum orbem reſpicit, ſpeculum poſitum, quod logipracticon appellãt, in quo hoſpitantur omnes imagines verborum & factorum. Nam ne ſitis neſcii, ut quędam à rebus viſibilibus imagines defluunt, quæ ſenſum videndi in nobis excitant: ita à verbis & factis ſimulachra quędam derivantur, quæ cùm ad domicilium iſtius ſpeculi ſe contulerunt, produnt omnia, quæ alibi contigerunt: quędam autẽ ultrò veniunt, quædam per viatorem Univerſitatis, quem ibi, ut nos quoq; Bedellum nominant, evocantur: nec fas eſt ullum abſentare, niſi ea, quę in confeſſione ad ſacerdotem prolata ſunt. Mulcta reliquis, ſi ultra peremptoriam citationem contumaces fuerint, capitali pœnâ ſancita eſt. Supplicium autem quod irrogatur, tale eſt. Habent ſcopas ex Borealibus flatibus, quibus acerrimè contumaces flagellant, nec ante abſiſtunt, quàm eas in minu-

minutiſſimas partes diſſipaverint. hanc mortem,ut crudeliſſimam,magis exhorrent,quàm fures ſuſpendium. Tum autē citata erant per Logodædalum (nam is ibi viator eſt) omnia quæ dicta & facta erant in Lovanienſi obſidione; unde omnia illis comperta, quæ fortiter vos geſſiſtis clariſſimi juvenes in defendenda urbis ſalute. Audiſtis cauſam, cur nihil lateat noſtrarum rerum. Cæterùm, ne illud omittam quid differentiæ ſit inter imagines,hac ratione diſtinguuntur. Factorum imagines plus habent ſubſtantiæ, ac proinde eminent in ſpeculo, ac propemodum per ſe conſiſtunt; imagines dictorum plus qualitatis,& propterea ſuperficiei ſpeculi planè incumbunt, ſine ulla eminentia. Redeo nunc ad Lucretium: Salve mi Nanni, inquit; quòd primum meum librum interpretatus ſis, gratias ago, & curabo ne illud gratuitò feceris. Quòd niſi ſacerdos eſſes, daremus tibi in uxorem unam ex ſeptem præſtantiſſimis Atomis,

Quarum quæ forma pulcherrima Keneidialia,
Connubio jungerem ſtabili,propriámque dicarem.

Nunc de alio munere diſpiciendum eſt, Sed quòd ante ſecundi libri interpretationem aliud opuſculum interſeris,planè ingratum eſt:quamquam culpa non tam in te,quàm in juventute Lovanienſi,quę

hoc

hoc tempore non niſi ſaccarum lingere, & placentas mellitas deguſtare cupit. Atqui Heroum cibus eſt, non bellaria, non effeminatiſſimæ lautitiæ, ſed taurus ad ignem coctus. Deinde ſyllogiſmum fecit, neſcio an in Darii, an in Dabitis, certè aptè mihi viſus eſt concludere, idq; per locũ à coquina. Quicumq; heroes ſunt, heroicis cibis uti debent: Scholaſtici Lovanienſes heroes ſunt: ergo heroicis cibis uti debent. Major patet per locum ab exemplis Homericis. Minorem probo à ſtationibus mœnium, ubi plus animorũ exhibuerunt in defendendâ urbe quàm ulli præſidiarii milites. Nam quicquid hoc tempore vel à Cæſarianis, vel à Gallis oppugnatum fuit, ſtatim eſt deditum, ſolum Lovanium incolume manſit. Æquum eſt igitur, ut heroes ſcholaſtici heroico cibo utantur, non mulieribus cupediis. Quod ſi ſecundum meum librum diligenter audierint, reliquos deinde libros, in quibus eſt & ſumma utilitas, & voluptas ſine offenſione, & legent, & intelligent. Jam ſi mea neq; ſalutarẽ amaritiem, neq; dulcores gratiſſimos aſperſos haberent, tolerarem illorũ faſtidium, & nauſeam. Nunc cum in amœniſſima loca excurro, præſertim in hoc ſecundo libro, eáq; omnibus gratiis, & venuſtate

imbuo,

imbuo, adeò ut ne Virgilio hac parte cedam, qui me voluptate argumenti, non tractatione, aut eloquentiâ vincit, iniquiſſimè mecum agi puto, quod nugas quaſlibet, quã me, audire præoptent. Scis ex omnibus ſectis, quę diverſa à Platonicis, & Peripateticis ſentiunt, neminem præter me unum ſupereſſe, unde indoles dicta, & argumenta cognoſcantur. Atqui putabam, cùm in me ſolo reliquiæ Philoſophorum aliorũ reſtarent, ut ſacrum authorem omni veneratione adoratum iri. Quod ſi ingenia Lovanienſium non ſufficerent noſtris difficultatibus intelligendis, permitterem eos ad Apologos Æſopi, ad facetias Poggii, aliáque iſtiuſmodi nugamenta converti. Nunc cùm nuſquã ſint majora ingenia, doctiora pectora, quam Lovanii, malle tamen quiſquilias rerum, quam heroicos Philoſophorum theſauros, id ſe nullo modo concoquere poſſe, nec tolerabile eſſe: ac proinde, inquit, internuncium facio, ut primùm illos precibus convenias (omnia enim priùs verbis, quã armis ſapientem tentare decet) ut Lucretium, qui lucro & elegantiæ, & ſapientię auditores locupletat, cum omni diligentiâ & ſedulitate auſcultent. Quod ſi nolint, ſciant me habere pœnam paratam, quâ injurias ulciſ-

car: curaturus enim ſum per Vulcanum ut iſti tam injurioſi adverſum me toto tempore, quo Lovanii futuri ſint, nihil aliud faciant, quàm ut ædificent in turri, cui eſt vocabulum à ſumptibus perditis, ut ibi & oleum, & operam, & tempus perdant. Hanc pœnam mihi procurabit Vulcani gratia, eámq; mihi addixit Aquilianâ ſtipulatione. Alterum ſupplicium Venerem meo nomine irrogaturam ſciant. Ea imprimis veteri cultori ſuo Lucretio favet. Noſti, inquit, quam lepidæ, quam venuſtæ, quam Charitum plenæ ſcholaſticis in commeatu apportando inſervierint, quo tempore in mœnibus adverſus hoſtem excubatum fuit. Quod ſi denuò bellum redeat, de cujus reditu proximâ æſtate non levis ſuſpicio eſt, effecturum ſe per Venerem, ne ulla pulchra puella ad ſtationes ſcholaſticorũ accedat; curaturúmq;, ut non niſi anus carioſæ, putridę, putidæ, rancidæ, mucidæ, mammis uſq; ad cingulum pendulis, dorſo inſtar cameli gibboſo, oculis lippitudine pluſquã vas rimoſum diffluentibus, labris ſupra nares tumidis, naſo acuminatiore, quàm eſt Gnomon in horologio, buccis ſupra Simiarum rugoſitatem rugoſis, manibus ſordidis, & contractis cibos ſcholaſticis præbeant: has furias, illas pocillatrices,

&

& promas, & condas ciborum fore. Ego cùm tam diras interminationes audivĕram, cùm præproperus abirem, ut iſta vobis pericula renunciarē, oblitus ſum interrogare miſer, de quibuſdam locis, quę mihi corrupta videbantur in omnibus exemplaribus. Nec vel in mentem venit, ut Ciceronem convenirem. Verè ſenſi in metu nos parùm, vel memoriâ, vel mente conſtare. nihil enim egi, quorum cauſsâ tantas peregrinationes ſuſceperam. Cæterùm quò celeriùs iter conficerem, rurſum Pegaſum inſcendi; qui multò alacrior, quàm antè & volabat, & currebat: cum mirarer cauſam; Ego, inquit, macie & eſurie antè confectus eram, nunc dulciſſimum pabulum habui ex carminibus Bavii, Mevii, Choerili, Alani, Buſconii, Dani, & Georgii Bock; qui homines pinguiſſimo ingenio pinguiſſimos verſus ſcribunt, unde optimè equi ſaginantur: iſti macilenti, carioſi, tenues, ſubtiles verſificatores in caballis paſcendis exſuccum planè pabulum adferunt. Ibi cum petulanter Pegaſus curſu laſciviret, quęſo, inquam, Pegaſe moderatiùs incede: non enim homo Hollandus tot ſuccuſſationes ferre poſſet. Obtemperabo, inquit Pegaſus, nō enim te vel intertriginoſum, vel Bellerophontem, vel Icarum faciam.

Cæterùm nebulo unico ſaltu, quod reliqui itineris erat, tranſmiſit, & me in foro piſcario jam defluum cadentibus membris ſtitit, ac protinus ad mundum Apollinis rediit. Audiſtis, Auditores, quid Lucretius velit, quas minas adferat, quę pericula denunciet: & certè, licet nullis rebus iras ſuas formiduloſas faceret, dignus tamen eſt, qui omni ſtudio & labore excolatur. Quid enim Ciceronem tam eloquentem fecit in rebus Phyſicis? Lucretius. Quid Hermolaum Barbarū tam inſignem Philoſophicarum ſectarum interpretem fecit? Lucretius. Quis primus apud latinos cum dignitate Philoſophicâ, Philoſophica tractavit? Lucretius. Quis ſtylo proximus eſt Virgilio? Lucretius. Quis aliquando par, aliquando major Virgilio judicatus? Lucretius. Virum igitur tot dotibus præclarum: diligenter audite, ego quantùm labore & induſtriâ conſequi poſſum, meo officio non deero; addámque ſubinde, quæ vel utilitate, vel feſtivitate tædium rerum condulcorent, ut neminem deinde vel pigeat, vel pæniteat noſtrę in hoc authore prælectionis. Dicam, ut comœdiis Terentianis finitâ actione conſuevit fieri, Calliopius recenſui.

F I N I S.

FRANCISCI BENCII

ORATIO,

Ante ferias autumnales, cum ſtudia proferrentur, habita.

NARRABO ſomnium, Auditores, neque erit conjectore opus. Videbam ſuperioribus diebus, quanto deſiderio flagraretis anniverſariarum vacationum, quanto prope convicio flagitaretis ferias. Cogitabam etiam ipſe mecum, quam non adjuvaret, depravaret potius adoleſcentiam, ſi non caute ac prudenter ſuſciperetur ceſſatio atque otium. Ita in utramque partem in mentem multa veniebant: nec utrum utilius eſſet, aut melius, conſtituere poteram. Cum hoc igitur ſæpius mecum agitarem, & ea mihi cura, ut fit, proxima nocte ſomnum ademiſſet, vigilavi bonam ejus partem ad lucem denique, cum veriora immittuntur ſomnia; arctior me quam ſolebat ſomnus oppreſſit. Hic mihi (eam credo ob cauſam, quod ea dormientes cernimus, de quibus vigilantes cogitamus, aut loquimur) objectum eſt ſomnium admirabile, & ad id, quo de agitur, magnopere pertinens. Quod nunc etiam recenti memoria (inſidet enim adhuc in animo quædam viſi ſpecies, nec plane defluxit) ſi non omnino, at certe aliquâ ex parte repræſentabo.

Qua tamen in re, ſi non omnia conſtanter ſubtiliterque dicentur, mementote ſomnium fuiſſe. Videbar mihi videre antiquam hujus urbis formam ac ſpeciem, qualem in noſtris animis effingunt potius ſcriptorum literæ, quam pictorum imagines. Aſpiciebam omnes partes urbis, & domos, ut cum maxime florebat, pulcherrime deſcriptas, in montibus licet videretur poſita & convallibus, cœnaculisque ſuſpenſa. intuebar an-

-bam, magno ſeptus virorum cœtu ac militum, etſi nemo in ſenatum ingreſſus eſt cum telo, ad ædem acceſſit, ante eam ſacrificavit: & cum manibus teneret exta, aruſpicem, ut ſecaret, admonuit: qui cum rite litaſſet, læta omnia ac proſpera S. P. Q. R. nuntiavit. Ipſius porro Auguſti habitus hic erat: toga è purpura nec reſtricta nimium nec fuſa, clavus neque latus neque item anguſtus, calcei altiuſculi: eam ferebat ob cauſam, quod proceriorem ſe, quam natura erat, haberi volebat. Nec mora cum aſſurrectum ei eſſet ab omnibus, & omnes ipſe tum oculis, è quibus quidam quaſi elucebat fulgor, ut diutius in eos intueri non poſſes, tum maxime verbis benigne atque humaniter conſalutaſſet, reſedere ipſius admonitu patres in ſubſelliis, quæ circum erant poſita, aſſedit ipſe celſior cum collega in ſella curuli: è qua deinde cum ſilentium manu popoſciſſet, exurgens, ejuſmodi videbatur facere relationem. Quod bonum, felix fauſtumque reip. ſit, de feriis anniverſariis ſuperiorum ſcholarum, deque proferendis rebus ſcholaſticis P. C. quid fieri placet? & cum hoc tantum dixiſſet, quievit.

Mirum hic ſilentium fuit omnium, &, ſive quod puderet relationis, ſive quod rei ipſius difficultas videretur habere deliberationem, defixis oculis terram intuebantur, expectantes dum primus aliquis ſententiam rogaretur. Hic idem Auguſtus, qui habebat ſenatum, Dic C. Calviſi, inquit. erat C. Calviſius Sabinus deſignatus conſul in annum ſequentem, itaque more majorum in ſenatu tenebat ſententiæ principatum. Calviſius igitur cum ſurrexiſſet, compoſita toga ad ornatum, & vultu ad ſeveritatem, ſtans, gravem & vehementem habuit orationem, quam item ut cetera, quæ eo die in ſenatu dicta acta, decreta ſunt, diligenter excipi, à quibuſdam animadverti, qui conſuetudine ac celeritate ſcribendi, faciliime omnia perſequebantur. Dixit autem, nam eum attente audiebam, ferme in hunc modum. Non ignoro, P. C. pleriſque veſtrum parva de re, & prorſus indigna hoc conſilio, ſenatum conſuli videri: quod certe non ita eſt.

Cum enim his temporibus Dei ipſius, in cujus templo ſumus, & illius Quirini ceterorumque Deorum beneficio, felicitate Auguſti imperatoris, ac noſtrorum virtute militum, ſit reſpublica à bello ad pacem, à negotio ad otium, ab armis & certaminibus ad literarum ſtudia diſputationesque converſa, nulla de re premenda nobis ſunt magis conſilia, quam ut recte inſtituatur, atque informetur adoleſcentia: quæ ſi immoderato diffluat otio, & tabeſcat, verendum eſt, ne corrumpatur inertia, nec agere quicquam Romanum poſſit aut pati, ſed Campanam potius ſegnitiem luxuriemque condiſcat. Et fuit quidem tempus, cum pueri noſtri non domi victitabant, ſed in caſtris: non in cubiculis quieſcebant, ſed ſub pellibus: non in ludo verſabantur cum magiſtris, ſed in exercitu cum imperatoribus: non in umbra exercebantur intra parietes, ſed foras in Solem pulveremque deducebantur: non ſtato æris ictu aut tinnitu excitabantur, ſed terribili tubarum ac lituorum ſono: non calamo bellabant aut lingua, ſed gladium vibrabant & haſtam: non atramentum effundebant, ſed ſanguinem: non dictata, ſed vulnera excipiebant.

Et in his tamen vel aſperitatibus rerum, vel difficultatibus temporum, in tot & tantis laboribus corporum, contentionibus animorum, nemo umquam commeatum poſtulavit, nemo appetiit otium, nemo cogitavit vacationem, erant nimirum omnibus in ore atque in animo viri fortiſſimi, qui ætatem omnem vitamque poſuerant in populi Romani imperio orbis terrarum terminis definiendo: & quibus nati eſſent majoribus, eorum ut gloriam aſſequerentur, virtutem ſtudebant æmulari. Hinc juventus illa effulſit, quæ univerſam ſubegit Italiam, Pyrrhum debellavit, Alpes penetravit, victorem Hannibalem huic urbi inſultantem, Carthaginemque duabus nixam Hiſpaniis huic imperio imminentem, ita afflixit, proſtravitque, ut timore hoſtium ſublato, non terrorem modo illis, ac metum, ſed cladem etiam extremam, atque exitium intulerit. Hinc nati, qui Galliam omnem in no-

in noſtram ditionem redegerunt, qui cum acerrimis gentibus, ac fortiſſimis, Germanorum, Helvetiorum, Britannorum, Scytharum, magno quidem cum periculo, ſed majore cum decore decertarunt: qui barbaras omnes immanesq. nationes contriverunt, compulerunt, domuerunt, populo Romano parere coëgerunt. Ex quo deſcendit excelſa illa, atque exaggerata Horatiorum, Camillorum, Scipionum, Cæſarum, aliorumq; heroum innumerabilium, quorum nomina ſunt inſtar numinum, altitudo animi, laborumque patientia.

Quærunt noſtri adoleſcentuli & ultro efflagitant luſum atque otium, &, ſi diis placet, niſi impetrent, ſeceſſionem minantur: ita pudore abjecto & verecundia, ut omnes vias aditusque obſideant, ad appellandos ſenatores, & alliciendos: vix etiam, medius fidius lacrymas teneant: ſunt ita fracti, & molles, nihil ut malint, niſi res ludicras & jocos: nihil ut ceſſatione melius arbitrentur. & ſane mirum eſt, quod cum aſſidue in otio vivant & luſibus: quæ enim vis eſt alia verbi ſcholarum, ſcholaſticorum, ludi otium tamen non agnoſcant ſuum, quod eſſe poterat honeſtum, aliud non dicam equidem omnis cauſa turpe, ſed certe iners deſidioſumque ſectentur. O turpem noſtrorum P. C. futuram, niſi malo naſcenti in tempore occurratur, temporum notam. Non tu ita, Cæſar Auguſte imperator, dicerem domine, ſi hanc te digniſſimam appellationem æquis auribus admittere aut ferre poſſes. Tu enim minor etiam ea ætate, qua iſti delicatuli requietis nomine prætexunt otii cupiditatem, nempe, ut memini narrare parentem meum, anno duodecimo, quo nunc magnam partem noſtri pueri, ne primas quidem litteras attigerunt. aviam Iulii mortuam, puerili quidem ore & vultu, ſed ſenili quadam gravitate & dicendi prudentia, pro concione laudaſti. Tu paulo poſt virili ſumpta toga, militaribus donatus muneribus à divo patre in triumpho. Tu avunculum eadem prope tempeſtate ſecutus in Hiſpanias, per infeſtas hoſtibus vias, per medias procellas ac turbines, quibus vehementer jactatus in mari, facto naufra-

naufragio vix mortem effugiſti, tanta indole virtutis ac morum, promeritus es, ut ſummus ille imperator unice te carum atque eximium haberet. Nec vero multo poſt Apolloniam ſtudiorum cauſa profectus, quantam eam ad rem adhibueris, vel induſtriam, vel diligentiam, ut ego ipſe taceam, & quæ abs te profecta, propter ſingularem eruditionem & elegantiam, jam omnium teruntur manibus, monumenta teſtantur: & quæ perſæpe hoc ipſo in conſeſſu, ita ſuavi ac meditata oratione recitantur, ut perpetuo omnium plauſu ac ſermone celebrentur. Mitto de iis dicere, qui ſub finem pueritiæ extremum Apolloniam, item Athenas, Rhodum in univerſam denique Aſiam: quaſi ad mercatum bonarum artium mittebantur, ut vel philoſophis operam vel oratoribus darent.

Apello vos P. C. quorum bonam partem hoc feciſſe intelligo: quis veſtrum ingemuit, cum aſſiduo opere eamdem ſcholam frequentabatis, totos dies ac noctes ad literarum ſtudia conferebatis: quis fando umquam audivit, quis optavit, quis nominavit vacationem: Audeant ſe nunc hæc Romanorum monſtra & portenta, quando ita à parentibus degenerant, cum ſuis ſe majoribus conferre. Nam quo nomine iſtos appellem, qui colluſorem magis audire, quam magiſtrum, & manu tractare magis pilam, quam calamum volunt, leviſſimam delectationem, ut etiam fatentur ipſi, graviſſimæ utilitati anteponentes? Certe quidem ſi quales hi ſunt, tales eorum proavi fuiſſent, nulla eſſet cauſa, cur hi ſe illorum ſimiles eſſe vellent: quemadmodum nulla erit umquam poſteris, cur iſtos, qui nunc ſunt, admirentur, aut cupiant imitari. ita ſunt fugitantes laboris, è quo omnia bona ad mortales: ita amantes otii, è quo omnia dedecora proficiſcuntur.

Quæ cum ita ſint P. C. Quod Auguſtus conſul de feriis anniverſariis ſuperiorum ſcholarum proferendiſque rebus ſcholaſticis verba fecit, de ea re ſic cenſeo. Cum otium malo exemplo inducatur in rempublicam, ſitque idem perniciosum futurum noſtro imperio, aptumque ad adoleſcentium induſtriam infringendam, *coriebo-*

corroborandam inertiam, quæ ante occupari ac præcidi debet: nullam omnino feriarum ſpem, niſi forte invaletudinis cauſa, adoleſcentibus oſtendi oportere. Hæc cum dixiſſet conſul deſignatus, magna ſenatus admurmuratione conſedit. & quamquam præfractum viſum eſt hominis reſponſum, nemo tamen videbatur eſſe tantis viribus aut confidentia, qui contra illius ſententiam venire auderet. Ita ſilentibus cunctis, & quaſi taciturnitate, quod animo, ut poſtea apparuit, & voce non feciſſent, C. Sabini ſententiam comprobantibus, Non ibo per ſingulos, inquit Auguſtus: per ſaturam exquirendæ ſententiæ. Contra ea, quæ dicta ſunt à Calviſio, ſi quis aliter ſentiat, dic, ſi quis voles: ne noſtri adoleſcentes ſuam poſtulationem deſertam expoſtulent, nec rationum momentis ponderatam, ſed conſulis diſſuadentis auctoritate jugulatam eſſe conquerantur.

Cum nihilo magis obloqueretur nemo, tacitique omnes in locis ſederent ſuis, ſic tamen, ut nonnunquam alter aſpiceret alterum: diceres, id quod erat, unumquemque malle ſe profiteri comitem eſſe contrariæ ſententiæ, quam ducem: ne videlicet conſulem deſignatum offenderent, cujus magna quædam, non in oratione ſolum, ſed propemodum in nutu reſidebat auctoritas. Surrexit tandem è mediis ſubſelliis vir quidam vultu venuſto, ac ſermone perbenigno, L. Hilarium Iucundum eſſe dicebant: & certe is fuit, ut comitate, commoditate, felicitate, ingenio, & nomen & cognomen ſuum comprobarit. Nimirum in hac controverſia, quaſi adoleſcentium ageret advocatum, eorum cauſam deſperatam plane ac depoſitam, contra deſignati conſulis auctoritatem, cujus ſe potentiæ oppoſuit, egregie tutatus eſt. Hic vero exurgens, cum oculos primo ad Auguſtum & Sullam, deinde ad ſenatores convertiſſet, furtim etiam interdum ad Sabinum ipſum, qui quod neminem exiſtimaret adverſarium fore, ſibi in ſenatu ſtare pulcherrime videbatur, Nollem, inquit, P. C. accidiſſe tempus, ut cogerer optimi viri ac fortiſſimi conſulis deſignati, quem colui

ſemper,

ſemper, uti debui, maxime, ſententiæ adverſari. ſed quoniam par eſt, æquam eſſe hoc in loco omnibus dicendi, quod ſentiat libertatem, noſtrorum adoleſcentium poſtulationem, quæ jam pæne, ut abjecta, vacillat, ac perdita, cum quidam auctoritate magis quam ratione pugnarint, brevi ſane & impolita, ſed veruntamen nihilominus ac recta oratione, ne corruat, ſuſtentabo,

Cur enim, ut à militibus in bello induciæ, ſic ab adoleſcentibus in ſtudiis litterarum, breves quædam & modicæ, more majorum atque inſtituto, feriæ poſtulantur, non eo poſtulantur animo, ut qui eas petunt, inertiæ ſe dedant aut nequitiæ, non ut ſemper in luxu luſuque verſentur, non ut obruantur ac ſepeliantur ignaviæ ſomno, quod vigilantiſſimus conſul ſuſpicabatur: ſed ut animos ſimul & corpora laboris & operis annui aſſiduitate ac magnitudine defeſſa, brevi quadam, & honeſta, & ſæpe alias ab aliis uſurpata, relaxatione reficiant: ne eorum deficiat penitus, aut langueſcat, ſi numquam intermittatur, ſed perpetuo intendatur, induſtria. Docet hoc Natura viciſſitudine dierum ac noctium, per ſingulos annos quadripartita temporum commutatione, ipſius agitatione maris, cælique converſione, omnium denique rerum atque animantium conſuetudine, quæ diſpertita habent quietis & negotii tempora. Clamant hoc idem res ipſæ mutæ, atque inanes arte manuque factæ, quarum ſi aſſiduus ſit ſine ulla intermiſſione uſus, non longior eſſe poteſt utilitas. ipſe mehercule armorum ſtrepitus, horrorque pugnarum, quibus Sabinus noſter ample & ſplendide enumerandis, & prope in conſpectu ponendis, cum inſtaret vehementius, & bellicis de rebus caneret quodammodo bellicum, noſtras omnium perterrefecit aures, oculoſq; perſtrinxit. ipſe profligandorum hoſtium, expugnandarum urbium, proferendorum imperii terminorum impetus, ipſe gloriæ cupidiſſimorum militum ardor, labor, ſudor, terror interdum requieſcit. quod etiam de Marte dixerunt: neque enim immortalium ſumus conditione homines, ut etiam honoris

cauſa

cauſa nullis opprimamur oneribus, laboribusque frangamur.

Et vero cum illum attente audirem tam magnifice ſe efferentem in cauſa tamglorioſe veterum pugnas victoriasque prædicantem, interdum etiam inſiſtentem, ut altior fieret, inſignem exiſtimabam fieri injuriam non dicam vobis P. C. ſed cauſæ: quoniam de re nihil, ſed de perſonis loquebatur: & quod de paucorum dierum vacatione dicendum fuit, ad reprehenſionem perpetuæ cujuſdam inertiæ nequitiæque convertit. Cujus diſputationis actu abreptus, cum in altum proveheretur, velitari mihi magis, & volitare, atque adverſarium fugere, quam pedem, ut dicitur, conferre, ac propius accedere, videbatur. Scimus, è diligentia, è labore omnia huic reipublicæ commoda obtigiſſe: non negamus otium eſſe malorum prope omnium ſeminarium: ſed quæ tandem iſta ſeveritas, Sabine, quod nobis fuit conceſſum adoleſcentibus, id tandem liberis noſtris tam præciſe denegare. Iniquum eſt, ſi cenſes nunc jam illos à pueris illico naſci ſenes. An quia tu iſta ætate, ad honorem tantum gloriamque converſa, nunquam in labore ceſſas atque in opere; quod tamen à quiete excipi non negabis, idem putas in infirmiore ætate ab adoleſcentibus fieri oportere? Eſt indulgendum, ignoſcendum, condonandum, huic ætati eſt aliquid dandum intermiſſionis, ac quietis: ne ſi nimium ſevere coërceatur, in alieno poſtea ſe tempore profundat, & qui ſenectutis mores in adoleſcentia præ ſe tulerunt, perverſo ordine, adoleſcentium ingenium imitari in ſenectute cogantur.

Quid nos etiam P. C. nonne ad leniendam, atque expuendam ex animo moleſtiam, quam reip. gubernatio adſpergit, circulos ſectamur & ſemicirculos, atque honeſtiore aliquo otio delectamur? ecquis unquam menſem, menſem dico, hebdomadam, diem, ſine ulla quiete tranſegit? ego quidem, ſi ex meo ingenio conjecturam facio de veſtro, neminem eſſe arbitror, qui velit paucas horas ſine ſpe quietis in labore uno, quamvis honeſto atque utili, collocare: cum voluptas etiam

ipſa, non tantum occupatio pariat, ſi numquam fuerit interrupta, ſatietatem.

Ceterum hæc fuit ſemper rerum humanarum condicio, ut fluerent ſemper, & laberentur, à labore ad otium, ab otio rurſus ad laborem, & vidiſti hoc Auguſte optime, qui poſtquam terra marique pacem peperiſti, civilia bella compoſuiſti, Ianum clauſiſti, cives conſervaſti, legibus urbem fundaſti, operibus ornaſti, ludis etiam & ſpectaculis, in quibus recte ac ſapienter certos ſedendi ordines graduſque deſcripſiſti, hunc populum omnium victorem gentium, ac terrarum patronum, Romanos rerum dominos gentemque togatam, ipſum ſenatum, judicem atque arbitrum orbis terræ oblectandum putaſti: ut qui prœliorum labores & moleſtias exhauſerant, iidem pacis voluptate & gloria fruerentur. Quid illud? quod ſenatores ipſos, quorum numerus jam tuis legibus ad antiquæ majeſtatis dignitatem ſplendoremque revireſcit, noluiſti crebris coitionibus fatigari? cum bis tantum in menſe, Kalendis ſcilicet, & Idibus, niſi extra ordinem, ut nunc factum eſt, vocarentur, juſſiſti convenire? cum illis etiam (paucis exceptis qui ſorte ducerentur) quotannis duorum menſium Septembris & Octobris conceſſiſti vacationem? Quod ſi ſenatores, quibus jam deferbuerunt adoleſcentiæ cupiditates, quibus eſt magis reip. cauſa laborandum, tuo tamen munere & conceſſu, Auguſte, vacui ſunt, ac liberi Septembri Octobrique menſibus, cur non ſimili liberalitate adoleſcentes fruuntur, qui natura ſunt appetentiores voluptatis, qui hoc à te, ſuo licet jure, & veteri exemplo, ſummis etiam precibus efflagitant? quorum etiam nonnulli recenti tuo beneficio cum lato clavo, & virili toga hic adeſſent, niſi, quod eorum cauſa agatur, aditis prohiberentur.

Valeat hoc apud te, Auguſte patriæ pater: agnoſcant paternam tuam erga ſe voluntatem adoleſcentes: de iis loquor, qui cum ſint auditores ſuperiorum ſcholarum, ſunt quaſi patricii majorum gentium: nam de aliis alia conſultatio eſſe debet, alius ſermo. & vos

P. C.

P.C. facite; ut veſtris ſuffragiis, adoleſcentium veſtrarum vitæ & incolumitati conſulatis, duobus hiſce menſibus, quos grave anni tempus, quidam è noſtrorum numero poetarum, tibi Auguſte cariſſimus, appellat. date operam, ut veſtrum conſilium de adoleſcentibus, cum Auguſti lege & judicio de ſenatoribus conſentiat. Quis ob res. Quod Auguſtus conſul de feriis anniverſariis ſuperiorum ſcholarum, deque proferendis rebus ſcholaſticis, retulit ad ſenatum, ego pro mea ſententia hoc cenſeo decernendum. Quandoquidem Auguſti lege ſenatoribus cautum ac permiſſum eſt, uti in ſenatum ne eant Septembri menſe atque Octobri, eaque res accepta vulgo & celebrata eſt, idem ſenatus conſilium de adoleſcentium à ſcholis vacatione eſſe oportere. Vix adſederat Hilarius, cum incredibili lætitia & plauſu ejus excepta oratio eſt: ut facile agnoſceres cunctis aſſentientibus victum eſſe Calviſium: nec erat qui contradiceret. Tum Hilario Iucundo in certam ſubſelliorum partem tranſire juſſo, imperavit Auguſtus diſceſſionem ſolemni forma. Qui hæc ſentitis, illuc tranſite: qui alia omnia, in hanc partem. Ita cum pedibus omnes ad Hilarium irent extra unum Calviſium, pars illa ſubſelliorum, in qua Calviſius erat, nuda atque inanis relicta eſt. cujus rei cum ipſum puderet, & ſubriderent omnes, ipſe unus ringeretur, ſeſe ad meliorem mentem partemque convertit.

Nec vero deſtitit, conſuetudinis ſervandæ cauſa, Auguſtus, ipſe quoque leniter arridens, quaſi utramque numeraſſet partem, illud dicere. Hæc pars major eſſe videtur. Nec mora interpoſita ſenatusconſultum perſcribi placuit, cujus formulam adhuc teneo. C. Cæſare Auguſto XII. Coſ. & L. Cornelio Sulla collega III Kal. September. in æde Apollinis, Scribendo affuerunt L. Iulius. L. F. Pontina Annalis M. Oppius. M. F. Terentina M. Valerius M. F. M. N. Meſſalla Æmilianus. Quod Imp. Cæſar Divi Cæſaris F. Auguſtinus, Pont. Max. Trib. Poteſt XIX. Imp. XIV. Coſ. XII. Verba fecit de feriis anniverſariis ſuperiorum ſcholarum, denique proferendis rebus ſcholaſticis, de ea

de ea re quid fieri placeret, ita cenſuerunt, placere huic ordini, uti adoleſcentibus majorum ſcholarum data conceſſa permiſſa vacatio ſit immunis, & libera in menſes duos proxime inſequentes Septembrem & Octobrem, utique hac quidem in re, ea conditione ſint adoleſcentes, qua ſunt ſenatores, lege Auguſti. Qui ſecus faxit, eum ſenatum exſtimare contra remp. facturum. Recitavit hoc S. C. Auguſti juſſu, cum honeſtiſſima L. Hilarii Iucundi, cujus ſententia obtinuerat, appellatione, L. Sextius P. F. Panſa, qui unus dicebatur eſſe omnium vocaliſſimus Et rogantibus patribus delatum eſt, non ut olim ad ædiles, ſed novo Auguſti decreto ad quæſtores, ut illud ad perpetuam rei memoriam inciſum in ære, in ærdrio ad Opis curarent aſſeruandum.

His actis, etſi, ut diei tempus erat, inſtitui poterat nova relatio, tamen quoniam extra ordinem coacti erant ſenatores, die non legitimo, dimittere placuit. Itaq; Auguſtus: Nihil vos moramur, inquit, Patres conſcripti. Quæ cum acta eſſent, diſceſſerunt omnes è templo, ego ſomno ſolutus ſum. Vos autem adoleſcentes, quorum gratia hæc fabella conficta eſt, vobiſcum enim jam poſita perſona loquor, recte atque ordine facietis, ſi hujus vel ſomnii commento, vel ſenatusconſulti, & horum patrum, quorum conſiliis noſtra ſtudia reguntur, beneficio, Deo inprimis *adjuvante ac propitio, fruemini. Valete, & plaudite.*

FINIS TOMI PRIMI.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE ROMA
44143

[illegible] Google